REVERENDISSIMORVM ET ILLV-
ſtriſſimorum S. Rom. Imperij Principum

APOLOGIÆ
PRO D. N.
IMP. HENRICO IV.
FRANCO, CÆSARE AVGVSTO,
Bauariæ Duce, Pio, Felice, Inclito, Patre Patriæ,

ADVERSVS
GREGORII VII. PAPÆ COGNOMENTO HILDEBRANDI, & aliorum Patriæ hoſtium, impias ac malignas Criminationes.

Nunc recenſitæ, de integro emendatæ, Auctoribus ſuis reſcriptæ & natalibus reſtitutæ,

AVSPICIO ATQVE GRATIA
REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. PRINCIPIS AC DOMINI, DN. OTTONIS ADMINISTRATORIS Hersfeldenſis, Lantgrauii Haſſiæ, &c.

Studio atque operâ
MELCHIORIS GOLDASTI HAIMINSFELDII.



HANOVIÆ
Typis Thomæ Villeriani, Impenſis verò CONR. BIERMANNI & conſort.
MDCXI.

35-3-F 4
2

SYLLABVS
Tractatuum, qui hoc Volumine continentur.

1. Bennonis Cardinalis Rom. de Vita & geſtis Hildebrandi Papæ lib. II. pag 1
2. Ottonis Epiſcopi Friſingenſis Fragmentum de Hildebrando Papa. 18
3. Anonymi de Henrici IV. Imp. Bello contra Saxones lib. III. pag. 20
4. Alboini Presbyteri de Coniugio Sacerdotum per Hildebrandum damnato Epiſtolæ II. 40
5. Epiſcoporum & Clericorum Imperialium Apologetica pro Imperatore contra Papæ excommunicationem. 46
6. Conradi Epiſcopi Traiectenſis Oratio pro Imperatore contra Papam, dicta in Comitiis. 48
7. Waltrami Epiſcopi Naumburgenſis Epiſtola ad Lantgrauium Thuringiæ pro Imperatoris fidelitate contra Papam. 51
8. Eiuſdem Apologiarum pro Imperatore libri III. 53
9. Iuonis Epiſcopi Carnotenſis Epiſtola de Inueſtituris Epiſcoporum & Abbatum. 183
10. Eccleſiæ Leodienſis Epiſtola à Sigeberto Abbate Gemblacenſi ſcripta contra epiſtolam Paſchalis Papæ. 188
11. Otberti Epiſcopi Leodienſis Epiſtola Parentatoria de Vita & obitu Henrici IV. Imperatoris. 204
12. Waltrami Epiſcopi Naumburgenſis Tractatus de Inueſtitura Epiſcoporum & Abbatum. 216
13. Decani & Conuentualium Abbatiæ Laurishamenſis Libellus ſupplex ad Henricum V. Imp. contra Hildebrandinos Monachos de Hirſaugia. 233
14. Eberhardi Archiepiſcopi Saliſburgenſis Oratio de Hildebrandi Antichriſtiano Imperio, recitata in Comitiis. 237
15. Ferdinandi & Maximiliani II. Impp. Sacris Reſcriptis confirmata ſententia, de Clerogamia per Hildebrandum Pp. damnata. 240

HILDEBRANDINORVM TRACTATVVM.

1. Gregorii VII. Papæ, qui & Hildebrandus, Epiſtola ad Hermannum Metenſem Epiſcopum, de excommunicatione Imperatoris. pag. 224

2. Stephani Herrandi Epiſcopi Halberſtatenſis Epiſtola ad Waltramum Naumburgenſem. 232

3. Goffridi Abbatis Vindocinenſis, S. Priſcæ Cardinalis Romani, Tractatus de Ordinatione Epiſcoporum, & de inueſtitura Laicorum. 257

REVE-

REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. PRINCIPI AC DOMINO,

DN. OTTONI,

ARCHIABBATIÆ HERSFELDENSIS ADMINISTRATORI,

Lantgrauio Haſſiæ, Comiti Cattimoelibocorum, Dietzæ; Zigenhami, Niddæ, &c.

MELCHIOR GOLDASTVS HAIMINSFELDIVS.

EX omnibus arcanæ Babylonis Præſulibus, qui inde à principio deficientis orthodoxiæ in Eccleſia extiterunt, quósve diuini Vates prædixerunt fore aduerſarios legi Chriſtianæ, nemo vnus HILTEBRANDO *fuit, qui aut vafrior & verſutior doliſque ac fraudibus conſutis viperinior, aut ſcelerum ac flagitiorum multitudine coopertior, paratiora tamen aſſeclarum ſuorum arma ad iniquitatem defendendam cùm olim inuenerit, tum hodie nactus ſit. Quippe qui tam miſerum in modum & ante-viuus & nunc-mortuus mortalium animos veſana ſuperſtitione faſcinauit, praſtigioſa religione occæcauit, denique falſis portentis ac prodigiis dementauit,*[a] *vt decipiantur, ſi fieri*

[a] Matth. 24. v. 24.

[b] 3. Reg. 19. v. 18.

[c] Apocal. 17. v. 14.

[d] Infernalem titionē, Hellbrand.

[e] Infernalem furcam an patibulū: Helliſcher Galgenſchwenckel.

poſſet, etiam electi. Sed Deus verax & miſericors [b] *horum ſeptem milia ſibi reliqua fecit, qui Baalem Babylonium nec genibus acciderunt, nec oribus oſculati ſunt.. Qui* [c] *Dominorū Domino, & Regum Regi fidentes, bellum cum Hiltebrando geſſerunt, eumque Pſeudoapoſtolicum, Antichriſtum, & ad nomen eius alludētes modò* [d] Hellebrandum, *quod eſt, Gehennæ pabulum, modò* [e] Heliogábalium, *id eſt, Proſerpinæ furciferum, publicè priuatimque inſcripſerunt. Num alium fuiſſe autumarent eum, qui primus cælum terræ miſcens, & ſacra profanaque omnia conturbans, inaudito facinore auſus eſt ſacratiſſimos vtriusque Imperii, Occidentis & Orientis, Imperatores, Cæſares item Auguſtos, Chriſtianiſſimum Francorum Regem, Sereniſſimos Bohemiæ, Poloniæ, Siciliæ, Reges, cæterosq; Europæ Principes, Imperio aut Regibus immediatè ſubiectos, proſcribere, & Imperiis, Regnis ac Principatibus priuare : Reges Angliæ, Hungariæ, Daniæ, Noruegiæ, Croatiæ, Dalmatiæ, Arragoniæ, &c. in perniciem peſtemque Imperij Theutonici, cui vaſſaticorum nexu vadati fuerant, ſibi feudatarios eſſe iubere: ſubditos Imperatorum, Regum, Principum, à fide Dominis ſuis iuratâ præter omnium gentium iura abſoluere, & perfidiis periuriisque paſſim inceſtare: Eccleſiaſticos homines, qui maximas orbis terrarum poſſeſſiones occuparunt, legitimo ſuo & ordinario Magiſtratu exemptos, in ſuam vnius poteſtatem redigere: eorumdemque inueſtituras contra ius faſque ſibi ſoli vindicare: Clericis coniugium ab ipſo Deo inſtitutum & ſanctificatum, omnium iurium diuinorum humanorum ingratiis, interdicere: in ſumma generalem Dei Vicarium ſeſe conſtituens in terris, potentiam Diis æquatam arrogare?*

Hoc

Hoc eſt tætrum illud naturæ monſtrum, cuius opera atq; miniſterio Satanas [a] Transſubſtantiationem panis Dominici conſtabiliuit; quive ex myſtico corpore magicum cõcinnauit; in tremendo illo laudis ſacrificio auguria & diuinationes vetitas coluit; & abominabilem illam artolatriam in Eccleſiam introduxit, fecitque poſt ſe (vt Scripturæ verbo vtar) apoſtatare Iſraëlem. Hic eſt quondam Babylonis illius Trimalcio; cuius vxor Plutonia, quæ Sancta appellatur, regna modio metitur: Et olim quid fuit? Ignoſcet mihi Genius tuus, Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Princeps, noluiſſes de manu eius (quemadmodum vetus habet prouerbium) panem accipere. Nunc nec quid, nec quare, in cœlum abiit; & ipſius Ditis patris tapanta eſt.

Atque adeò repertus eſt quidam maleſeriatus & nugivendus Gretſerus è Societate Ieſuitarum; qui ſeſe perſuadere nobis poſtulat, ſi vnus aliquis Hiltebrandinus hæreticus, qui [b] characterem & nomen haberet beſtiæ, mero meridie dixerit nobis tenebras eſſe, vt credamus: Ex qua nota eſt Monachus quidã nugidololoquides & mendaci loquus, cui Paulo nomen, Flamini tunc temporis Auguſtiniano in Collegio Bernriedenſi, ab eo nuperrimè in theatrum proximarum nũndinarum productus; qui ab Hiltebrando contra Imperatorem, id eſt, à mendacio contra veritatem ſtetit. Cuius, inſimul Anſelmi Lucenſis & Bernoldi Conſtantienſis, maledictis, lædoriis, & pſeudologiis ne fortè imbecilles dubiorum hominum mentes, & rerum geſtarum minùs peritæ, circumſcribantur, aut tranſuerſim rapiantur, viſum eſt operæpretium, ſi aliquammultos inſignes S. Imperij Principum, grauitate, eruditione & pietate præcellentium, libellos contradictorios, quos Pragmatici noſtri reſponſoriales

[a] Quõ Berengariũ damnatet Romæ in Synodo, anno 1079.

[b] Apocal. 13. v. 17.

vocant, opponerem; quorum auctoritate, & argumentorũ pondere, & rerum veritate, non dico aduerſarii, quorum iam deſperatus & planè depoſitus morbus eſt, ſed quàm pote, tam animi ab iis ſauciati perſanentur, ambigui confirmentur, conſtantes denique aſſiduentur.

Hoc loco obiicit nobis Ieſuita, & ſuos ſibi Principes non deeſſe, qui id, quod Bernriedenſis narrat, vero euicturi ſint. Non inficiamur: ſed ſcin' cuiuſmodi? nempe quorum illud fuit Pſeudolinum dicterium;

Iuraui lingua, mentem iniuratam gero.

Quibus hoc factu fuiſſet optimum, quando Myſtæ fuerunt, ſi ſe contuliſſent ad Fidei fanum, ibique ad Deæ aram litaſſent probiùs, vel ipſi Dio Fidio ſacra operari fidentiùs maluiſſent, quàm tanti facinoris infamiam periclitari. At enim, inquit Ieſuita, Fides Pontificis Maximi eos omni fide liberauit. Næ igitur fides ea in miſellis Principibus nomen ſuum mutauit, qui hoc Pontifici Romano, fortaſſis animo (quomodo nobis perſuademus) non peſſimo, crediderunt; & cauendum eſt, ne eadem Romana fides fiat in nobis quoque infidelis, vt ſibi pro Fidei nomine, Perfidiæ aut Infidelitatis nomen ſit imponendum. Quid ergo? dicet ille: num parum fidei Romano Pontifici arbitrabimur, qui in fidem ſuam inquiri non patitur? Ita me Dius Fidius, ſiquidem ipſis Romaniſtis credimus, qui eum Antichriſti ſimulacrum habere non dubitauerunt confiteri. Nam Gerochus Reicherſpergenſis, quo nemo acriùs ſcriptis libris Hiltebrandum tutatus eſt,[a] tandem ſuæ partis pertinaciam, ne dicam tyrannidem, hiſce verbis,[*] coactus veritate, notat. ROMANI, inquit, SIBI DIVINVM VSVRPANT

[a] Auentinus lib. 5. Annal. Boior.

[*] ad inſtar Balaami, Sauli, Caiphæ, &c.

PANT HONOREM, RATIONEM ACTORVM REDDERE NOLVNT, NEC SIBI DICI ÆQVO ANIMO FERVNT; CVR ITA AGIS? &c. *Quid etiam illud ſibi vult, quod Bertholdus Conſtantienſis Presbyter, acerrimus & ipſe eiuſdem Hiltebrandi propugnator, in Chronicis ſuis ſcriptum reliquit;* [b] Wilhelmus Rex Anglorum, totam terram Anglorum Romano Pontifici tributariã fecit, nec aliquem in ſua poteſtate aliquid emere aut vendere permiſit, quem Apoſtolicæ Sedi inobedientem deprehendit? *Mihi omninò videtur, verba illa D. Joannis, tametſi præter animi ſui mentem, in mente habuiſſe;* [c] Ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ.

b *Anno Domini MLXXXIV.*

c *Apoc. 13. v. 17.*

Habent ſcriptores Hiltebrandini id genus dicta & ſcripta multò plurima, quæ commemorare poſſem quaſi ſexaginta auctorum, vt pſeudomartyribus Gretſeranis quemadmodum re & numero, ita veritate ſuperiores recongrederentur, & victis ſilentium proporrò imponerent, ſi vel otium mihi eſſet, aut breuiculum hoc temporis ſpatium, cuius anguſtiis circumſcribimur, pateretur; quóve hos ipſos Auctores Imperiales vix colligere, recenſere & adornare licuit.

Quos interim vt Reuerendiſſimo nomine tuo proſcriberem, Princeps Illuſtriſſime, multæ me cauſſæ eædémque grauiſſimæ perpulerunt. Principiò dum vt patri filius concomitetur, par & æquum eſt: & quos natura inſeparaliter coniunxit, ſcriptio mea voluit vi atque affectione quadam referre, vt mutuò reſpondeant, ſeſeque inuicem tueantur. Dein faciendum mihi prorſus fuit, vt ipſe etiam quoque Reuerendiſſimis Scriptorib.

& de Reuerendiſsimorum Imperii Principum cauſſâ diſſertantibus, aduocatum quærerem Principem Reuerẽdiſsimum, cuius freti fiducia liberè irent ad orbis terrarũ Principes, ſed ad illum quum maximè, quem ſibi Antagoniſta noſter patronum elegit, Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Babenbergæ Epiſcopũ. Quem autem ex Catholicorum noſtrorum Reuerendiſſimo ſimul & Illuſtriſs. ordine Celſitud. tuæ anteferrem, habui omninò neminẽ: qui huic dignitati & adminiſtrationi prælatus, confeſtim animum appuliſti, tenerum quidem ætate, ſed prudentia maturũ, ad priſca anteceſſorum tuorum iura perueſtiganda, vt Imperatori ac Domino meo, cuius beneficio Principatus eſt acceptus ferendus, fidem integram atque illæſam præſtares: nec te à propoſito aut dimoueri blandientium ſuadelis, aut abſterreri minis Hiltebrandinorum, ringentium licet ac frementium, paſſus es. Etenim primus Hiltebrandus fuit, qui Abbatis Hersfeldenſis confirmãdi, inueſtiendi, aut deponendi ſibi poteſtatem contra iura Imperij, maiorum conſuetudinem, Eccleſiæ Theutonicæ canones, & mores Principatuum noſtrorum per tyrannidem adſcripſit. Cui illius ætatis Archiabbates, Ruthardus, Hartwicus, qui poſtibi ob fidem & integritatem ab Imperatore eſt Archiepiſcopatu Magdeburgenſi donatus, & Fridericus ab eodem Imperatore ex Abbatia Goſeckenſi proueſtus, acerrimè reſtiterunt, & pro Imperio aduerſus Sedem Romanam fidenter pugnantes, tamen etſi vndique hoſtilibus Saxonum turmis circumſæpirentur, vniuerſas tamen fortunas ſuas cum ipſa adeo vita, exponere non dubitauerunt. Hæc tradit Waltramus, qui ex Collegio Herſfeldenſi in Curiam Imperatoris, & inde porrò ab ipſo Imperatore ad Præſulatum Cilicenſem, cujus ſedes jam tum Naumburgum

gum tranſlata fuerat, promotus eſt. Quid ergò miri aut noui, quid inſolentiæ abs te Principe iuſtiſſimo, cæterisve Proteſtantibus factum eſt, ſi priſca Eccleſiarum & Principatuũ iura aduerſus iniurioſas Pontificum Romanorum nouationes renouare, & diuina Deo, Cæſari Imperialia dare, intenditis? Nempe nihil antiquatum eſt, nihil obſoletum, in Republica, quæ excuſſo iniuſti Dominatoris & Tyranni iugo priſtinam recuperauit libertatem: quum legum atque iurium per vim abrogatorum ſemper manſerit, & perpetuò manſura ſit primigenia ratio, ſi qua [a] auctoribus noſtris fides eſt. Nec videmini vim feciſſe, qui iure veſtro vſi eſtis, vt ait Paul. in l. 155. §. 1. D. de regul. iur. nec iniuriam facere, qui id feciſtis, quod facere ius habetis, l. 155. D. eod. tit. nec deieciſſe quemquã, quũ poſſeſſiones non tradi-tis, quas propter iuſtas & rationabiles cauſſas occupaſtis, quẽadmodum ſcribit Marcell. in l. 12. in fi. D. de vi & vi arm.

[a] Bartolo ad l. 1. D. de coniung. cum emancip. liber. Salyceto ad l. 1. C. de Lat. liber. toll. Semeca in Gloſſ. ad c. quicunque, 11. q. 3.

Quin imò rem penſiculatiùs recordanti, & multũ cogitanti, non abſque ſingulari Dei prouidentia factum videtur, vt iidẽ Saxones, qui primi patriæ iura & auitas conſuetudines ex indignatione dicam an ſuperſtitione prodentes, tantam Papæ Romano potentiam in Imperio Theutonico vltrò concesſerunt, vt ius haberet contra morem maiorũ Eccleſiaſticos Ordines in fidẽ ac ſacramentum adigere, tributa exigere, ipſum Imperatorem, Reges, Principes pro libitu deſignare, proſcribere atque deponere: iidem ipſi, inquam, Saxones imprudentiæ ſuæ & proditæ ab ſe patriæ ſeriò, licet ſerò, pœnitentes illegitimam & tyrannicam Papæ Archiam, tanto Imperij præjudicio hactenus admiſſam, primi etiam vindicatum irent, & ad legitimum Dominum, Imperatorem ac Regem Romanorum, quos per ſummum nefas

ſpoliatos vſque fuiſſe perſentiſcebant, referre ſatagerent.

Hos inter quum & Celſitudo tua, Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Princeps, nunc nomen ſuum profiteatur, nec poſtremum locum poſſideat, rem minimè ingratam tuæ Celſitudini me facturũ ſperaui, ſi haſce iurium Imperatoriorum & Principalium vindicias, quarum anteceſſores tui, Archiabbates Hersfeldenſes, partim duces atq; auctores fuerunt, partim fautores, ſub Reuerendiſſimo & Illuſtriſſimo nomine tuo reuerenter promulgarem, nõ tam vt fauentiam & patrocinium abs te indepti maiori valeãt apud Magnates auctoritate, quàm vt tuam ipſius cauſſam publicè perorantes tuam Celſitudinem à calumnioſis aduerſariorũ ſpiculis muniant atque defendant; qui more maiorum, quos hi Scriptores commemorant, Eccleſiam Deo, Imperio maieſtatẽ, patriæ honorem, Principatũ Cæſari, à tyrannide Papanâ vindicaſti.

Quo auſpicio vt Pius ſis ac Felix, perpetuoque incolumis & ſuperſtes perennes, Eccleſiæ moderator vigilantiſſimus, Imperii Princeps iuſtiſſimus, Scholis patronus ſingularis, viduis atq; orphanis tutor vnicus, omnibus oppreſſis opitulator maximus, denique Reipublicæ cauſſam non perfunctoriè agentibus beniuolens Mecænas, id Deum Opt. Max. ſuppliciter veneror. Faxit Ieſus, vt Celſitudo tua, quemadmodum ætate, ſic & ſapientia gratiaq; tum apud Deum proficiat, tum apud homines.

Francofordiæ ad Mœnum, a. d. XIV. *Kal. Februarij; Anno Chriſti nati* CIↃ IↃC XI.

DIS-

DISSERTATIO
De Auctoribus, & eorum ſcriptis.

BENNO CARDINALIS.

HVivs mentionem facit Abbas Swarzahēſis, qui ipſi Bennoni *σύγχρονος* fuit, in Chronico, quod poſteà Abbas Vrſpergenſis continuauit. Ibi ſub anno MLXXV. in hunc modum legitur: *De vita & geſtis Hildebrādi, qui Rom Pontifex factus, Gregorius VII. dictus eſt, per Brunonem Cardinalem, qui eo tempore vixit, deſcripta.* Verum perperam pro *Bennonem*, vitio librariorum (vt puto) ſcriptum eſt *Brunonem.* Et illa etiam verba *qui eo tempore vixit,* accipienda ſunt, vt illa Bertholdi Conſtantienſ. Presbyteri de Bernardo Corbeienſi Magiſtro, amico & coæuo ſuo ſcribentis in Chron. anno 1091. *Multa pro Catholicis contra Schiſmaticos ſui temporis elegantiſſimè ſcripſit:* quum vterq;, & Swarzahenſis Bennoni, & Bertholdus Bernardo cōtemporanei extiterint. Sunt verò ea omnia excerpta, quæ Chronographus habet, ex libro primo deſumpta: ad quorum calcem, *Hæc Bruno,* ſimiliter prauatâ dictione legitur, pro, *Benno.* Miror autem editores, Gratium, Flaccium, Reineccium, Wolfium, non animaduertiſſe, hoc opuſculum eſſe bipertitum: quod nos de ſententia ac voluntate ipſius auctoris in duos libros diuiſimus. Id rectè atque ordine à nobis factum eſſe dicet, qui principium libri ſecundi à nobis diſtincti accuratiùs attenderit, & ſimul ea, quæ infrà ad Waltrami Apologiam dicturi ſumus, conſiderauerit.

Hic eſt ille BENNO CARDINALIS, qui tantoperè auri-

bus, oculis, & cordibus dolet Papanorum: quémue Chriſtus Ieſus hoc fraudulento ſæculo ipſum Papanum Doctorē, Ortwinum Gratium, ne fortè vt inteſtabilis reiiceretur, è tenebris in conſpicuum hoc totius orbis theatrum produxit, vbi nobis Pſeudouicarium ceu digito demonſtraret, & tanquam indubitatum aduerſarium ſuum cauendum ac fugiendum propinaret. Conuicia Bellarmini, Baronii, Gretſeri, & conſimilium furioſorum hominum flocci non facimus, & eodem loco ponimus, quo Antichriſtianorum blaſphemias eſſe habendas Apoſtoli & S S. Patres præmonuerunt. Si Benno pro Hiltebrando in Henricum Imp. arma ſtili ſui diſtrinxiſſet, nemo illo doctior, nemo eruditior, nemo neruoſior, nemo orthodoxior, nemo καθολικώτερος, nemo beatior aut ſanctior apud Papanos celebraretur: nunc quia Chriſtum & vnctum eius Imperatorem propugnauit, indoctus, inſulſus, barbarus & inconditus calumnioſo horum iudicio habetur. Quod tanti apud Catholicos bonos ac laudatos æſtimatur, quanti fungus putidus.

OTTO FRISINGENSIS Epiſcopus.

Hic genere fuit Marchio Auſtriæ, quæ nunc in Archiducatum euecta eſt, Imperatoris Henrici IV. Auguſti, quo de agimus, nepos, & Friderici Primi Imperatoris patruus. Hoc autem non eſt fragmentum, quemadmodū editores Bennoniani putauerunt, ſed integrum caput primum libri primi de Geſtis Friderici Imperatoris.

ANONYMVS DE BELLO Saxonico.

Ita eſt: verè anonymus iſte auctor, quicunque tandem ille fuit. Nam quod de Ruperto Præpoſito Goslarienſi adſcriptū eſt, nunc muto, & factum nolim. Quippe memoriam meam decepit nominū Ruperti & Rulandi initialis affinitas. Rulandum

dum autem quemdam pro Henrico IV. Imperatore ſcripſiſſe, in rerum geſtarum monumentis legeram. Inde ad Ruperti coniecturam perueni, quod ſcirem in more hoc inſtitutoque Imperatoris huius poſitum fuiſſe, vt Monachos Clericóſue, bene de ſe ſe dictis an ſcriptis meritos, Epiſcopatibus & Abbatiis remuneraretur. Ex hac nota ſanè Rupertus ille fuit, de quo Lambertus Hersfeldenſis, Monachus præter ſententiam Collegii ſui Schiſmaticus & Hiltebrandinus, in Chronico ſcribit ſub anno MLXXV. Rex *profectus Babenberg, Rupertum Goslarienſem Præpoſitum in Natali S. Andreæ Apoſtoli pro eo ordinari fecit Epiſcopum, virum peſſimæ exiſtimationis in populo, eo quod Regi familiariſſimus & omnibus eius ſecretis ſemper intimus fuiſſet, & omnium, quæ Rex perperam & præter Regiam magnificentiam in Repub. geſſiſſet, potiſſimus incentor extitiſſe putaretur:* &c. Longè æquior quidam tantùs ſapiens, in veteri Chronico Monaſterii Carmelitarum apud Popardianos, anno MLXXVIII. *Rudbertus Bauenbergenſis Epiſcop s literis & ſapientiâ clarus habetur.*

Apparet auct rem horum librorum, quiſquis fuit, rebus geſtis interfuiſſe, & comitatu Imperatoris vixiſſe cum exiſtimatione aliqua & auctoritate. Lib. 2. non multum ab initio, promittit alium librum, in quo ait, ſe de Legatis Imperatoris ad Saxones miſſis, eorumq; defectione & clamdeſtina cum Saxonibus confœderatione exſecuturum. Id aut vehementer animi fallor, aut in aliquâ pro Imperatore Apologiâ factum oportuit. Ad eam opinionem me ipſa auctoris verba perducunt, quæ ſic habent:

Sed quibus inducti Primates artibus illi
Genti conſenſum tunc præbuerint ſceleroſum,
Hoc alias pateſit, mihi vita ſalusq; ſuperſit.
Nunc iuuat ire viam directo tramite cœptam.

Ait, nolle ſe in his libris, quibus res geſtas ſimpliciter ac nudè exponit, diſputare de dolis & fraudibus, quibus Principes ab Imperatore legati à gente Saxonum fuerint ſeducti & in partes diuerſas tracti, quum ea res alioſum pertineat, & alibi commodius explicanda ſit. In extremo libro tertio hortatur

Imperatorem, vt Principibus Saxonię in deditionem receptis (quod hoc anno MLXXV. Goslariæ contigiſſe Lambertus, Bertholdus & Bruno tradunt) clementer parcat, & veniam benigniter indulgeat, vt hoc exemplo cæteri hoſtes commoueantur, ſi viderint, quid ſibi ſperandum ſit, vbi ad eius miſericordiam ſupplices confugerint.

Cur autem hic Auctor cum pleriſq; aliis huius ętatis nomen ſuum ſuppreſſerit celarique voluerit, in promptu cauſſa eſt. Eam aſſignauit Otbertus Leodienſis, in prologuio Epiſtolæ ſuæ funebris de vita & obitu Imperatoris, ſcribens; *Vt fletum meum reprimam, ne forte* [a] *iis, qui de morte Imperatoris gaudent, innoteſcat, inſtruis. Rectè me doces, fateor. Sed non poſſum imperare mihi, licet in me furorem ſuum exacuant, licet me membratim diſcerpere cupiant: dolor ſilere neſcit, dolor illatas pœnas non ſentit.* Et in extremo prologuio: *Pergam vt cœpi, conſtans & ſecurus inde, quòd fides tua mihi perſpecta eſt, vt hæc ſcripta nulli detegas, aut ſi qua foras exierint, autorem non prodas.* Et Helmoldus Presbyter Buzuicenſis in Chronic. Slauor. lib. I. cap. 33 *Rex Henricus ad veſtigia Apoſtolorum iacens, orans, ac pœnitens, gratis peſſumdatus eſt nec inuenit tempore gratiæ, quod* [b] *ille obtinuit duro legis tempore. Sed diſputauerint de his qui ſcierint, vel* [c] *auſi fuerint.*

a Principibus Imperij.

b ſc. Dauid Rex Iſraelitarum.

c propter metū Papæ, & eius in Imperio ſectatorum.

ALBOINVS PRESbyter.

Huius mentio apud Auentinum; ex quo Matth. Flaccius in Catalog. teſt. verit. *In Fragmentis Auentini*, inquit, *inuenio Alboinum quendam, admodum doctum virum, qui ante* [d] CCCC. *annos vixit, defendiſſe coniugium Sacerdotum.* Quid ad hæc Parricida Gretſerus? *Alboinum fuiſſe non doctiſſimum,* [e] ait, *ſatis teſtantur eiuſdem malè tornatæ epiſtolæ, vt meritò à Bernaldo appellantur.* At tu merito tuo διαβάλλεις, quia eius filius es, qui ab initio Parricida fuit. Agnoſce Bernaldi verba, & tandem aliquando viris, te & longè melioribus & fide dignioribus, obtrectare deſiſte. *Domino*, ſcribit Bernaldus ille in epiſtolis ἀμοιβαίαις, *ac venerando Sacerdoti*

d vixit Auentinus ante centū præter propter annos.

e in Apolog. pro Gregorio VIII. folg 42.

Sacerdoti Alboino ſcientia & moribus adornato. Et in ipſo Epiſtolæ contextu: *Non parum doleo de te tantæ indolis viro, in ſacris litteris tam erudito.* Et in ſecunda epiſtola; *Non enim inuitus, nec vereçundus tam erudito præcipuè, & amico cederem.* Num hæc tibi verba in malè tornatum dicta videntur, ô tortuoſe ſerpens? Sed ſolet hoc fieri, vt quisquis veritati Euangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ teſtimonium perhibet, & Apoſtaticæ Eccleſiæ aduerſatur, is derepēte vir indoctus, & hæreticus in Parricidarū ſchola efficiatur, etiam ſumma doctrina ſummaq; pietate prǣditus. Verùm quid ego ago, aut quid cum laruâ iſtâc pergo depugnare? Fuit autem Alboinus iſte Principis alicuius aut Comitis in Sueuia Sacerdos, vt ex verbis illis elicitur; *Inſtat noſtri Senioris* (id eſt, Domini) *in expeditionem* (bellum Saxonicum) *eundi ornatio* &c. qui fortè in Diœceſi Conſtantienſi ditionem coluit.

EPISCOPI ET CLERICI IN S. ROMANO Imperio.

Horum Apologetica in communem ſententiam dicta tum temporis aut publicitùs ſcripta, refert Auentinus Annal. Boior. lib. 5. fol. 579. Auentinus, inquam, qui omnium veterum Bibliothecarū verimonias, antequàm à Parricidis noſtris aut mutilarentur, aut truncarentur, aut penitùs exanimarentur, in ſcrinium Annalium ſuorum contulit. Qua de re illi gratia ſit & laus perpetua. Tangit eamdem ſententiam Prælatorum huius temporis etiam Onuph Panuinius in Vita Gregorii VII. ad hunc modum ſcribens; *Cæſar quoque ipſe, multiq; alii Principes, & Prælati fuerunt, qui Romani Pontificis anathema, tanquam iniquum, & iniuſtum, & præter leges factum, contemnebant, alioſq; contemnere perſuadebant & cogebant* Porrò non abſimilia his in Imperio Germanico audita fuerunt à Clericis, quum Fridericus *II.* Imperator & Conradus Cæſar pari eademq; tyrannide eſſent à Pontifice Romano excommunicati. Eorum dicta recenſet Krantzius Canonicus Hamburgenſis lib. 8. Saxoniæ cap. 16. & ex

Fridericus II. Imp. & Conradus IV. Rex Roman. Duces Sueuiæ, fuerunt Catholicæ Apoſtolicæ Orthodoxæ Confeſſioni addicti, quã Papani inuidioſo nomine Waldenſem, poſteà Huſſiticam, noſtro ſeculo Lutheranam ſeu Caluinianam traducere cœpe runt.

a id eſt, non eſſent ferendi in eo officio, ſed deponendi, quòd nẽ ritè fungerentur officio ſuo, quo ſcandalo forent publico.

eo Gaſp. Hedio in Paraleipom. ad Vrſpenſe Chronic. anno MCCXLVI. in hũc modum; *Hoc tempore fuerunt in Sueuia prædicatores, qui in Pontificem Romanum & Cardinales, magna dicendi libertate os aperirent, Friderici II. & Conradi filii cauſam iuſtificantes. Auſi dicere, apud Summum Pontificem, Cardinales & Epiſcopos nullam reſidere autoritatem, quoniam omnes vna labe ſimoniæ maculati eſſent, nec quicquam tenere à Chriſto poteſtatis. Et quòd Sacerdotes in mortali conſtituti peccato, neq;* [a] *ligarent, nec ſoluerent, nec conſecrarent. Quod nemo in orbe Chriſtiano interdicere poſſet diuinis officiis, quodq́; ſine diſcrimine ea audirentur, & celebrarentur impunè. Et in fine ſuæ prædicationis, Indulgentiam, inquiunt, quam annunciamus, non à Papa confictam, non à Prælatis compoſitam, ſed ex Deo omnipotenti vobis annunciamus. Chunradus Rex, cum tueretur hos concionatores, penè incidit capitis periculum.* Iſta quidem Hedio narrat ex Krantzio. Cuius Krantzii & hæc ſunt verba ſuper iiſdem concionatoribus lib. 8. Metropol. cap. 18. *Quidam pulſatis campanis, & conuocatis Baronibus terrarum in Hallis Sueuiæ, ſic feruntur prædicaſſe in publica ſtatione; quòd Papa eſſet hæreticus; omnes Epiſcopi & Prælati, ſimoniaci & hæretici: inferiores quoque Prælati cum Sacerdotibus, quia eſſent in vitiis & peccatis mortalibus, non haberent authoritatem ac poteſtatem ligandi & ſoluendi, & omnes eſſent hominum ſeductores. Item, quòd Sacerdotes in mortalibus conſtituti, non poſſent conficere altaris ſacramentum. Item, quòd nullus viuens, neque Papa, neque Epiſcopi, neque alii poſſent interdicere diuina: & qui prohiberent, eſſent hæretici & ſeductores. Et permanebant in ciuitatibus interdicto ſuppoſitis, diuina peragere, vt ſacramenta Eccleſiaſtica liberè perciperent; quia ipſis perceptis, mundificarentur à peccatis. Item, quòd Fratres Prædicatores & Minores peruerterent Eccleſiam falſis prædicationibus: & quòd omnes illi Fratres, vnà cum Ciſtercienſibus & aliis, prauam vitam ducerent & iniuſtam. Item, quòd nullus eſſet, qui veritatem diceret, & qui fidem iuſtam opere ſeruaret, niſi ipſi, & eorum ſocii: & ſi ipſi non veniſſent, prius quàm Deus fidem ſuam periclitari ſineret, de lapidibus excitaſſet alios, qui Eccleſiam Dei vera prædicatione illuſtrarent. Prædicauerunt, inquiunt, ad hoc tempus Prædicatores noſtri & ſepelierunt veritatem, & promulgarunt falſitatem. Nos contrà veritatem prædicamus, & ſepelimus falſitatem. Et in fine; Indulgentiam, quam damus vobis, non damus fictam*

ſictam vel compoſitam ab Apoſtolico, vel Epiſcopis, ſed à ſolo Deo, &c. Hæc de Clericis Orthodoxis & Imperio fidelibus. Alb. Krantzius, vera illa quidem & Catholicæ Apoſtolicæ pietati conſona, ſed verbis aliquantò aſperioribus pro ſuæ ætatis caligine & imperitiâ commemorat. Sanè diuinum eſt axioma: [a] *Verbum* a Pſalm.119.v.
Dei manet in æternum: qui ſemper ſuam ſibi Eccleſiam etiam in 89.
ipſa media captiuitate Babylonica conſeruauit, quum electi
[b] *ad flumina Babylonis ſederent, & flerent, dum recordarentur Sion,* & b Pſalm.137.v.
premerentur quidem ad inſtar palmarum, ſed numquam op- 1.
primerentur, vt res in præſentiarum loquitur.

CONRADVS TRAIECTENSIS *Epiſcopus.*

Huius orationis ſummam refert Waltramus lib.2. Apolog. cap.19. integram excerpſit Auentinus Annal. Boior. lib.5.fol. 582. De ipſo Auctore legitur in Magno Chronic. Belgic. nuper edito operâ Ioan. Piſtorii: *Poſt obitum Wilhelmi Præſulis, quidam Conradus, natione Sueuus, XXII. electus eſt Traiectenſis Epiſcopus, qui Henrici IV. Cæſaris erat nutritius, cœpit autem anno ſalutis* MLXXV. Et paullò poſt; *Conradus ille impetrauit ab Henrico IV. Romanorum Rege donationem Orientalis Friſiæ, quam Marchiones violenter abſtulerant à Principibus Hollandiæ.*

Et de ſancta eius morte ibidem ſcribitur; *Anno Pontificatus ſui XXIIII. (qui fuit annus ſalutis MXCVIII.) dum Epiſcopus Conradus poſt Miſſarum ſolemnia ſolus in domo recumberet, & priuatus orationes* c corruptus in-
cum deuotione legeret, prælibatus [c] *Friſo viſa opportunitate, cultrum edu-* dubiè ab Hilde-
xit, & reuerendum Pontificem, inſtigante Diabolo trucidauit, VIII. Kal. brandinis, &
Maii, qui in eadem eccleſia perpetuæ Virginis Mariæ celeberrimè tumula- proditione domeſticorum
tus eſt. Ita optimus Pontifex pro Chriſto & patria more pio- Hildebrandinis
rum Confeſſorum, licet aliunde quæſitâ (vt fieri amat) cædis fauentium.
cauſsâ, ſanguinem ſuum fundens vitam martyrio conſummauit; cuius parricidii Sigebertus quoque & Dodechinus Abbates meminerunt.

WALTRAMVS NAVMBVRgenſis Epiſcopus.

Paulus Langius Monachus Bozawienſis in Chronic. Citicenſi Anno Domini MLXXXVIII. *Walramus, qui & Walrabonus appellatur, Octauus* [a] *Citzenſis Eccleſiæ Epiſcopus, reprobato* [b] *Friderico per Henricum Imperatorem Gunthero ſurrogatus, circa annum Domini MLXXXIX. præfuit annis XXI. Hic (vt in Annalibus Magdeburgenſis Eccleſiæ legitur) ordinatus fuit ab Hardewigo eius loci Archiepiſcopo & Metropolitano ſuo.* Fuit hic Hartwicus eo nomine Secundus ex Archiabbate Hersfeldenſi ad Archiepiſcopatum ab Imperatore promotus, vt ipſe Waltramus ſcribit libr. 2. Apolog. cap. 28. & quidem viuente adhuc & valente illo altero [c] Hartwico Exarchiepiſcopo, propter crimen læſæ maieſtatis diuinæ & humanæ, id eſt, hæreſin Hiltebrandinā, & feloniam ſiue infidelitatem ac rebelliōnem, ſententiā Imperatoris & Epiſcoporum in Comitiis Moguntinis circa annum Chriſti natiMLXXXV. celebratis condemnato & depoſito. A quo certè minimè fit veriſimile, vt initiatus fuerit Waltramus, Imperatori fidiſſimus miniſter, & diuerſarum partium inde à prima ſtatim ætate hoſtis ac oppugnator.

a Ex Abbate Goſitzēſi in Epiſcopū à Canonicis electo, ſed ab Henrico Imp. ad Archiabbatiam Heroveldenſem translato, vt idem Langius auctor eſt.

b Vbi Epiſcopalis ſedes antiqua fuit, quæ nunc Naumburgenſis dicitur.

c Hi duo Archiepiſcopi confunduntur vulgò ab imperitis Hiſtoricis.

Epiſtola ad Ludouicum Comitem ſcripta exſtat apud Dodechinum Abbatem S. Dyſibodi in Append. ad Mariani Scoti Chronic. anno 1090. vbi perperam legitur, *Megdeburgenſis Eccleſiæ Antiſtes*, à quo deceptus Baronius, glorioſus ille Annalium conditor, *Magdaburgenſem Epiſcopum* vocat tom. 11. anno 1090. num. 8. Tanta fuit huius Annaliſtæ peritia, vt alibi longè diuiniùs ſapiens ex Magdeburgenſi fecerit *Nurenburgenſem Epiſcopum*. O felices Noricos, quos Cardinalis Romanus ignoto vſque Epiſcopatu beat! Namque anno 1094. num. 15. referens hæc Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi verba, *Anſelmus ſeruus Eccleſiæ Cantuarienſis Walramo Epiſcopo Hurrenburgenſi*, in margine emendat, *Nurenburgenſi*: verùm ingratis meis Noricis, qui quàm Cardinalis Baronii, malunt Dodechini Abbatis gratias ſequi.

ſequi, apud quem in editione Piſtoriana legitur; *Valramo Numburgenſi Epiſcopo.* Tractat ibi Dodechinus de ſcriptis Anſelmi, & ad inuidiam Walramo conflandam, principium epiſtolæ aſſignat ad eum ſcriptæ, inquiens; *Ad Valramum quoque Numburgenſem Epiſcopum de Proceſſione Spiritus ſancti ſcripſit epiſtolam, in cuius capite ipſum Valramum Epiſcopum, fautorem Henrici, vehementer redarguit, ſeque Papæ Vrbani dictis & ſanctionibus per omnia ſubditum ac obedientem declarauit.* In horrendo illo ſchiſmate, & intolerabili Paparum tyrannide, videtur tunc temporis deliberatum inter Germaniæ Epiſcopos ex conſultu & rogatione Imperatoris fuiſſe, an deſertâ Romanâ Eccleſiâ, vnio cum Conſtantinopolitana iniri ac fieri poſſit. Quod & prius à Germanis Epiſcopis agitatum in Replicatione docuimus. Ea opinor cauſſa ſunt, cur Waltramus Imperatoris Conſiliarius voluerit Anſelmum, famâ ſcientiæ & eruditionis tum nominatiſſimum Archiepiſcopum ſuper Græcorum erroribus conſulere. Ad quem Anſelmus reſcribens; *Scienti, inquit, breuiter loquor. Si certus eſſem, prudentiam veſtram non fauere ſucceſſori*[a] *Iulij Cæſaris, & Neronis, & Iuliani Apoſtatæ, contra ſucceſſorem & Vicarium*[b] *Petri Apoſtoli, libentiſſimè vos vt amiciſſimum & reuerendum Epiſcopum ſalutarem: Quomodo autem ad defenſionem veritatis, quam contra Græcos quæritis, ſecundũ poſſe nulli deeſſe debemus, opuſculũ vobis miſi, quod de Spiritus ſancti proceſſione contra illos edidi. De ſacrificio vero, in quo itidẽ Græci nobiſcum non ſentiunt, multis rationabilibus Catholicis videtur, quod agunt Græci, non eſſe contra fidem Chriſtianam, &c.*

a Henrici IV. Imperatoris, quem cum iſtis nefariè comparat Papanus Anſelmus.

b Imò Simonis Magi, cuius vicarium in falſis miraculis, & ſpiritualib. donis vendendis gerit.

Porrò vtriuſque huius epiſtolæ ἀμοιβαίως ſcriptæ mentio apud alios quoque reperitur. Trithemius in Catalogo illuſtri virorum, de Stephano Herrando, Epiſcopo Halberſtadenſi, ſcribit: *Scripſit in perſona Ludouici Comitis fidelis Eccleſiæ elegantiſſimam epiſtolam in modum libelli, pro defenſione & obedientia Romanæ Eccleſiæ, contra Henricum IV. rebellem Romanæ Eccleſiæ ad VValtramum Numburgenſem Epiſcopum, qui partes Henrici IV. contra obedientiam Summi pertinaciter defendit Pontificis.* Eadem repetit in libro de Scriptoribus Eccleſiaſtic. & in Chronic. Hirſaugienſi in Gebchardo Abbate. fol. 91. vbi *VValramum Epiſcopũ Naumburgenſem* appellat.

Ludouicus, ad quem ſcribit, fuit Comes Prouincialis Thuringiæ, quem nos linguâ vernaculâ Lantgravium nominamus, & Hiſtorici tradunt Imperatori fuiſſe infenſiſſimum hoſtem, & fœdum Papæ mancipium. Vnde aduerſus eum Hoierus Comes Mansfeldenſis, decantatiſſimus ille noſtrorum Poetarum carminibus heros, ab Imperatore cum exercitu miſſus, vaſtatâ Thuringiâ, filium eius Hermannum & priuignum Fridericum captiuos ad Imperatorem Henricum abduxit; qui eos porrò Hamerſteinum in cuſtodiam ablegatos carceri tradidit, vbi Hermannus biennio poſt in vinculis mortuus eſt. Ex cuius morte Ludouicus pater mærore confectus; abdicato Principatu, Monaſterium ingreſſus & Monachus factus obiit A.D. 1123. vt ſcribit Erphesfurdenſis Monachus in Addition. ad Lamberti Schafnaburgenſ. Chronic.

Apologiam pro Henrico IV. Imperatore, quam Huttenus Princeps editor *De Vnitate Eccleſiæ* proſcripſit, alii ad alios auctores referunt. Quidam Venericum Vercellenſem eſſe putant. At is mortem obiit A.D. 1077. viuente etiamnum Hildebrando, ob quem deponendum comitia iuſſu Imperatoris Roncaliam indixerat, vt infrà annotabimus: noſter autem Apologetes octauo demum anno poſt exitum Hildebrandi, id eſt, A.D. 1093. ad ſcribendum aggreſſus eſt. Sic enim ipſe teſtatur lib. 2. hiſce verbis: *Nunc autem aliter inſtituta Mathilda, poſt octavum quoque annum, quo defunctus eſt* a *Hildebrandus familiaris eius, defendit proniſſimè contra Sedem Apoſtolicam, & contra Imperatorem partem ipſius.* Et c.17. *Ex illo tempore nunc eſt annus octavus, &c.*

a *Qui cum ſolitus erat familiarius facere illud, quod dici ſolet, quàm par erat Pōtificem.*

Nonnulli Conradum Traiectenſem fuiſſe cenſent. Verum is nusquam fuiſſe Monachus Hersfeldenſis commemoratur, cuius Collegii ſocium ſe noſter Apologetes facit, ſcribens lib. 2. cap.28 *Quarum* (expeditionum) *nulla magis ad viuum nos tetigit, quam illa quando ad locum Herosfeldia poſuit caſtra: Specialiter enim ipſe* (Hartuig) *præ cæteris Saxonibus odio habebat eundem locum Herosfeldia, ideoq; ciuitatem & ſancta noſtra quærebat omnibus modis deſtruere.* Ecce ait, *noſtra.* Et in eo monaſterio ſe vixiſſe manifeſtè teſtatur cap. 31. & cap.33.

Parri-

Parricida Gretſerus neſcio quid de Sigiberto Monacho criticatur, nemine niſi omnium rerum imperito applaudente. Nã is non Hersfeldenſis in Haſſia, ſed Gemblacenſis in Flandria Monachus fuit. Deind ipſe Sigibertus, & ex eo Trithemius notat, vnum tantùm librum, eumq́; ſeparatum, ſcripſiſſe ad Hildebrandi Papæ epiſtolam. Hæc autem Apologia ab auctore in tres libros partita fuit: quod Parricida, qui eſt illius ſtupor, nequiuit animaduertere. Ego autem faciam ex ignorante gnarus vt fiat, quamuis de me meritus non ſit: & ſequar illud Domini mei præceptum, *Benefacite inimicis veſtris.* Lib. 2. cap. 15. ait Auctor; *Et ſubiungit, quod Innocentius Papa Arcadium Imperatorem ſub anathematis vinculo à fidelium conſortio ſeparauerit: quod quàm verum ſit, ex his quæ in ſuperiori libro ſcripſimus, vel de Arcadio, vel de Innocentio, quisque diligens facile peruidebit.* Ea leguntur lib. 1. cap. 9. & ſeqq. Sequitur ibidem in citato cap. 15. *Poſthæc introducit hiſtoriam de Rege Hilderícho, de quo ſatis dictum eſt in ſuperiori libro, apud quem nec Regia poteſtas, nec Imperialis authoritas eſſe probatur,* &c. Dixit autem lib. 1. cap. 2. Habes ergò duos libros: iam age, & tertium eruamus. Huius veſtigium odoratus ſum ex lib. 2. cap. 22. in quo ſcriptum eſt: *Ecce VVigbertus, qui & Clemens Papa, cuius doctrina certè eſt Apoſtolica, & cuius ſcripta verè ſunt Catholica ſicut didicimus ex illa, quam tractare ſuſcepimus, Epiſtola, quæ ſcriptor illius peruertere molitur interpretatione falſiſſima, ſicut probabimus in ſequenti libro.* Id præſtitit, & ad ea ipſa verba reſpicit lib. 3. cap. 2. in princ. *Hæc hactenus.* dicens; *nunc verò, ſicut ſuprà promiſimus, de ſcriptis Clementis Papæ diſſeremus, probantes ea fidei Catholicæ eſſe.* Et cap. 1. infit; *Sed qui debeant æſtimari vel Catholici vel Hæretici, poterit ex ſtudiis alterutrorum colligi, iuxta quod in ſuperiori libro aliqua eorum geſta & mores deſcripſimus.* Id tacitum toto libro ſecundo.

Addam & hoc; ipſos porrò libros in Capitula fuiſſe ab auctore ſubdiſtinctos. Id ex lib. 2. cap. 6. didici, vbi de Hildebrando ſcribit; *Nunquam tamen Romana Eccleſia illius ſponſa fuit, quam pro legitima donatione ſpiritalis dotis collatis ante beneficiis ſpoliauit, proſcidit, ac dilaniauit, iuxta quod in ſecundo huius libri capitulo dictum eſt.*

In quorum capitulorum diuiſione ſecuti ſumus ſectiones editionis Freheranæ, licet nonnunquam parum commodè interciſas & ab integra ſententia interruptas. Nec enim aliud quid certi, quod ſequeremur, habuimus; emendaturi, vbi melior nobis codex attulſerit.

Flaccius Illyricus, & alii quidam Waltramum Naumburgenſem huius Apologiæ auctorem conſtituunt; quorum nos opinionem vt probabiliorem recipere non dubitauimus. Primùm, quia Waltramus homo fuit Aulicus, & in palatio Cæſaris verſatus: & hic auctor tamquam politicus & rerum publicarum peritus, delectus à Collegio ſuo Hersfeldenſi legationes in Aula & caſtris apud Hermannum Anticæſarem obiuit; Sic enim de ſe ſcribit lib. 2. cap. 16. *Ecce nos aliquando eundem Herimannum vidimus in caſtris Saxonum, non Regis ſiue Principis loco militare, quem ne ad colloquia quidem Principum perſpeximus venire: & cum ſuppliciter eum interpellaremus pro imminentis periculi neceſſitate, quo iam iamq; minabatur nobis vaſtitas atque contritio Eccleſiæ noſtræ, reſpondit ſe non poſſe vel ſibi vel nobis prodeſſe.* Ea eſt vaſtitas atq; contritio, quam Anno Domini 1086. Eccleſiæ Hersfeldenſi à Saxonibus illatam idem ipſe Auctor noſter aſſerit lib. 2. cap. 28 in princ. Deinde, quia Waltramus ab Henrico Imperatore electus, & ab Hartwico Archiepiſcopo Magdaburgenſi & Archiabbate Hersfeldenſi conſecratus, infenſiſſimus fuit aduerſarius Hartvvici Exarchiepiſcopi Magdaburgenſis Hermanno Regi adhærentis: & hic auctor Hartvvicū Abbatem ſuum vt legitimum Archiepiſcopum d. cap. 28. defendens, illum alterum Hartvvicum totis capp. 24. 25. 26. & 27. acerrimè oppugnat, & acerbiſſimè inſectatur. Poſtremò, quia hæc verba Waltrami in epiſt. ad Ludouicum Comitem; *Nunc ergò, quoniam, qui ex aduerſa ſunt parte, ſuis aduerſum nos eminùs digladiantur ratiocinationibus, veſtro iudicio* &c. *conſeramus*, &c *ſed Chriſti & antiquorum Patrum vtamur teſtimoniis*, pariare videntur cum illis lib. 1. cap. 1. verbis; *Tamen dicturi ſumus pauca de ſcriptis illius, vt his ea, quæ oportet, diligentia perſpectis, teneatur modus defenſionis partium ipſius.* Quum enim fruſtrà colloquium cum aduerſariis inſtitui poſtu-

poſtulaſſet, vt ipſo Ludouico Lantgrauio iudice cominus cum eis de tanta controuerſia conſereret, repulſamq; tuliſſet, cœpit & ipſe eminus, id eſt, ſcriptis publicis, aduerſus eos pugnare; quorum hi tres libri aleam iecerunt, in quibus *Chriſti & antiquorum Patrum vſus teſtimoniis* diuerſam partem confutauit.

Et primus quidem liber ex profeſſo compoſitus eſt contra Hildebrandi Papæ Epiſtolam ad Hermannũ Metenſem Epiſcopum. Ea eſt epiſtola, quæ legitur in ipſius Hildebrandi, id eſt, Gregorii VII. PP. Regeſt. lib.8. epiſt.21. & apud Brunonẽ & Magdaburgenſ. in Hiſt. Belli Saxonici fol.126. & ex qua ſumptum eſt capitul. *Quis dubitet*, 9. diſt.96. in Gratiani Decreto, & apud Anſelmum in Collect. canonum lib. 1. cap.84. Iuonem Decret. part.1. cap.378. Auctorem Pannormiæ lib. 5. cap.108. qui omnes ipſi Hildebrando ſuppares vixerunt pariter & ſcripſerunt. Eamdem epiſtolam poſt Waltramum reſoluere aggreſſus eſt Sigibertus Gemblacenſis, quemadmodum ipſe in Catalogo de Scriptorib. Eccleſiaſtic. teſtatur, quum ait, *ſe validis Patrum argumentis reſpondiſſe epiſtolæ Hildebrandi Papæ, quam ſcripſit ad Hermannum Metenſem Epiſcopum.*

Libri ſecundus & tertius de inſtituto refellunt Monachi cuiusdam Hirſaugienſis, Hæretici Hildebrandini, Epiſtolã contra Imperatorem Henricum & Clementem Papam, eorumq; fideles, quos ipſe calumnioſè Schiſmaticos vocat, in vulgus ſparſam. Eum ego conieci eſſe Bernardũ Corbeienſem, quem ex Hirſaugienſi ſchola, vt & Stephanum Hetrandum Epiſcopum Halberſtadenſem, alióſve eius temporis Hildebrandinos ſcriptores, prodiiſſe Bertholdus Presbyter, qui & Bernoldus, ipſe etiã Hirſaugienſis creatura, in Chronic. anno MXCI. & Trithemius in Chronic. Hirſaugienſ. auctores ſunt. Ad eam me coniecturam Bertholdus perduxit, qui ſuper Bernardo ſocio ſuo memorans ait; *Multa pro Catholicis contra Schiſmaticos ſui temporis elegantiſſimè ſcripſit: & primum quidem ad quoſdam ſuos amicos, de iudicio Gregorii Papæ VII. ſuper ſchiſmaticos, & de ſacramentis extra eccleſiam vſurpatis.* Nonnè talis eſt epiſtola illa, quam Waltramus confutandam ſuſcepit, cuius auctor *ſcribit vbique*

contra ſacramenta Chriſti & Eccleſiæ, vt habent Apologiæ verba lib. 2. cap. 6. Et ad vtrumq; poſteriorem librum annon referri debent ea, quæ ipſemet Bertholdus aduerſus eundem Bernardũ dicto loco ſcribit? *Poſtea*, inquit, *ad venerabilem Hartuigum Magideburgenſem Epiſcopum de eadem cauſa magnum librum luculentiſſimè compoſuit ex perſona Sanctæ Eccleſiæ, in quo teſtimoniis Sanctorum Patrũ omnes inſidioſas cauillationes eorundem ſchiſmaticorum prudenter annullaſſe videtur.* Noſter autem Apologetes lib. 2. cap. 2. dicit; *ſcribit ad omnes Eccleſias epiſtolam, in qua docere conatur eos, qui multò rectius, quàm ipſe, credebant.* Pergit Bertholdus: *Sed in eiſdem ſcriptis nimio zelo ductus, alicubi modum exceſſiſſe notatur: videlicet, vbi agit de ſacramentis ſchiſmaticorum. Negat enim omninò, ab eis & ab eorum communicatoribus ſacramenta poſſe confici, ita vt ab illis ordinatos ſi reſipiſcant, iterum ordinandos cenſeat. Sed hoc ſacratiſſimo Niceno Concilio, æquè vt Euangelia venerando, repugnat, quod Clericos ex Nouatianis conuerſos, cum ordine recipi, non iterum ordinari, præcepit. Idem Africani Patres, de Clericis Donatiſtarum conuerſis, ſtatuiſſe leguntur. Item Gregorius Papa Primus Maximum Salonitanum præſumptorem, excommunicatum, & ab excommunicatis ordinatum, cum ordine recepit, non vtique iterum ordinauit. Hoc ſanè illi nullatenus facerent, ſi nullum eos Ordinationis ſacramentum extra eccleſiam accepiſſe putarent. Item B. Anaſtaſius Papa ſcribens ad Anaſtaſium Imperatorem aſſerit, quod ordinatos ab Achacio, licet anathemiſato, nulla portio læſionis attingeret, quantum ad integritatem ſacramentorum. Item B. Auguſtinus in multis ſuis ſcriptis, & præcipuè in libro contra Donatiſtas. de Baptiſmo inuictiſſimè probat: & Eccleſiaſtica ſacramenta extra eccleſiam & haberi poſſe & dari; ſed pernicioſè, tam danti quàm accipienti. Hæc autem ſummatim tetigimus, vt in prædictis ſcriptis lectorem cautum faceremus; ne præproperè alicui ſententiæ aſſentiatur, quàm tam authenticis ſanctorum Patrum ſententiis aduerſari deprehendat.* Hæc ſunt, quæ & Waltramus ſibi libro tertio contellenda ſuſcepit, quamuis ea libri pars interciderit, vt planè de auctore illius Epiſtolæ iam minimè dubitandum eſſe videatur. Adiicit Bertholdus; *Cæterum ſi quis hæc plenius noſſe deſiderat, ſcriptum cuiuſdam ad eundem Bernhardum, de eadem quæſtione directum, diligentiſſimè perlegat, in quo teſtimoniis ſanctorum*

En tibi illuſtre exemplum eius, quod vulgo dici ſolet,

Nimiũ altercando veritas amittitur.

Patrum

Patrum euidentiſſimè docebitur, quid ſancti Patres de illa quaſtione cenſuerint ſentiendum. Verum idem venerabilis Bernardus in iſta, ſicut & B. Cyprianus in rebaptiſationis ſententia non pertinaciter contra Eccleſiā egerunt, ſed vtrumque, nimium contra Schiſmaticos Zelantes, aliquantulum regulam eccleſiaſticam exceſſerunt. Prout verba iſte loquitur, ſolus Bernhardus in illa hæreſi de reſacramentandis (vt ita dicā) ſchiſmaticis exorbitauit. Quem ergò alium quæremus hæreticæ huius epiſtolæ auctorem, quam duobus iſtis libris Waltramus expugnat? Porrò quòd Bertholdus nos relegat ad *ſcriptū cuiuſdam ad eundem Bernhardum*, ſcias id eſſe ipſius Bertholdi ſiue verius Bernoldi Conſtantienſis Presbyteri, publicatum nuper à Parricida Gretſero in Apologia Gregorii VII.

Hirſaugienſes Monachi, de quibus lib. 2. cap. 37. & 42 non ab habitatione ita dicuntur, vt falsò exiſtimauit Parricida, ſed ab ordine ſiue inſtituto & nouo vitæ genere per Guilhelmum Abbatem Hirſaugienſem in Germania dilatato, quemadmodum etiam Cluniacenſes, Ciſtertienſes, & alii quidam Ordines dici cœperunt. Contra hos Monachos etiam Laurishamenſium libellus ſupplex eſt conſcriptus; & eorundem epiſtola ad Papam & Imperatorem miſſa, plena querelarum aduerſus Hirſaugienſes exſtat in Chron. Laurishamenſi fol. 87. Videtur autem Guilhelmus Abbas hoc priuilegium à Papa impetraſſe, vt Monaſteria reformaret, & *Regularibus diſciplinis inſtitueret*, vt ſcribunt Berthold. in Chronic. A. D. 1091. & Trithemius in Chronic. Hirſaugienſ. quum tamen, ſi ipſam originem ſpectare velimus, potiùs Fructuarienſis Ordo iſte dicēdus fuerat, quàm Hirſaugienſis; primùm ab Hannone Colonienſi Archiepiſcopo in Germaniam ex Italia traductus. Auctor eſt Lambertus Schafnaburgenſ. in Chron. A. D. 1074. vbi de Hannone Romam ab Imperatore in cauſſa Imperiali legato miſſo: *Ad monaſterium quoddam, cui Fructuaria nomen eſt, cauſa orationis diuertit. Ibi admiratus Monachorum arctiſſimam, & ſecundum regulæ inſtituta conuerſationem, nonnullos eorum in opere Dei probatiſſimos ſecum rediens abduxit, & eos ad tradendam * Galliis eiuſdem diſciplinæ formulam in Sigeberg conſtituit: prioribus Monachis, quos ex*

*pro Germanis

S. Maximino aſciuerat, quoniam in horum inſtituta concedere noluerant, honorificè in locum ſuum remiſſis. Quod eius factum imitati cæteri Galliarum Epiſcopi, alij ex Gorzia, alij ex Cluniaca, alij ex Sigeberg, alij ex alijs Monaſteriis Monachos euocantes, nouam diuini ſeruitij Scholam in ſuis ſinguli monaſterijs inſtituerunt: adeoq; breui conualuit felicis huius facti æmulatio, vt pauca intra Galliam monaſteria videamus, quæ non iam nouæ huius inſtitutionis iugum ſubacta receperunt. Ipſe verò Monachos ſuos, iuxta quod in Fructuaria compererat, cernens arctiſſimis viuere diſciplinis, & conuerſationis eorum opinione longè latéque vulgata, multos ad mundi contemptum inflammari, & eorum magiſterio ſe in via Dei erudiendos tradere; magnas Deo gratias referebat, quòd non confudiſſet eum ab exſpectatione ſua: &c. Idem Lambertus A.D. 1071. *Hoc anno Coloniensis Archiepiſcopus, expulſis de Salefelt Canonicis, vitam illic inſtituit monaſticam, miſſis eò de Sigeberg & de S. Pantaleone Monachis, Quo in tempore & ego illuc veni conferre cum eis de ordine & diſciplina monaſterialis vitæ, eò quòd magna quædam & præclara de illis vulgi opinione iactarentur. Denique, ſicut vulgò aſſiduitate viluſcunt omnia, & popularium animi nouarum rerum auidi magis ſemper ſtupent ad incognita: nos, quos vſu nouerant, nihili æſtimabant, & hos, quia novum inuſitatúmque aliquid præferre videbantur, non homines ſed Angelos, non carnem ſed ſpiritum arbitrabantur. Et hæc opinio Principum quàm priuatorum mentibus altiùs preſſiúſque inſederat.. A quibus ad populum deriuatus rumor tantum terroris pleriſque in hac regione Monaſteriis iniecit, vt ad ingreſſum illorum aliàs* XXX. *aliàs* XL. *aliàs* L. *Monachi auſterioris vitæ metu ſcandalizati de monaſteriis abſcederent, ſatiúſque ducerent de ſalute animæ in ſeculo periclitari, quàm ſupra virium ſuarum menſuram vim facere regno cælorum. Et reverà non immeritò Dominus ſuper noſtrates Monachos deſpectionem effundere videbatur. Nam quorundam Pſeudomonachorum priuata ignominia nomen Monachorum vehementer infamauerat, qui omiſſo ſtudio diuinarum rerum totam operam pecuniis & quæſtibus inſumebant. Hi pro Abbatijs & Epiſcopalibus aures Principum importunè obtundebant, & ad honores Eccleſiaſticos non via virtutum (vt maiores noſtri conſueuerant) ſed per ambitionis præruptum, & malè partarum pecuniarum profuſionem graſſabantur. Denique in coemptionem exigui honoris aureos montes quotidie promittebant, ſecularéſque emptores*

largi-

largitionis ſuæ immoderantia excludebant, nec venditor tantum audebat expoſcere, quantum emptor paratus erat exſoluere. *Mirabatur mundus, vnde tantus pecuniarum ſcateret fluuius; vnde Crœſi & Tantali opes in priuatos homines congeſtæ fuiſſent, & eos potiſſimùm homines, qui Crucis ſcandalum & paupertatis titulum præferrēt, & præter ſimplicē victum & veſtitum nihil rei familiaris ſe habere mentirentur. Iſta Dominici gregis Zizania, hæc vineæ Dei arida ſarmenta & ſtipula æternis ignibus præparata, totum ſacri gregis corpus quaſi tabe quadam infecerant, & ſecundum Apoſtolum modicum fermentum totam corruperat maſſam, ita vt omnes ſimiles æſtimaremur, nec eſſe in nobis putaretur, qui faceret bonū, non eſſe vſque ad vnum. Propter hoc Principes Regni ad inſtituendam in Galliis diuini ſeruitij Scholam Tranſalpinos Monachos euocabant, noſtrates autem quicunque in illorum inſtituta vltrò concedere noluiſſent, de Monaſterijs cum ignominia eiiciebant. Ego tamen (vt prædixi) ad eos veniens, per* XIV. *hebdomadas apud eos partim in Saleſelt, partim in Sigiberg commoratus, animaduerti noſtras quàm illorum conſuetudines Regulæ S. Benedicti melius congruere, ſi tam tenaces propoſiti, támque rigidi paternarum noſtrarum traditionum æmulatores vellemus exiſtere.* Hæc paullò fuſiùs adſcripſimus, vt cum iis, quæ à Waltramo dicuntur, comparata dictis meis fidem concilient. An tandē etiam hæc Monachorum natio ſeſe in ipſum Hersfeldenſe Collegium inſinuauit? Namque in Hiſtor. Archiepiſcopor. Bremenſium, in Leimaro legitur; *Anno Domini* MC. *inſtituta eſt congregatio Monachorum in Herſenvelde.*

Verumenimuerò obiicere nobis fortè parricida volet, Baron. tom. 11.
Waltramum mutaſſe, & in ſententiam Hildebrandinorum an. 1097. n. 153.
conceſſiſſe. Idque argumento epiſtolæ Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi, quæ ſic habet: *Domino & amico Waltramo venerabili Epiſcopo Anſelmus ſeruus, Eccleſiæ Cantuarienſis Archiepiſcopus, ſalutem, ſeruitium, orationis, dilectionis affectum. Gaudeo & gratias ago Deo, quia, ſicut ſcribitis, glorificat eum in vobis Catholica Eccleſia: quoniam in veſtra mutatione diuinæ voluntatis apparet gratia, & Domni Papæ Paſchalis amicitiam habetis & familiaritatem, vt iam mihi liceat veſtram amicabiliter ſalutare ſanctitatem,* &c. Ergò, inquiet, ad communionem Eccleſiæ rediit, & Paſchalem Papam reco-

gnouit. De Paſchale Papa neſcio: in communionem Eccleſię cur non conſentire debuerit ille, qui vnitatis Eccleſiaſticæ vnicus fuit prædicator, fugit Anſelmum ratio, quam ex hac Apologia diſcere debebat. Nec me prætereunt mores illius ſæculi, quo vlulandum cum lupis fuit, & diſſimulandum in quibusdam propter metum Iudæorum, & loquendum cum multis propter pacem publicam ſeruandam: an verò ita ſenſerit, vt Anſelmus opinatur, anve ab Imperatoris partibus ad Papam defecerit, ſine vlla ambagū circuitione docebit te tractatus eius de inueſtituris ex induſtria aduerſus illum ipſum Paſchalem Papam compoſitus, à Schardio primum, dein Flaccio atque Wolfio publicatus, & digniſſimus Iureto, aliisvè doctiſſimis viris æſtimatus, qui ab eis comprobaretur. Quom tractatum minimè quidem inelegantem, tamen calumnioſus Parricida vocare non erubeſcit *commentationem ineptam prorſus, & plenam ignorantiâ veræ hiſtoriæ.* Sed audi Parricida; ῥᾴδιον τὸ μωμήσασθαι &c. Facile eſt reprehendere, ſed dicta factis exæquare difficile. *Vt pronum eſſet,* pergit Parricida, *oſtendere, ſi hoc nunc ageremus.* En Rhodus, ô Parricida, en ſaltus. Vnam tantùm profer falſitatem; plus non peto. Interim audi ſis vocem præconis; ἐσυκοφάντησας.

Obiit autem Waltramus ſiue Walrabonus Naumburgenſis Epiſcopus anno Dominicæ incarnationis MCXI. indictione IIII. eique Theodoricus in epiſcopatu ſucceſſit, vt ſcribit Paulus Langius Bozaugienſis in Chron. Citizenſi.

IVO CARNOTENSIS Epiſcopus.

Eſt inter Iuonis Epiſtolas numero LX. Ad quam Fr. Iuretus Canonicus Diuionenſis notat; *Baronius tomo XI. Annal. ſub anno Chriſti 1099. Pontificatus autem Vrbani duodecimo, adnotat hūc Legatum Apoſtolicum in culpa fuiſſe, qui rem exigeret nimis audacter & importune magno cum imperio; & addit, miniſtrum improuidum conieciſſe ſtatum Gallicanæ Eccleſiæ in magna diſcrimina. Demum liberè fatetur,* Baron. tom. II. an. 1099. nu. 3. 8. & 14.

Vrba-

Vrbanum Papam huius ſui Legati verbis ſtimulatum, vehemẽter in ipſum Iuonem fuiſſe commotũ, quia ſcilicet prudentiâ carnis & non ſpiritus, quæ perperàm facta ſunt à miniſtris, defendi ſolent. Baronii verba hæc ſunt n. 14. *Sed quoniã prudentiâ carnis & non ſpiritus perperàm facta à miniſtris defendi ſoleant ab eorum dominis, cum legibus diuinis atque humanis quenique peccantem pœna conſequi debeat, Vrbanus Papa humani quid paſſus, his Iuonis acceptis litteris à Legato, vehementer in Iuonem ipſum commotus eſt*, &c.

Pergit deinde Iuretus in Obſeruation. *Idem Baron. offenſus, quòd hîc dicitur, inueſtituram Epiſcopatus à Rege Galliæ factam nihil officere religioni: ſcribit reliqua huius epiſtolæ verba ſcabrioſiora planè eſſe, cùm de inueſtituris vetitis Ivo nimium abiectè loquatur, immò deſpectè multa ingerat, quæ niſi corrigerentur ab alijs eiuſdem auctoris epiſtolis, in maximum diſcrimen adduxiſſet famam ſuam & glorioſum nomen, quod ex defenſione Apoſtolicæ veritatis ſibi digniſſimè comparauerat.* Vide quàm ægrè ferat Tyrannica poteſtas, cuiuſmodi fuit Papana in rapiendis inueſtituris, ſibi contradici, & quæri; Cur hoc facis? Idem Bar. d.l. num. 8. & 9.

Quam autem (amabo te) cauſſam, ad ſtruendum manifeſtæ tyrannidi ſaltim honeſtum aliquod velamentum, prætexebãt Papæ, cur iura ſua Imperatori, Regibus, ad ſummã cunctis Laicis adempta vellent? *Simoniacam*, inquit Parricida, *beneficiorum nundinationem*, quæ pretio & pecuniis emi non debeant. Eia bone vir! Quid verò Paga & Carpinales veſtri? nonne pretium illius pagatum & carptum? nonne media pecuniarum oblatione negotiationes factæ Eccleſiaſticæ? Non longius abibimus: ab hac ipſa ætate exemplum dabimus, vt quid Papæ & Cardinales quæſierint in extorquendis inueſtituris, & an Simoni Mago magis quàm Petro Apoſtolo ſacrificare voluerint, ex ipſis primis auctorib. addiſcamus. Matthæus Paris Monachus Albanenſis in Anglia, anno Domini MCIII. *Tunc Sedes* (Romana) *clementiſſima, quæ nulli deeſſe conſueuit, dummodò aliquid albi vel rubei intercedat, præſcriptos Pontifices & Abbates ad priſtinas dignitates reuocauit, & cum gaudio ad proprias ſedes remiſit.* Et Willielmus Malmesburienſis in Vita Willielmi II. Regis, loquens de Herberto, qui magnus ſimoniæ in Anglia fomes

Abbatiam Epiſcopatumq́; nummis fuerat aucupatus à Rege: *Veruntamen*, ait, *erroneum impetum iuuentutis aboleuit pœnitentia, Romam profectus ſeuerioribus annis: vbi loci ſimoniacum & baculum & annulum deponens, indulgentia clementiſſimæ ſedis iterum recipere meruit: quòd Romani ſanctius & ordinatius cenſeant vt Eccleſiarum omnium ſumptus ſuis potius marſupiis ſeruiant, quàm quorumlibet Regum vſibus militent*. Hæc eſt illa Helena, quam Papa & Cardinales ambiuerunt. Prætereo infinita prouerbia lippis & tonſoribus nota, & ſermones vulgi à notionibus petitos, ſuper exſecrabili Romanæ Curiæ ſimoniâ & fœdiſſimâ nundinationis labe ſparſos; quæ malim ab illis cognoſcas, qui vobis talia ceu murices per vias obiectant.

Illud non volo nec debeo reticere, plurimorum tum in Imperio querelas ſubortas, qui Clero ingrati animi notam inuſſerunt, quòd ita temerè in iuris alieni tyrannicam vſurpationem Papis conſenſerint, vt Waltramus in tract. de Inueſtituris docet, & Theodoricus à Nyem Epiſcopus Verdenſis in tract. de Priuileg. ac virib. Imperii circa inueſtit. Epiſcopatuum. Otto Friſingenſis Epiſcopus in præfatione lib. 7. Chronici: *Non deſunt tamen, qui dicant Deum ad hoc Regnum imminui voluiſſe, vt Eccleſiam exaltaret. Regni quippe viribus ac beneficentia Regum exaltatam & ditatam nemo ambigit Eccleſiam: conſtátque eam non prius in tantum Regnum humiliare potuiſſe, quam ipſo ob amorem Sacerdotii euiſcerato ac viribus exhauſto, non eius tantum, id eſt, ſpirituali, ſed ſuo proprio materiali ſcilicet gladio percuſſum deſtruetur, quod iudicare vel diſcutere ſupra noſtras vires eſt. Videntur tamen culpandi Sacerdotes per omnia, qui Regnum ſuo gladio, quem ipſe ex Regum habent gratia, ferire conantur.* Nicolaus quoq; Cuſanus Cardinalis Romanus de Concord. Catholica lib. 3. cap. 29. audacter adſerit, non ſolùm puras inueſtituras fuiſſe attractas ab Imperatore per Romanum Pontificem: ſed etiam tantum pecuniæ corrogatum, vt per Germaniam omnes ſe grauatos & deſtructos conquererētur. adiicit, rabidum appetitum ambitioſis Epiſcopis ita ineſſe, vt de temporalibus omnis cura ſit, de ſpiritualibus nulla. *Non fuit*, inquit, *iſta Imperatorum intentio, non volebant ſpiritualia à temporalibus abſorberi.*

à Papa deſtructum eſt Imperium.

beri. Audin' Parricida, quid iſte Cardinalis dicat?

Verùm de re tota inueſtiturarũ videndæ omnino eiusdem Iureti elegantiſſimæ Obſeruation. ad d. epiſt. 60. epiſt. 157. epiſt. 190. epiſt. 236. Quod ad hanc noſtram Epiſtolam attinet, in qua Iuo ait; *Nec iſta dico tanquam velim aduerſus Apoſtolicam Sedem caput erigere:* Baron. d. tom. 9. Annal. 1099. num. 11. adnotat, *antidotum hoc ab auctore appoſitum fuiſſe, quia in deteriorem partem ſuperiora de inueſtituris accepta videri poterant virus habere.* Sed Iuretus Baronio & doctior & cordatior, obſeruat, *æquis rerum æſtimatoribus auctoris ſententiam reprehendi vix poſſe. Nam & aliis locis ita ſe adherere Romani Pontificis decreto profitetur, ſi modò ſalua Reipub. Chriſtianæ concordia, inueſtituræ à laicis fieri ſolitæ tolli poſſunt, nimirum illud vetus Oraculum ſemper fixum eſſe oportet;* SALVS POPVLI SVPREMA LEX ESTO.

SIGIBERTVS GEMBLAcenſis Abbas.

Anſelmus Abbas apud Monachũ Nuſſienſem Collectorem Magni Chronici Belgici, fol. 144. *Sigibertus venerabilis Monachus Gemblacenſis Cœnobij, vir in omni ſcientia literarum, incomparabilis ingenii,* &c. Trithemius Abbas in lib. de Scriptor. Eccleſiaſt. *Sigebertus Monachus Gemblacenſis Ordinis S. Benedicti, natione Gallicus, vir in diuinis Scripturis à iuuẽtute ſua ſtudioſiſſimus & multum eruditus, atque in ſecularibus literis nulli ſuo tempore in Leodienſium territorio ſecundus, carmine exercitatus & proſa. Reprehenditur autem in eo, quod Henrico Imperatori Romanæ Eccleſiæ perſecutori & rebelli adhærens, contra Hildebrãdum Gregorium VII. Papam literas & Opuſcula ſcripſit, quæ ſuum propoſitum non decebant.* Itane Trithemi, dedecebat Monachum Epiſcopi ſui præcepto non iniquo obtemperare? Quidquid enim Sigibertus fecit, id iuſſu ac mandato Otberti Leodienſis Præſulis, quicum degebat, feciſſe memoratur, à quo & ad Gemblacenſium ſuorum Abbatiam deſtinatus fuiſſe perhibetur. Inter opuſcula eius leguntur; *Contra Papam Gregorium lib. I.* hoc eſt, contra Gregorii Papæ epiſtolam ad Hermannum

Metenſem Epiſcopum. Item, *Apologiam ad Imperatorem lib. I.* Non ergo hanc Apologiam, quam auctori ſuo Waltramo liberali manu vindicauimus; quippe quæ non ad ipſum Imperatorem directa ſit, ſed pro Imperatore & eius fidelibus contra Monachum quendam Hirſaugienſis Ordinis, quemadmodum ſupra demonſtrauimus. Denique, *Contra Epiſtolam Paſchalis Papæ lib. I.* Quam hanc ipſam eſſe nomine Leodienſis Eccleſiæ ſcriptam ecquis ambiget? Aut putabitur Eccleſia preſſa & anxia ſalutis alium quæſiuiſſe, à quo in iuſtitia ſua defenderetur, quàm eum, qui, vt Trithemius ait, *nulli eo tempore fuit in Leodienſium territorio ſecũdus*? quiuè in priuilegiis Eccleſiæ fuit verſatiſſimus, iuris diuini & humani peritus, & in rebus publicis quà Eccleſię quà Imperii exercitatiſſimus? Hæc primum edita fuit Colonię in Tomis Conciliorum; ſed à poſterioribus editoribus, Neronis & Simonis Magi ſucceſſores in Babylonico Romanorum Imperio, in quod auctor iſtius Epiſtolæ inuehitur, adulantibus, reſecta & in Binianis Tomis, vt alia id genus plura, prætermiſſa eſt.

OTBERTVS LEODIENSIS Epiſcopus.

Monachus Auguſtinianus Nuſſienſis in Magno Chronico Belgico opera Ioh. Piſtorii edito: *Defuncto bonæ memoriæ Henrico Leodienſi Epiſcopo, Obertus ex Clero eiuſdem Eccleſiæ canonicè electus ſuccedit. Qui Obertus fuerat Præpoſitus S. Crucis in Leodio, & per Epiſcopum Henricum eiectus, ſeruiuit fideliter Imperatori Henrico in parte Guiberti Rauennatis: & ita donatus eſt et Epiſcopatus ſub illius temporis ſtatu. Cœpit autem anno Domini MXCII. Pontificatus Vrbani huius nominis II. Papæ Romani, anno V. præfuit annis XXVIII. Ordinatus eſt ab Hermanno huius nominis III. Archiepiſcopo Colonienſi XXXVI. Præſulatus eiuſdem IIII.* Sed, quæret ex me quiſpiam, vnde coniecisti, hunc eſſe auctorem Parentationis in funere Henrici Imperatoris? Multis rerum argumentis, quæ volo tibi breuiter commemorare. Primùm quia ſcriptor fatetur ſe Imperatori familiarem

& ab arcanis fuiſſe conſiliis: Cuiuſmodi dignitate functus in Palatio fuit Otbertus. Deinde quia ſcriptor Imperatori & Clementi Papæ adhæſit contra Anticæſares & Gregorium, Vrbanum, Paſchalem Pontifices Romanos: ſimiliter fecit Otbertus. Tum quia ſcriptor teſtatur omnia ea, quæ præſens in moribundo Cæſare, eiuſque exſequiis atque iuſtis contingi viderit: at Otbertus non ſolum morienti Cæſari affuit, ſed & ſacris ritu Chriſtianorum ſollemni impertitus, corpusq; defuncti Imperiali pompa extulit, & in loco ſacro contra Papale interdictum condidit. Denique quia ſcriptor in præliminari epiſtola de Imperatore, *qui ſpes mea* (inquit) *& vnicum ſolatium fuit.* Et iterum; *iuuat me de eo ſcribere, iuuat indulgere dolori, & mortuum flere, qui dum viueret gaudium meum fuit.* Quæ, & ſimilia alia verba, non ſunt plebeii alicuius aut priuati hominis, non tenuis & deſpecti Aulici; ſed Principis, eiuſdemque in Imperio & Palatio Cæſareo potentis, cui ve Imperator non dedignatus ſit ſeſe familiarem & amicum reddere coniunctiſſimum. Talis Henrico fuit Leodienſis iſte Otbertus, qui quàm Imperatorem mutuiter redamauerit, quámve in extremis periculis ei fidus amicus exſtiterit, vel ex pag. 222. cognoſcere licebit, vbi ſcriptum eſt; *Cum iam inſtante Paſcha* Imperator *recedere* Leodio *vellet, Epiſcopus & Henricus Dux* Limburgenſis, *qui & ipſe ab Epiſcopo fuerat inuitatus, eum recedere prohibebant: non ſe poſſe pati vt in tanta feſtiuitate è tectis hominum ſyluas peteret latebrasq; ferarum: illum quidem abſque cauſa deſtitutum Imperio, ſed non* AMICORVM *obſequio:* &c. Et pag. 223. *Imperatorem conſiliis & precibus vrgebant, vt Imperialem dignitatem,* &c. *reſumeret, ſe ſibi nec armis defore nec animis.* &c. Quin ex toto filo & ductu orationis manifeſtè apparet, parentatorem hunc vnum aliquem ex Optimatibus fuiſſe, qui fidem in arcanis Palatinis ac Imperialibus & auctoritatem obtinuerit. Is autem, ad quem ſcribit, aut vehementer animi fallor, aut fuit Gualcherus Cameracenſis Epiſcopus, quo Otbertus familiariſſimè ſemper vſus eſt, & propter fidem Imperatori ſeruatam exſulanti magnum præbuit ſolatium.

Abbas Swarzahenſis in Chronic. Anno Domini 1106. *Leodi-*

enſis Epiſcopus, cæteriq; Coepiſcopantes, inter cætera recipiuntur in communionem pœnitentiæ, hac conditione, quò cadauer ipſius excommunicati Imperatoris, *per ſe pridie in monaſterio tumulatum, effoderent: & absque vlla ſepulturæ vel exequiarum communione in loco conſecrato deponerent, comprobantibus his, qui aderant, Archiepiſcopis & Epiſcopis:* &c. Hanc vim & immane facinus abs ſe amoliri & depellere Otbertus hac ratione molitur; quia cuncti ſocii *mortua ſpe ſua animis & viribus deficiebant, & quod in illo rerum articulo faciendum fuit, ad gratiam Regis deditione, pecunia, quóque modo quisque poterat, recurrebat.* Obiit autem Otbertus anno Domini MCXIX. vt ſcribit Dodechinus Abbas in Append. ad Mariani Scoti Chron.

LAVRISHAMENSES. Monachi.

Horum Libellus ſupplex ad Imperatorem exſtat in Chronico Laurishamenſi, fol. 84. vbi & alia eorundem refertur querela ad Paſchalem Papam & Henricum Imperatorem eo nomine Quintum inſtituta, Hildebrandinam Hirſaugienſium Monachorum tragœdiam explicans, fol. 87.

EBERHARDVS SALTZBVRgenſis Archiepiſcopus.

Huius orationem recitat Iohannes Auentinus lib. 7. Annal. Boior. cui multa fides arbitranda ideò cenſetur, quod à fauore pariter atque odio alienus, nulliq; addictus parti, ad ſcribendum acceſſerit, & pleraque omnia Bauaricarum Noricarumque Bibliothecarum ſcrinia peruolutarit, narrationesque momenti maioris diligenter exſcriptas in Annalibus ſuis compilauerit; quarum autogapha aut bellis poſteà & ſeditionibus ſubortis aſſumpta fuerunt, aut inimicis Hildebrandinorum & Papanorum manibus (quod dolendum eſt) periuerunt.

FER-

FERDINANDVS & MAXIMIlianus II. Imperatores.

VIA REGIA integra ab Iohanne Wolfio IC. relata eſt in tom. 2. Lection. memorabil. & recondit. centen. 16. anno 1532. Particula autem, quam inde libauimus, legitur fol. 375. & ſeq. item fol. 388. & ſeq. Sacræ denique Imperatorum litteræ, ne quis inſcriptionem noſtram in dubium reuocet, ab ipſo Wicelio editæ, in limine Viæ Regiæ ponuntur fol. 354. & ſeq.

DISSERTATIO
De Auctoribus, quorum ſcripta aut latent, aut perierunt.

HVGO BLANCVS CARDINALIS Romanus.

HVGO BLANCVS, qui & CANDIDVS, interim etiam ALBVS dicitur, Romanæ Eccleſiæ PRESBYTER CARDINALIS titulo S. Clementis, libellum *de Vita Hildebrandi Papæ & ſceleribus* perſcripſit, eumque Imperatori & Eccleſiaſticis Imperii Ordinibus Wormatiæ in Comitiis exhibuit circiter annum Domini MLXXVI. De quo Lambertus Hersfeldenſis Monachus, ſed ſuperſtitione ſimul & auctoritate eius, cui ex Monaſterio Hersfeldenſi abductus parebat, Imperatori eiusq; fidelibus iniquior, in Chronic. ad illum annum ſcribit; *Commodè conficiendis tantis rebus interuenit quidam ex Cardinalibus Romanis, Hugo cognomento Blancus, quem ante paucos dies propter ineptiam eius & mores inconditus Papa de ſtatione ſua amouerat, deferens ſecum de*

vita & inſtitutione Papæ ſcenicis figmentis conſimilem tragœdiam. ſcilicet vnde oriundus, qualiter ab ineunte conuerſatus, quàm peruerſo ordine Sedem Apoſtolicam occupauerit, quæ ante Epiſcopatum, quæ poſt acceptum Epiſcopatum, memoratu quoque incredibilia flagitia commiſerit. Huius authoritatem tanquam diuinitus ſibi deſtinatam gratiſſimè amplexati, (ſc. Imperator, Epiſcopi & Abbates Imperii) *& promptiſſimè ſecuti, ſententiam promulgarunt quod Papa eſſe non poſſit*, &c. Huius ſcripti & auctoris meminit conſimiliter vitiatæ farinæ ſcriptor Domnizo Presbyter in Vita Mathildis Comitiſſæ, cuius verba refert Baronius in Annalibus. Quid autem Parricida noſter? ad ingenium conuerſus, id eſt, ſolle nnem contumeliæ turpitudinem, quippe qui alium gladium, quo ſeſe & cauſſæ ſuæ falſitatem tueatur, non habeat; *Quàm ignotus* (inquit) *Hugo Blancus ſeu Candidus?* & quæ ſequuntur Parricidalia dicta. Scilicet ignotus eſſe potuit Romanæ Eccleſiæ Archipresbyter Cardinalis, & quidem is, qui ſub tribus Papis in ſumma dignatione & auctoritate floruit. Num cuiquam Parricida perſuadere poterit, ignotũ eſſe eum, qui ab Alexandro Papa, ex Concilio Mantuano Legatus miſſus in Hiſpaniam, ſua auctoritate Concilium Barcinone celebrauit, & Leges Gothicas, quibus Catalauni vtebantur, * nouis ſubſtitutis, abrogauit, vt ſcribit Baronius in Annal. tom. 11. anno 1064. n. 42? Qui omnium Cardinalium nomine populum Romanum allocutus, Hildebrandũ Papam electum publicè commendauit, ſi quidem vera ſunt, quæ in Actis Vaticanis de rebus geſtis Hildebrandi commemorantur? Qui iterũ Legatus ab Hildebrando Papa in Hiſpanias miſſus, ab eodem de optima nota Cluniacenſium Abbati commendatur, vt videre eſt in Regiſtro Gregorii VII. pp. lib. I. epiſt. 6? Qui Comitiis Imperii Eccleſiaſticis interfuit, & inter Principes primario loco aſſidere permiſſus eſt, vt ex Lamberto, Auctore vitæ Anſelmi Lucenſis, & aliis colligitur? Qui Dux Schiſmaticorum à Baronio appellatur d. tom. 11. Annal.? Qui tamquam vir ſummæ atque primæ exiſtimationis, quater à Papa excommunicatus fuit, vt idem Baron. auctor eſt? Qui promotor exſtitit Guiberti Papæ, cui poſt electionem Clementi *III.* nomen

* *De quib. Vincentius Belouacenſis in Specul. l. 26. c. 84. vbi vocatur Hugo Catalaunenſis, de quo nos ſupra in Replicatione cap. 30.*

nomen inditum, vt in Vita Anſelmi Lucenſis legitur? Hic eſt obſcurus ille & ignotus Cardinalis: qui ſi pro Papa contra Imperatorem ſcribere inſtituiſſet, nemo illo celebrior, nemo notior, nemo præclarior huic Parricidæ & eius ſociis frequentaretur.

Wecilo Mogvntinvs *Archiepiſcopus, & S. Rom. Imperii per Germaniam Archicancellarius.*

Hic tractatum ſcripſiſſe perhibetur contra Hildebrandi Papæ iniuſtum anathema in Imperatorem Henricum IV. Aug. cui titulum fecerit; *Quod ſecularis ſpoliatus rebus ſuis non poſſit ab Eccleſiaſtico iudice vocari, iudicari, ſiue condemnari.* At Henricus erat imperio ſuo & regalibus ſpoliatus, quum ab Hildebrando & Synodo Romana excommunicaretur. Quam excommunicationem Wecilo docuit fuiſſe iniquam, iniuſtam, inualidam atque irritam. Ioan. Trithemius Abbas Spanhaimenſis in Chronic. Hirſaugienſ. anno MLXXXV. *Synodus magna Epiſcoporum & Abbatum Moguntiæ in monaſterio S. Martyris Albani, iuſſu Henrici Regis contra S. Papam Gregorium VII. celebratur, cui ipſe cum Legatis Antipapæ Clementis perſonaliter interfuit, & omnes contra Gregorium in obedientiam ipſius Clementis iurare potentialiter compulit. Huic Synodo præſedit Wetzilo Archiepiſcopus Moguntinus, qui Gregorium Papam depoſitum pronuntiabat. Erat autem iſte Wetzilo vir doctus, tam in diuinis ſcripturis quàm in literis ſecularibus, eloquio dulcis & facundiſſimus, tantusque verbi Dei prædicator ſuo tempore habitus eſt, vt ſimilem habuerit neminem.* Ab hoc auctore Wecilini dicebantur, idem cum illo ſuper iniuſta Hildebrandi excommunicatione ſentientes, quorum iuſtiſſimum dogma contra omnes diuinas humanas leges damnatum eſt ab Hildebrandinis in Pſeudoſynodo Quedelnburgenſi, eodem anno per Hermannum Anticæſarem conuocata; de qua Bertholdus in Chronic. anno MLXXXV. *Item ſecta Wecilonis, eiusque ſociorum, ſub anathemate damnata eſt, quæ aſſerit, ſeculares ſuis rebus exſpoliatos eccleſiaſtico non ſub-*

ſcere iudicio, nec excommunicari poſſe pro ſuis exceſſibus; quæq; excommunicatos absque reconciliatione recipi poſſe, contendit. Abbas Swarzahenſis in Chron. quod Vrſpergenſis continuauit, an. MLXXXV. *Condicto tam ab inimicis, quam amicis Imperatoris Colloquio, in Thuringia loco, qui Berchach dicitur, conueniebant ex vtraque parte, quicunque ſapientiſſimi de Optimatibus iudicabantur, Canonum authoritate probaturi, cui parti iuſtitia faueret, Imperatore tamen abſente: ſic enim ipſe conſenſit. Electis igitur ſatis literatis, & eloquentibus viris, hinc Wecilone Moguntino, illinc Gebehardo Saltzburgenſi Archiepiſcopis, diſputatio cœpta eſt. Affirmat Gebehardus, proponente hoc prius Wecilone, Imperatorem non iniuſto iudicio, tam Regnò quàm communione, Apoſtolici ſententia priuatum: econtra Wecil Dominum ſuum præiudicium non minus à Papa, quam à Principibus paſſum contendit, dum ipſo apud Canuſium in ſatisfactione poſito, imò iam à Papa in communionem recepto, alterum ſuper ſe Regem eleuarent. Adiecit etiam idem Moguntinus, quod Imperator diu iam à Saxonia depulſus, & regnandi copia etiam ab illa diſſenſione, quæ ante* RVODOLPHVM *facta præſcribitur, ſpoliatus, nec vocari, nec iudicari, nec damnari canonicè debuiſſet. Hoc Gebehardus improbare nitens aſſerit, neminem per hoc diuinis abſolutum legibus, ſi forte ſua qualibet re familiari fuerit ſpoliatus, quanto minus Rex, qui Saxonia, qua non ſuum duntaxat prædium, ſed Domini ſit regnum, qui Daniele, vel ipſo Rege Nabuchodonoſor teſte, cuicunque voluerit dat illud: cum etiam ante amiſſam Saxoniam prius ab Alexandro, dehinc à Hiltebrando vocatus ſatisfacere contempſiſſet. Sic itaque vtrinque parte ſua fauente atque acclamante diſceſſum eſt. Notum tamen eſt, quòd eandem ſententiam aduerſarii Imperatoris tanto inſequebātur zelo, vt habito poſtmodùm in Quintilingoburg Concilio, vbi Otto Epiſcopus Oſtienſis interfuit Legatus Hildebrandi Papæ, ipſam nimiùm ventilantes, hæreſim Wecilonis, ipſumque Hæreſiarcham appellarent, contra fidem ſcilicet illum dogmatizaſſe culpantes, quòd quandiu quis ſuis ſpoliatus ſit rebus, diuinis non ſubiaceat legibus.* Videndus Waltramus Apolog. lib. 2. cap. 19. Idem ipſe Hildebrandinus hæreticus Bertholdus, quamuis Weciloni aduerſarius exſtiterit, eruditionis tamen laudem ei adimere nō eſt auſus. Adſcribam verba, licet peracerba, quippe ab hoſte profecta: Anno MLXXXVIII. inquit; *Wecilo Moguntinenſis, & Megenhardus*

hardus Wirceburgenſis Pſeudoepiſcopi, inter Schiſmaticos eruditione præcipui, abſq; eccleſiaſtica communione in locum abiere.

ENGILBERTVS TREVIRENSIS ARCHIEPISCOpus, & S. Rom. Imperii per Galliam Archicancellarius.

Huius exſtant aliquot Epiſtolæ ad Henricum IV. Imperatorem, & alios, contra Hildebrandum Papam, quas me bona ſpes fouet fore, vt breui impetratas alicunde auferam. Earundē etiā meminit auctor Geſtorū Treuirenſiū, Monachus S. Matthiæ Treuirenſis, quē nos Golſcherū eſſe nō putamus, ſed perſuaſiſſimi ſumus, & nuper Frehero noſtro edendum commiſimus. Porrò huius Engelberti Archiepiſcopi eſt Epiſtola illa ἀνώνυμος ad Conciliū Wormatienſe, in quo Hildebrandus eſt depoſitus, à nobis relata tom. I. Cōſtitut. Imperial. fol. 46. in fin.

HARTWICVS MAGDEBVRGENSIS ARCHIEPIſcopus, qui poſtea factus eſt Saxoniæ Patriarcha, & Germaniæ Primas.

Hartuuicus iſte ex Archiabbate Herſfeldenſi ab Imperatore Henrico IV. electus ad Archiepiſcopatum, pacis ſe præbuit ſtudioſiſſimum & aſſiduum mediatorē inter Saxones Hildebrandinos & Imperatorem eiuſq; fideles. Feruntur alicubi exſtare eius *Propoſitiones de pace inter vtramq; partem facienda*; quas tamen fruſtra vſque fui, dum ſollicito. Sanè ſuadæ medullam eſſe oportuit, qui arctiſſimū illud Saxonicæ fœderationis vinculum potuit laxare, & multos Saxonum ad Imperatoris partes retrahere, aliorum etiam plerorumq; ferociam emollire, vt Hiſtorici tradūt, & ipſius Suffraganeus Waltramus ſcribit, lib. 2. Apolog. c. 28. vbi inter cætera legitur; *Abbas eiuſdem loci, dictus quoq; & ipſe Hartuuicus, ſucceſſerat illi dānato & depoſito* (Hartuuico) *in Epiſcopatum Magdeburgenſis Eccleſiæ, Imperatore & cæteris Principibus Regni plurimum annitētibus ſuper electione eius & ordinatione, quoniam præter id, quod apprimè inſtructus & eruditus eſt tā moralibus diſciplinis, quàm ſacris Scripturis, in hoc quoq; ipſe placuerat eis, quia id, quod Imperator non potuit efficere totis viribus Regni, hoc ipſe perfecit ex induſtria ſapientis ingenii; ſcilicet vt diuideretur vnitas peruerſorum, quum non poſſet per diſciplinā rei militaris emolliri duritia Saxonū,* &c. Quo-

modo autẽ & à quo fuerit conſecratus, quorumue malitia Sede ſua pulſus in Archiabbatiam ſuam redierit, idem eodem in capite commemorat. Super eius obitu Abbas Swaieahenſis in Chronic. *Hartuuigus*, inquit, *Magdeburgenſis Archiepiſcopus obiit vir per multa laudibilis, maximè tamen popularibus, & Eccleſiæ, cui præerat, vtilitatibus multum inſudans dilatandis, pro ſchiſmate quoque ſæpe dicto reſarciendo inter vtramque partem mediator infatigabilis.*

VENERICVS VERCELLENSIS EPISCOPVS, ET Imperialis Aulæ per Italiam Cancellarius.

Sigibertus Gemblacenſis in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, cap. 161. *Wenericus ex Scholaſtico Treuerenſi Epiſcopus Vercellenſis, ſcripſit librum ſub perſona Theodorici Virdunenſis Epiſcopi, ad Hildebrandum, ſiue Gregorium Papam, De diſcordia Regni & Sacerdotii, non eum increpans, ſed vt ſeniorem obſecrans, & patrem, & amicabili inductione quaſi affectu dolentis ſuggerens ei omnia, quæ contra ius legum, & fas religionis eũ feciſſe, & dixiſſe diuulgabat loquax fama.* Trithemius Abbas Sphanhamenſis in Catalogo Illuſtriũ virorũ; *Wenericus ex Clerico Treuerenſis Eccleſiæ Epiſcopus Vercellenſis vir in diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, ſecularriumq́; literarum non ignarus, ingenio promptus & clarus eloquio:* &c *In ea diſcordia, quæ fuit inter Hildebrandũ Papam Gregorium VII. & Henricum Imperatorem huius nominis IV. ſcripſit ſub perſona Theodorici Virdunenſis, cum ipſe adhuc Treueris eſſet Clericus, ad eundem Papam Gregorium diuinis ſcripturis inſtructum volumen,* &c. *quod de Diſcordia Sacerdotii & Imperii prænotatur, lib. 1.* Et in libro de Scriptorib. Eccleſiaſticis; *Wenericus Epiſc. Vercellenſis* &c *natione Theutonicus, vir in diuinis ſcripturis eruditus, & in diſciplinis ſecularium literarũ ſufficienter inſtructus, nomen ſuũ ſcribẽdo notificauit poſteris, quãuis ad noſtræ lectionis notitiã eius opuſcula non peruenerint.* &c.

De eius obitu Bertholdus Conſtantienſis, ſcriptor Hildebrandinus, ita tradit in Chron. MLXXVII. *Wercellenſis quoque Epiſcopus, depoſiti Regis Cancellarius, cum omnibus ſuis ſequacibus, Colloquium generale circa Calendas Maii in Runcalibus condixit, vt ſi aliquo modo poſſet, Gregorium Papam deponeret: ſed ipſe ad eundem terminũ abſque Eccleſiaſtica communione, vitam ſimul & Epiſcopatum heu miſerabiliter depoſuit, quo ille Papam nefaria præſumptione ſtatuit deponere.*

THEO-

THEODORICVS VIRDVNENSIS Epiſcopus.

Huius Epiſcopi nomine illum, quem modò diximus, librũ Venericus ad Hildebrandum inſtituit. Qui tamẽ & ipſe poſteà ſuo marte acres aduerſus eundem Pſeudopapã libros compoſuit, de quibus Golſcherus Monachus S. Matthiæ Treuerẽſis, ſed hæreticus Hildebrandinus, in Chronic. Treueren. ſcribit in hæc verba; *Hic, quem iam nominauimus, Theodoricus de ſæpe dicto Gregorio Papa libros duos edidit, in quibus mendaciis multis compilatis, quæ non ipſo meliùs concinnare quis nouit, Gregorium infamem fecit; Regis verò & ſui Papæ* (Clementis III) *innocentiam & ſanctitatem commendauit. Pro quibus editis iſte, de quo loquimur, Engelbertus* (Archiepiſcopus Treuerenſis) *Abbatiam S. Martini ſuper litus Moſellæ defuncto beatæ memoriæ Sigiberto Abbate, eadem die illi retributionem dedit.* Huius item Theodorici eſt illa Epiſtola ad Concilium Wormatienſe perſcripta, & à nobis in tom. I. Conſtitut. Imperial. fol. 46. repoſita circa medium.

WILHELMVS TRAIECTENSIS Epiſcopus.

De hoc Lambertus Schafnaburgenſis Monachus, ſed & ipſe Hęreticus Hildebrãdinus, de Rebus German. anno 1076. *Wilhelmus Traiectenſis Epiſcopus, qui cauſam Regis pertinaciùs tuebatur,* &c. *Is eo tempore Regi admodum carus acceptuſque erat, eique Rex omnium, quæ priuatim vel publicè agenda erant, poſt ſe ordinationem delegauerat, vir ſecularibus literis apprimè eruditus, ſed faſtu nimio inflatus vix ſe ipſe ferebat.* Et non ita multò poſt; *Wilhelmus Traiectenſis Epiſcopus cauſam Regis (vt ſuprà dictum eſt) contra bonum & æquum obſtinatè tuebatur, & ſtudio partium Regis, multa in iniuriam Romani Pontificis, omnibus penè diebus ſolemnibus, inter Miſſarum ſolemnia, rabido ore declamabat: periurum eum, adulterum, & Pſeudoapoſtolum appellans, & tam à ſe quàm à cæteris Epiſcopis ſæpenumero excommunicatum pronuncians.* Subiicit deinde de obitu & deſperatione ipſius Epiſcopi, propter commiſſas in Hildebrandum offenſas, mẽdacis alicuius Hęretici figmentum & monaſticæ famę fabulam, quã ne ipſe quidem Lambertus veram crediſſe videtur, dum ait,

vt aſſerunt, quæ dubitantium eſſe phraſis ſolet. Sanè eam de induſtria prætermiſit Bertholdus, cæteroqui eorũ caſuũ, ſi quos indagare potuit, infenſiſſimus exſecutor. Qui quidē Lamberto ex diametro aduerſari videtur, ſcribens; *Wilhelmus Traiectēſis Epiſcopus, multa in Apoſtolicum conuiciatus, ſubitanea morte, abſque Eccleclesiaſtica cōmunione, poſt Paſcha multatur.* Quomodo *ſubitanea morte multatur*, qui ægritudine correptus tam longos logos ad adſtantes fecit, quos Lambertus commemorat?

MEGINHARDVS WIRCIBVRGENSIS *Epiſcopus.*

Abbas Swarzahenſis in Chronic. ann. MLXXXV. *In locum Adelberonis Meginhardus conuerſatione probabilis, literis etiam & ingenio atque facundia nulli penè ſecundus, Wirciburgenſi Eccleſiæ Præſul ordinatur, dignus qui alius temporis eſſet Epiſcopus.* Et Erpheſſordenſis Monachus hæreticus Hildebrandinus in Addition. ad Lāberti Herſfeldenſ. Chronic. anno 1085. *Meginhardus quidam doctiſſimus, ſed non ſecundùm ſcientiam, Wirceburgenſis Eccleſiæ, viuente Adelberone adhuc Epiſcopo ſubſtituitur.*

GVNIBERTVS CANONICVS BABEBERGENSIS.

Scripſiſſe videtur librum de Primatu Papæ Romani, contra Hildebrandum, qui ſe omnés iudicare, & à nemine iudicari poſſe aſſerebat. Bertholdus Conſtantienſ. in Chronic. anno MLXXXV. *Quidam Babenbergenſis Clericus, nomine Gunibertus, Romani Pontificis primatui derogare volens, in mediam Synodum ſe contulit, aſſerens, Romanos Pontifices, hunc ſibi primatum aſcripſiſſe: non aliunde conceſſum hæreditaſſe, videlicet, vt nullus de eorum iudicio iudicare debeat, nec illi alicuius iudicio ſubiaceant.*

EPILOGVS.

Hi ſunt Scriptores, qui cauſſam non modò Henrici IV. Imperatoris; ſed & omnium eius ſucceſſorum, atq; adeò ipſius Sacratiſſimi Domini noſtri RVDOLPHI II. & totius Imperii Theutonici, aduerſus Hildebrandi Pſeudopapæ & omnium eius ſucceſſorum tyrannidem, atq; ad [illegible] ipſius Sedis Romanę Antichriſtianam rabiem, viriliter tuti ſunt: quos quidem nos in tam breuiu[illegible] temporis articulo indagare potuimus. Sunt enim alii multò plurimi, de quibus in pręſentiarū non licuit [illegible]quirere, ita ſubita hęc opera deproperanda fuit: dicturi aliquando, ſi Deus votis noſtris adſpirauerit, & otium ac facultatē fecerit. Porrò ſcribit Huttenus, ſe libros quinq; de vita Henrici IV. Imp. in Bibliotheca Fuldenſi repertos olim edidiſſe. Qui, ſi per eum, cuius ſunt in manu, licuiſſet, cumulum huius collectionis indubiò accompleturi fuerant. Sed quod differtur, non aufertur. Interea hoc Marte contenti ſumus. Haue, Lector; &, ſi es patriæ ſtudioſus, faue.

BENNO

Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi

BENNONIS

CARDINALIS PRESBYTERI S. Romanæ Eccleſiæ

DE VITA ET GESTIS HILTEbrandi, qui Romanus Pontifex factus, Gregorius VII. eſt dictus.

LIBER I.

REVERENDISSIMÆ MATRI ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, deuotus filius eius & humilis ſeruus, BENNO, *Cardinalium Archipresbyter.*

CVM de omnibus Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ferè ſolus Euſebius Liberium Papam declarauerit hæreticum, & Clerici Romanæ Eccleſiæ Anaſtaſium ſecundum, duas Eccleſias excommunicatis communicando facientem damnauerint, non abſurdum exiſtimaui, maiorum noſtrorum nomina atque dignitates memoriæ commendare, qui Hiltebrandum reliquerunt, cuius intolerabiles & grauiſſimos errores publicè deteſtati, nunquam ad eum reuerſi ſunt. Diuerſas etiam ſcholas Romanæ Eccleſiæ litteris adnotauimus, quæ ab eius communione receſſerunt. Leo tunc temporis archipresbyter Cardinalium, & Benno & Vgo, *Hiltebrandus.*

A quibus & cur deſertus ac damnatus.

baldus, & Ioannes Cardinalis, & Petrus Cancellarius & Cardinalis, ordinati ante tempora Hiltebrandi: Natro, Innocentius, Leo, hi tres ab eo conſecrati, deſeruerunt eum, errores eius execrati: ſimiliter Theodinus Archidiaconus, quem ipſe conſtituit Archidiaconum, & alii Cardinales Diaconi: Ioannes, modò Archidiaconus, & Creſcentius, Ioannes, Primicerius ſcholæ cantorum, cum omnibus ſuis: Petrus Oblationarius cum omnibus ſuis, excepto vno: Poppo, Prior ſcholæ Regionariæ cum omnibus ſuis Subdiaconis: Archiacolythus & Subpulmẽtarius cum ſuis: Centius, iudicum Primicerius cum aliis iudicibus, & cuncti milites banda geſtantes: Prior Scriniariorum cum pleriſque ſuis. Ipſi etiam Epiſcopi cùm iam vellent eum deſerere, Hiltebrandus conuocatis ad ſe laicis, eis conſilium ſuum aperuit, & quòd Epiſcopos à colloquio Cardinalium vellet ſeparare, indicauit. Poſt hæc ipſos Epiſcopos conuocauit, & turbis laicorum ſtipatus, ſacramentum ab ipſis Epiſcopis cum terrore & minis exegit & extorſit, & in manu ſua iurare coëgit, ne vnquam ab eo diſſentirent, nunquam Regis cauſam defenderent, nunquã ſupero dinato ſibi Papæ fauerent, vel obœdirent. Quo facto, eos per Principem Salernitanum in Campaniam miſit: & ſic eos à conſortio Cardinaliũ & à Romana vrbe ſeparauit. Nec ſolùm Epiſcopos, ſed etiam Vrbis Presbyteros & inferioris ordinis Clericos, inſuper & laicos iuramentis allegauit, ne vlla ratione, vllo tempore, condeſcenderent in cauſa Regis.

Circumſcribit arte Epiſcopos & clerum.

Inuadit Pontificatum contra Canones.

Alexandro Papa iuxta veſpertinam horam defuncto, eadem die contra Canones à laicis electus eſt. Sed Cardinales non ſubſcripſerunt in electione eius: ſub anathemate enim Canones præcipiunt, neminem eligi in ſedem Romani Pontificis ante diem tertium poſt ſepulturam ipſius prædeceſſoris. Poſtquam aliunde aſcendit, à conſilio remouit Cardinales ſacræ ſedis.

Cum quibus perſonis conſilia ſua diebus ac noctibus habuit, Roma vidit & audiuit.

Expellit à ſe Cardinales.

Eiectis à conſilio & à cuſtodia eius Cardinalibus, vita eius & fides & doctrina ſine teſtibus fuit: cùm ſacri canones præcipiant, vt in omni loco tres Cardinales Presbyteri & duo Diaconi Papam non deſerant, propter teſtimonium eccleſiaſticum, & propter ſtylum veritatis.

2. Scripturam violenter detorquet.

Scripturas ſacras violenter intorſit in adiutoriũ falſitatis: quod genus idololatriæ quantũ ſit, latè patet in ſcripturæ ſacræ campis ſpacioſis.

Cæſarem indicta cauſa damnat.

Præter voluntatem & conſilium Cardinalium extra ordinem iudicandi, ſacris canonibus determinatum, Imperatorem in nulla Synodo Canonicè accuſatum, præcipitanter excommunicauit, in qua excommunicatione nullus Cardinalium ſubſcripſit.

Ve

Vt primùm ad excommunicandum Cæſarem de ſede ſurrexit, ſed ipſa nouiter lignis fortiſſimis cōpoſita, ſubitò Dei nutu terribiliter ſciſſa eſt in plures partes: vt manifeſtè daretur intelligi, quanta ſeſſor ille tam periculoſa excommunicatione, & præſumptione, quàmque terribilia ſchiſmata ſeminare contra Eccleſiam Chriſti, contra ſedem beati Petri, quàm crudeliter diſſiparet cathedram Chriſti, conculcando leges Eccleſiæ, imperando cum potentia & auſteritate.

In deſcriptione eiuſdem excommunicationis ea interſeruit, in quibus manifeſtè à fide Catholica errauit, cùm iniuſtè excommunicatum Imperatorem, & Epiſcopos communicantes ei, excepit ab excommunicatione tertio gradu communicantes eis, & vnitatem Eccleſiæ ſcindens, quantum in ipſo fuit, duas Eccleſias fecit.

Idem præſumptor ieiunium indixit Cardinalibus, vt Deus oſtenderet, quis rectius ſentiret de corpore Domini, Romanàve Eccleſia, an Beringarius: per hoc manifeſtè probatus infidelis, cùm in Niceno conſilio ſcriptum ſit, quia *dubius in fide, infidelis eſt*. *Hiltebrandi ieiunium de doctrina Berengarij.*

Et de corpore domini ſignum quæſiuit, quod petente Beato Gregorio ad firmandam mulieris fidem contigit, quando panis Chriſti formam accepit digiti. Et miſit duos Cardinales, Othonem & Cunonem, ad ſanctam Anaſtaſiam, vt cum Suppone, eiuſdem Eccleſiæ Archipresbytero, triduanum ieiunium peragerent, & illis tribus diebus ſinguli per dies ſingulos pſalterium & miſſas decantarent vt ſuprà dictum ſignum eis Chriſtus oſtenderet: quod minimè contigit.

Imperator ſolitus erat frequenter ire ad orationem ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ, quæ eſt in monte Auentino. Hiltebrandus autem cùm per exploratores ſuos omnia eius opera ſolicitè inquireret, locum in quo frequentiùs Imperator vel ſtans, vel proſtratus orabat, notari fecit: & quendam promiſſa pecunia ad hoc induxit, vt ſupra trabes Eccleſiæ occultè lapides magnos collocaret, & ita aptaret, vt de alto ſuper caput orantis Imperatoris demitteret, & ipſum contereret. Quod miniſter tanti ſceleris cùm feſtinaret implere, & lapidem magni ponderis ſuper trabes aptare vellet, lapis pondere ſuo eum traxit, & fracta ſub trabibus tabula, & lapis & ille miſer homo Dei iudicio in pauimentum Eccleſiæ cecidit, & eodem lapide contritus penitus eſt. Huius rei geſtæ ordinem poſtquam Romani cognouerunt, pedem illius miſeri fune ligauerunt, & triduo per plateas vrbis ad exemplum trahi fecerunt. Imperator autem ſolita clementia iuſſit eum ſepeliri. *Inſidia Cæſari ſtructa.*

Ioannes Portuenſis Epiſcopus, qui intimus fuerat & à ſecretis Hilte-

Diuinationes è pane myſtico.

brandi, aſcendit in ambonem beati Petri, & inter multa, audiente clero & populo, ait: *Tale quid fecit Hiltebrandus & nos, vnde deberemus viui incendi:* ſignificans de ſacramento corporis Domini, quod Hiltebrandus, reſponſa diuina quærens contra Imperatorem, fertur inieciſſe igni, contradicentibus Cardinalibus, qui aſſiſtebant ei.

Falſum de Cæſare vaticiniū.

In Paſcha Domini feria ſecunda, cùm ad Eccleſiam S. Petri ad miſſam clerus & populus conueniſſet, poſt Euangelium in ambonem aſcendit, ſicut erat indutus Pontificalibus indumentis. Et in præſentia Epiſcoporum & Cardinalium, in frequentia Cleri & Senatus & populi Romani, publicè clamauit inter multa ſuæ diuinationis verba: *Regem Henricum vſque ad proximum S. Petri feſtum ſine dubio moriturum, aut à regno penitus deiiciendum, in tantum, vt vlterius non poſſet congregare quàm ſex milites.* Prædicauit etiam Epiſcopis & Cardinalibus & omnibus qui aderant, de ambone clamans: *Nullo modo habete me pro Papa vlterius, ſed ab altari me auellite, ſi vſque ad prædictum feſtum prophetia hæc effectum non habuerit.*

In Imperatoriā maieſtatem coniuratio.

Eiſdem diebus parauit Imperatorem perdere per occultos proditores, Deus autem eum cuſtodiuit. Et eodem tempore fuerunt nonnulli, qui exiſtimauerunt, ipſum Hiltebrandum conſcium extitiſſe, & ordinatorem proditionis: quia eiſdem diebus paulo ante proditionem de morte Regis falsò prophetata præſumſit. Quod verbum vehementer percuſſit corda multorum. Et palàm factum eſt, Hiltebrandum voce propria in conuentu Eccleſiæ eſſe damnatum, qui (vt dictum eſt) iudicauerat ſe nullo modo eſſe Papam, neque pro Papa vlterius habendum, ſed proditorem & mendacem eſſe credendum, niſi vſque ad proximum feſtum S. Petri Imperator moreretur, aut omni honore ſpoliaretur, adeò vt vltra ſex milites congregare non poſſet: & diuino nutu actum eſt, vt à ſeipſo quoque damnaretur hæreticus. Sic enim ait Apoſtolicus: *Dominus ipſe inquit: Propheta, qui arrogantia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi, vt diceret, aut ex nomine aliorum Deorum, interficietur. Quod ſi tibi tacita cogitatione reſponderis: Quomodo poſſum intelligere verbum, quod Dominus non eſt eloquutus? Hoc habebis ſignum, quod in nomine Domini Propheta prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.*

Tempore autem tranſacto, quod Hiltebrandus in diuinatione ſua præfixit, Rege verò neque mortuo, neque militibus ſuis imminuto, timens ſe ſuis verbis deprehenſum, & ore proprio condemnatum, ad callida argumenta ſe conuertit, perſuadens vulgo indocto, non de corpore ſed de anima Regis ſe propheta ſſe: quaſi anima Regis milites omnes præter ſex

perdi-

perdidiſſet, vel illo ſpatio mortua eſſet. Et his verbis vulgus indoctum deluſit. Contra huiuſmodi Prophetas beatus Gregorius ſuper Ezechielem ait: *Inter Prophetas veros & falſos iſta eſt diſtantia, quia Prophetæ veri, ſi quid aliqu indo per ſuum ſpiritum dicunt, citius corrigunt: Prophetæ autem falſi, & falſa denunciant, & alieni à ſancto Spiritu in ſua falſitate perdurant.*

Tres homines non conuictos, non confeſſos, abſque ſecularibus iudicibus Hiltebrandus morti adiudicauit, & eos in patibulis iuxta Eccleſiam ſancti Petri, in loco qui dicitur Palatiolum, interfici ſuſpenſos coëgit, ſine dilatione, ſine diſcuſſione, contra leges, quæ præcipiunt etiam manifeſtos reos intra ſpacium & retractionem triginta dierum non interfici. Quæ etiam apud Paganos vigent & ſeruantur, ſicut docet authoritas B. Ambroſii, & Paſſio ſanctorum Marcelliani & Marci. *Tyrannis & animi impotentia.*

Centium, filium Præfecti Stephani, prius fidelem ſuum, in carcerem miſit, & in vaſe vndique aculeis veſtito mille & mille mortibus cruciauit. Qui poſtquam euaſit, ipſum Hiltebrandum cepit. De cuius captione antequàm euaderet omnibus, qui captionis illius cooperatores fuerant, hoc debitum publicè remiſit, quod poſtea infideliter vindicauit. Centium, cui omnia remiſerat, perſequi cœpit, & nouem de hominibus Centii in patibulis ſuſpendio interfecit ante portas ſancti Petri. *In Centium iniuria & perfidia.*

Filius cuiuſdam viduæ captioni eius interfuit, cui cum multis aliis pœnam & exilium vnius anni indixit. Quo expleto, vidua ampliori ſatisfactione volens placare animum Hiltebrandi, funem immiſit collo filii ſui, & fune filium trahens, pariter cum filio ad pedes Hiltebrandi procidit, dicens: *Domine Papa, de manu tua volo recipere filium meum, qui exilium vnius anni, & pœnam à te iniunctam portauit.* Ad hæc Hiltebrandus in præſenti, propter eos qui aderant, iram diſſimulans, filium ei reddidit, cum auſteritate dicens: *Vade vade fœmina, dimitte me in pace.* Poſtea miſſis apparitoribus ſuis, filium viduæ apprehendit, & iudicibus, vt eum morti damnarent, præcepit. Qui vno ore reſponderunt, ſe vlterius non poſſe illum condemnare, qui ad iudicium Papæ confugiſſet, & pœnitentiam & exilium vnius anni ab ipſo Papa iniunctum iam impleuiſſet. Ad hæc glorioſus Hiltebrandus iudicibus iratus, præcepit abſcindi pedē filio viduæ, quæ fruſtra apud Hiltebrandum exiſtimauerat pœnitentiam & leges & iura valere. Et pede truncatus dolore illo poſt triduum mortuus eſt. *Atrocitas in ſupplicem.*

Multa quidem alia fecit Hiltebrandus, in quem clamat ſanguis Eccleſiæ, gladio linguæ eius miſerabili proditione effuſus, propter quæ à communione eius iuſtiſſimè Eccleſiæ receſſit, ſicut fecerunt maiores noſtri temporibus apoſtatarum Liberii & Anaſtaſii. *Plagiuſ.*

Vt Liberii feſtum celebraretur, iuſſit. Hoc præcepto eius hæreſin firmauit, qui ex laudabilibus meritis damnabiles exitus habuit.

Necromantia. Die quodam cùm de Albano Romam veniret, oblitus eſt ſecum ferre familiarem ſibi librum Necromanticæ artis, ſine quo nuſquam aut rarò incedebat. Quod cùm in itinere ei ad memoriã rediſſet, in introitu portæ Lateranenſis feſtinanter vocauit duos de familiaribus ſuis aſſuetos & fidos miniſtros ſcelerum ſuorum, & vt eundem librum citiſſimè ſibi afferrent, præcepit, & terribiliter interminatus eſt, ne librũ in via aperire præſumerent, nec vllâ curioſitate ſecreta libri inueſtigarent. Sed quanto amplius inhibuit, tanto vehementius eorum curioſitatem ad inueſtiganda eiuſdem libri arcana accendit. Igitur dum in reditu librum reſeraſſent, & diabolicæ artis præcepta curioſè legerent, ſubitò aſſuerunt angeli Satanæ, quorum multitudine & horrore duo illi iuuenes propè affecti amentes, vix ad ſe reuerſi ſunt. Et (vt ipſi retulerunt) maligni ſpiritus inſtabãt, dicentes: *Ad quid nos vocaſtis? quare fatigaſtis? citò præcipite, quod nos agere vultis, alioquin inſurgemus in vos, ſi nos diutius tenueritis.* Ad hoc alter iuuenum: *Feſtinanter* (inquit) *muros illos deiicite.* Et hæc dicens, manu oſtendit muros altos vicinos Romæ, quos in momento maligni ſpiritus deiecerunt. Et iuuenes ſanctæ crucis ſigno ſe ſignantes, tanto terrore exterriti, trementes & palpitantes vix Romam ad Dominũ ſuum peruenerunt.

BENNONIS CARDINALIS

DE VITA ET GESTIS HILTEBRANDI.

LIBER II.

VENERANDIS Eccleſiæ Romanæ patribus & dilectis in Chriſto & ſemper diligendis fratribus, BENNO, Cardinalis Romanæ Eccleſiæ, fidele ſeruitium & ſalutem, ſeruantibus Eccleſiæ Catholicæ communionem: de cuius communione & diſciplina, vel poteſtate, fruſtra ſibi applaudit, quiſquis iniuſtè ex poteſtatis præſumptione quenquam ligauerit vel ſoluerit. Iniuſtè autem ligat, quiſquis aliquem paratum ſatisfacere, & audientiam implorantem, neque conuictum neque ſponte confeſſum anathematizat, imò ſeipſum fruſtra maledicendo.

dicendo, quaſi proprio iaculo in ſe intorto, maledicit & condemnat. O noua proditio, procedens de ſanctuario; imò de eo, qui vt ſummus Sacerdos videbatur Eccleſiam regere, & ſenioribus iudicibus præeſſe.

Hiltebrandus inſtabat Imperatori, vt eiiceret Epiſcopos Simoniacos. Imperator credens, quaſi ex zelo legis, quaſi à throno Dei procederent hæc mandata, ſine mora obœdiebat, ſine mora, ſine diſcuſſione, ſine iudiciario ordine Epiſcopos eiiciebat: dũ per hanc obœdientiã ſe Deo ſacrificare exiſtimabat, dum adhuc verſutias Hiltebrandi minus intelligebat.

Hiltebrandi artes de Epiſcopis Simoniacis.

Hiltebrandus verò expulſos à rege Simoniacos relocabat, & quos Regi infeſtos reddiderat, eos ſibi familiari amicitia reconciliabat, & multis & magnis iuramẽtis ſibi fidos & obnoxios efficiens, præ aliis exaltabat. Et modico tempore iis artibus Regia domo perturbata, & penè amicis deſtituta, ſibi verò amicitia maiorũ Principum comparata, ex improuiſo ſine legitima accuſatione, ſine canonica vocatione, ſine iudiciario ordine, obœdientem ſibi Imperatoré excommunicauit, & regni Principes ab eo ſeparauit. Et cùm Apoſtolus, præcipiat, *ne quis circumueniat in negotio fratrem ſuum*, quãtum in eo fuit mortificauit potius quàm caſtigauit. Sic autem Imperator multimodò circumuentus, præter Canonicum ordinem excõmunicatus, & conſenſu Hiltebrandi & conſilio magna ex parte Imperii honore expoliatus, & bellis & cædibus immenſis fidelium ſuorum prægrauatus, fruſtra Canonicam audientiam implorauit, & extortã confeſſionem inuitus ac coactus apud Canuſium in præſentia Hiltebrandi protulit. Dicite (quæſo,) qui iuſtitiam diligitis, qui ad dextrã vel ſiniſtram fauore alicuius perſonæ declinare non noſtis: dicite (quæſo,) ſi confeſſio tanto tempore extorta cuilibet pauperi, nedum Cæſari, præiudicare debuit? Si ex confeſſione extorta potius non extitit reus Canonum hic, qui extorſit, quàm qui peruerſè iudicatus peruerſoris iudicis iniuriam & violentiam patienter & publicè, & cum lachrymabili afflictione, nudis pedibus in laneis veſtibus, hyeme præter ſolitum aſpera, apud Canuſium Spectacvlvm Angelorvm Factvs Et Hominvm, & Hiltebrandi ludibrium, triduò pertulit? Dicite (quæſo) ſi quiſquam ſanctorum Pontificum quenquam plebeium, niſi aut ſponte confeſſum, aut in ſynodo conuictum, nec in eadem prouincia, ſed in longinquis terrarum partibus ſemotum, tam præcipiti iudicio damnare præſumſit? Si quis tam audacter abuſus eſt poteſtate ligandi & ſoluendi? Equidem Ambroſius Theodoſium ligauit, ſed præſentem ſponte confeſſum. Maximus Salonitanus Epiſcopus, per plures annos extra prouinciam ſui Epiſcopatus Romæ apud beatum Gregorium de Simoniaca hæreſi, & diuerſis adulteriis accuſatus, vno tandem anno,

Anathema iniquiſſimum.

Cæſar ſpectaculum Angelorũ & hominum.

deficientibus accuſatoribus, ſacramento ſola manu præſtito, purgatus eſt, ſicut in Regiſtro eiuſdem beati Gregorii legitur. Et beatus Auguſtinus in lib. de Pœnitentia: *Satis* (inquit) *oſtendit Apoſtolus, non temerè & quomodolibet, ſed per iudicium auferendos eſſe malos ab Eccleſia communione, & ſi per iudicium auferri non poſſint, tolerentur potius, ne perversè malos euitando, ab Eccleſia ipſe diſcedens, eos, quos fugere videtur, vinciat ad gehennam. Multi,* inquit, *corriguntur, vt Petrus: multi tolerantur, vt Iudas: multi neſciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminat abſcondita tenebrarum: Et quidā,* inquit, *metuentes præcepta ſeueritatis, quibus admonemur corripere inquietos, non dare ſanctum canibus, Ethnicum habere Eccleſiæ contemtorem, à compage corporis membrum, quod ſcandalizat, euellere, ita perturbant Eccleſiæ pacem, vt conentur ante tempus ſeparare zizania, atque hoc errore cæcati, ipſi potius à Christi veritate ſeparentur. Qualis nobis cauſa eſt aduerſus ſchiſmata Donati, & non cum illis, qui nouerunt Cæcilianum non veris ſed calumnioſis criminibus appetitum, & pernicioſam ſententiā ſuam mortifero pudore non deſerunt: ſed cum illis, quibus dicimus, etiamſi mali fuiſſent, propter quos in Eccleſia non eſtis, vos tamen eos ferendo, quos emendare aut ſegregare minimè poteratis, in Eccleſia permanere debuiſtis.* Et paulò poſt: *Nos,* inquit, *ad ſanam doctrinam pertinere arbitramur, ex vtriſque teſtimoniis vitam ſententiamq́ moderari, vt canes in Eccleſia propter pacem Eccleſiæ toleremus, & canibus ſanctum, vbi Eccleſiæ pax tuta eſt, non demus.* Hiltebrandus autem non ſolùm Eccleſiæ perturbauit pacem, ſed etiam eccleſiaſticam ſcidit vnitatem, & vnicæ fidei veſtem inconſutilem: dum Cæſarem & Epiſcopos communicantes Cæſari abſque iudiciario ordine excommunicabat, & tertio gradu communicantes eis ab excommunicatione noua pietate excipiebat: quos huiuſmodi artibus & Regi ſubducere, & ſibi allicere feſtinabat.

Hiltebrandus pernicioſi ſchiſmatis auctor.

Dicant nunc Hiltebrandi diſcipuli, quibus commentis, quibus coloribus deaurare poſſint, quòd ipſe Hiltebrandus in ſynodo generali hæretica prædicauit, prædicando excommunicatis communicare conſenſit, prædicata ſcripſit, prædicatione & ſcriptis alteram catholicam, alteram excommunicatorum Eccleſiam faciens, vnitatem ſcidit, & ſcripta per orbem terrarum diſſeminauit: prædicando, ſcribendo, ſcripta diſſeminando ſeipſum hæreticū manifeſtauit, & ore proprio, & confeſſione hæreſeos non extorta, diuino vrgente iudicio, condemnauit, dum vulgus erroneum ſanctum exiſtimaret, & Apoſtolis exæquaret ſpiritum tanti erroris, cùm etiam prudentiores eius laqueis caperentur, & inducerentur in tentationem, ſi fieri poſſet, etiam electi.

Arguitur hæreſeos.

Mentimur, niſi tredecim Cardinales ſapientiores, & religioſiores, ipſe [illegible] Archi-

Habetur pro

Archidiaconus & ipſe Primicerius, & multi alii Lateranenſium Clerico-rum, quorum iudicio ex priuilegio ſanctæ ſedis totus ſubiacet mundus, apoſtaſim eius intolerabilem perpendentes, ab eius communione receſſerunt.

Dicant, oramus, Hiltebrandi diſcipuli, qua præſumptione magiſter eorum vnitatem Eccleſiæ in duas vel plures partes diuiſit? Si enim Cæſarem iniuſtè, & abſque iudiciario ordine damnauit, ſeipſum potius ab Eccleſia ſeparauit. Si verò iuſtè excommunicationis gladium in Cæſarem vel Epiſcopos communicantes Cæſari exercuit, quare communicantes ipſis Epiſcopis tertio gradu per ſcripturam excipiendo abſoluit? Nunquid etiam vnius diei infans ab excommunicatis conceditur aliqua neceſſitate baptizari, vel ab excommunicatis baptizatus, & continuò mortuus, creditur ſaluari? Equidem ſacer Eccleſiæ Chalcedonenſis canon prædicat, apud hæreticos non poſſe ad ſalutem baptizari, & dânat eos, qui paruulos extra Eccleſiam baptizandos obtulerint. Quid propriè de paruulis apud excommunicatos baptizatis beatus Auguſtinus ſcribat Bonifacio Epiſcopo in ſerie eiuſdem epiſtolæ facilè & lucidè poteſt reperiri. Reperitur & hoc ipſum in epiſtola beati Gregorii, quam pro paruulis ſolicitus, Epiſcopis Longobardiæ miſit. Reperitur etiam multipliciter in campis ſacræ ſcripturæ latis & ſpatioſis. *Reſpondeant Pontificii adulatores huic quæſtioni.*

Glorioſus autem Hiltebrandus, & pediſequus eius Turbanus, noua poteſtate ſoluentes decreta Chalcedonenſis Concilii, non ſolùm verbis ſed & ſcriptis publicis conſenſerunt extra Eccleſiam communicare & baptizare: quàm cæci eſſent, quàm hæretici ſcriptis propriis deprehenſi. Proh nefas, ii præſumſerunt de Eccleſia iudicare, qui nuſquam reperiuntur non erraſſe, quibus etiam ipſa veritas reputatur in mendacium, quam ſolo fallendi ſtudio verbis & ſcriptis ſuis, ne venena erroris eorum perciperentur, quaſi mel veneficorum more admiſcuerunt. *Mendacium enim eſt*, vt beatus Auguſtinus ait, *omnis enunciatio prolata intentione fallendi.* *Vrbanus Hiltebrandi pediſequus.*

Vterq; autē, Hiltebrandus ſcilicet & Turbanus, in hæreſin Liberii cecidit, qui poſtquam publicè communicauit excommunicatis, duas Eccleſias faciens, vnitatē ſcidit. Sed non tacuit beatus Preſbyter Euſebius, quo legitimè defendente vnitatem vſq; ad mortem, & vita & morte eius clarificante doctrinam catholicam, Liberius declaratus eſt hæreticus. *Cenſura in nonnullos Pontifices Romanos.*

Liberium vnus Euſebius communionem eius deſerendo, & iuxta Euangelium tanquam Ethnicum & publicanum deuitando, ligauit, vno ſpiritu cum beato Auguſtino magis opere quàm verbo dicens: *Cæpiſti habere fratrem tanquam publicanum, ligas illum in terra, ſed vt iuſtè facias vide, nam iniuſta vincula iuſtitia diſrumpit.*

Vnus Euſebius Liberium recedendo à communione eius ligauit;

quanto magis Hiltebrandus in errore perſeuerans cum angelis ſuis apoſtatis damnatus in abyſſum relegatus eſt, Romanæ Eccleſiæ patribus ab eius communione recedentibus, & eius hęreſes & ligandi & ſoluendi abuſionem execrantibus.

Anaſtaſius Papa canonicè intrauit: ſed quia vni excommunicato ſine ſatisfactione publica communicauit, quidam Romanorum Clericorum ex poteſtate & priuilegio ſanctæ ſedis communionem eius deſerentes, eũ ligauerunt, quia communicando excommunicato Eccleſiam diuidere præſumſit. Hiltebrandus verò à diſcipulis ſuis ſanctus prædicabatur, quaſi æqualia & longè deteriora non commiſerit, quaſi Romanæ Eccleſiæ clerici & laici publicè ab eius communione non receſſerint.

Hypocriſis & Pſeudoprophetarum ad viuum expreſſa effigies.

Sileant hypocritæ, ſicut ait beatus Petrus, piratis ſimiles, beati Petri nomen igne malitiæ ſub nomine catholico, ſub obtẽtu iuſtitię, artificioſè ſuppoſito deſtruentes, & ferè demergentes. Obſtupeſcant Pſeudoprophetæ ad vocem Petri, in facie humani, in cauda ſcorpiones, lupi ſub ouina pelle latentes, corpora trucidantes in oris gladio, & animas pariter deuorantes: quorum religio nihil aliud redolet, niſi proditionem & auaritiã: penetrantes domos viduarum captiuas duxerunt mulierculas oneratas peccatis, ſub occaſione impacati temporis attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmonum, quas accepit Hiltebrandus magiſter eorum à magiſtris ſuis, a Theophylacto, qui cognominatus eſt Benedictus Papa IX. à Laurentio Malafitano Archiepiſcopo, à Ioanne Archipresbytero S. Ioannis de Porta Latina, qui poſtea cognominatus eſt ſextus Gregorius Papa.

Benedictus IX. Papa magus.

Theophylactus, ſacrificiis dæmoniorum deditus, in ſyluis & montibus mulieres poſt ſe currere faciebat, quas magicis artib. ad ſui amorem coëgerat. Teſtantur hoc libelli ipſius inuenti in domo eius, poſtquam vitam malè finierat. Et hæc fabula adhuc ruſticis Romanorum eſt notiſſima: Is dum ad Eccleſiam rediret de ſyluarum ſecretis, vbique ſecum habens prædictum Laurentium, principem maleficiorum, cum eo etiam publicè de Matheſi diſputabat, & vulgus auidum nouarum rerum nouis diuinationibus in ſui admirationem excitabat. Nomen autem Laurentii apud ſimplices pro eo habebatur celebre, quia videbatur aliquando ex improuiſo prophetare. Et de complice & diſcipulo ſuo Papa ſecurus, gaudebat etiam publicè in conuentu Epiſcoporum & Cardinalium & Senatorum auguria ſua magnificare, & ad cantum auium ſubitò auguria denunciare, quid ipſo die, vel heſterno vel nudiuſtertius factum eſſet in oriente & occidente, in meridie, in ſeptentrione, & in remotioribus vel extremis terrarum partibus, ſiue de bellis ſiue de morte Principum. Ad quem tentandum cùm quodam die multi conueniſſent, ſubitò audita eſt auicula, quæ vulgo paſſer dicitur, dulces voces frequentare. Et Laurẽtius ſubitò

ſubitò interrogatus in præſentia Theophylacti & Epiſcoporum qui conuenerant, quaſ auis illa caneret, ſubitò reſpondens: *Auicula*, inquit, *hos alijs canit auiculis, vt citò conueniant ad portam maiorem, vbi modò fractus cuiuſdam ruſtici currus, & effuſum eſt milium, quod ſuper illum ferebatur. Inuitat autem frequenti cantu, vt illuc citò conueniant & ſaturentur.* Quo audito, plures aſtantium concito curſu maiorem portam alii alium certatim præuenientes, petierunt; &, ſicut dixerat, inuenerunt.

Auguria eius nullo diuinæ legis zelo vindicabantur, inſuper à complice ſuo Papa ſemper magnificabantur. Vnde factum eſt, vt aliqui curioſa ſectati, publicè & liberè frequentarent contubernium & magiſterium eius. Morabatur aũt in domo prædicti Archipresbyteri Ioannis de Porta Latina, qui ſtudioſè eius magiſterio adhærebat, & imbuebatur artibus illius.

Theophylacto autem & Laurentio adhuc iuuenibus, infecerat vrbem iis maleficiis Gerbertus ille, de quo dictum eſt: *Sylueſtri II. Papæ magia.*

Tranſit ab R. Gerbertus ad R. poſt Papa viget R.

E Gerbertus quidẽ paulo poſt cõpletum millenariũ aſcendens de abyſſo permiſſionis diuinæ, quatuor annis ſedit, mutato nomine dictus Sylueſter II. Et per quę multos decepit, per eadẽ Dęmonũ reſponſa deceptus, morte improuiſa, Dei iudicio, eſt interceptus. Hic reſponſum à ſuo dæmone acceperat, ſe non moriturũ, niſi prius in Hieruſalẽ Miſſa ab eo celebrata. Hac ambage, hac nominis æquivocatione deluſus, dum ciuitatem Hieruſalem prædictam ſibi credit, Romæ in Eccleſia, quæ vocatur Hieruſalẽ, Miſſam faciens in die ſtationis, ibidẽ miſerabili & horrida morte præuentus, inter ipſas mortis anguſtias ſupplicat, manus & linguam ſibi abſcindi, per quas ſacrificando dæmonibus Deum inhonorauit. Et hic quidem dignum ſuis meritis exitum inuenit. Sed diſcipulos illius, Theophylactum & Laurentium, magiſtri mors teterrima à ſtudiis idololatriæ non abſterruit, quibus vltio diuina (vt paulò pòſt dicendum eſt) non defuit.

Igitur poſt infelicem exitũ Gerberti, certamen erat inter diſcipulos ipſius, dum quiſq; anhelaret ad rapiendũ Papatũ ſibi. Sedit autem poſt eũ decimus octauus Iohannes, & quinto menſe veneno ſuffocatus dicitur à ſuis. Huic ſucceſſit decimus nonus Ioannes, & vix annum peregit. Cui ſucceſſit quartus Sergius, & ſedit tribus annis. Anno quinto poſt Gerbertum ſedit octauus Benedictus, laicus, frater Albrici Tuſculanẽſis, patruus Theophylacti, & vndecimo anno deceſſit. Huic ſucceſſit frater eius carnalis, & patruus Theophylacti, vigeſimus Ioannes, neophytus, & ſedit annis nouem. His duobus ſuis patruis ſucceſſit Theophylactus, & anno vigeſimo quinto poſt Gerbertum, magiſtrum ſuum, ſedem fraudulenter obtinuit, & condiſcipulum ſuum Laurentium & Archipresbyterum Ioannem Gratianum intimos & ſecretorum conſcios habuit. *Succeſſores. Ioann. XIIX. Ioã. XIX. Sergius IV. Benedictus IIX. Ioan. XX.*

Antichriſti miracula. Eodem tempore Hiltebrandus, relicto monaſterio, prædicto Archipresbytero adhæſit, & Archiepiſcopi Laurentii magiſterium ſecutus, in breui factus eſt vtriuſque magiſtri imitator egregius. Qui cùm vellet, manicas ſuas diſcutiebat,& in modum ſcintillarum ignis diſſiliebat:& iis miraculis oculos ſimplicium velutiſigno ſanctitatis ludificabatur. Et quia Diabolus per Paganos Chriſtum publicè perſequi non poterat, per falſum monachum ſub habitu monaſtico, ſub ſpecie religionis, nomen Chriſti fraudulenter ſubuertere diſponebat. Sed quamuis peccatis exigétibus talia fieri permitteret diſpenſatio diuina, tamen tempus retributionis propinquabat.

a hoc nomine II. *b hoc nomine III.* In diebus illis defuncto *a* Conrado legis & religionis cultore fideliſſimo, Romanorum Imperatore Auguſto, Theophylactus, qui & Benedictus nonus, habito conſilio cum familiari ſuo Laurentio, & aliis ſuis cōplicibus, molitus eſt filium Imperatoris Conradi, *b* Henricum Imperatorem ſucceſſione Imperii exturbare, & in Eccleſia ſchiſmata diuerſa ſeminare. Hoc enim eſt quod amplius exigitur à mundi principio à tenebrarum principe. Miſit igitur coronam Romani Imperii Petro, Regi Vngarico. Sed ad Petrum expugnandum direxit Imperator Henricus Ducem Lotharingæ Gotfridum, virum fidelem & bello ſtrenuum, & inter regni Principes clariſſimum. Qui primo conflictu Petrum bello captum,& omnes vicinas nationes,ne in eum aliquid præſumerent, deterruit, & vt digna factis tanti ſchiſmatis auctori Theophylacto redderet, Romam venire diſpoſuit.

Quo audito Theophilactus timore perterritus, vendit Papatum complici ſuo prædicto Archipresbytero Eccleſiæ S. Ioannis de Porta Latina, magiſtro Hiltebrandi, acceptis ab eo libris mille quingētis. Qui aſcēdens ſacram ſedem tantæ iniquitatis gradibus, nomine mutato ſextus dictus eſt Gregorius. Igitur Hiltebrandus in ſchola tam profundæ peruerſitatis vſu & arte edoctus, erat tantorum fidus miniſter maleficiorum, & peſſimis magiſtris peior diſcipulus. Quod ex fructibus perfidiæ ipſius poſtea percepit Eccleſia, per eum ſub obtentu Catholici nominis graui ſchiſmate lacerata; percepit & mundus, bellis feralibus, & immenſis cædibus, ipſo auctore laniatus, & ſub colore mellis veneno propinato hæreſibus nefandiſſimis propè ſuffocatus.

Syluester III. Eiſdem diebus ſuperpoſitus eſt in Papatum prædicto Archipresbytero Sabinenſis Epiſcopus, qui mutato nomine dictus eſt Syluester III. & factum eſt, vt Romana Eccleſia in partes diuerſas ſcindi videretur.

Cùm autem tanta peruerſitas Romā ludificaret, diuino nutu affuit Imperator Henricus,&(vt multa breuiter concludam) religioſorum Cardinalium precibus efflagitatus, ipſis auctoribus, pro loco officii ſui, pro

 officio

29

officio Imperiali, pro poteſtate ſibi à ſacris canonibus conceſſa, ad purgãdam Eccleſiam, ad exturbandum & vlciſcendum vi ſacrilegos, deuotum ſe præbuit, Theophylactum in fugam coegit, ſextum Gregorium in cuſtodiam recluſit, quem poſtea in exilium miſit, Sabinenſem Epiſcopum, quem non ambitio, ſed vis ad Papatum coëgerat, ad ſedem propriam redire compulit. Romana verò Eccleſia eius reſpirans auxiliis, ſecundum Clementem Papam elegit, ſub quo Eccleſiæ vnitas: à quo & ſubſequẽter Romanorum Imperator Auguſtus venerandæ memoriæ Henricus coronatus eſt, & pro tantis meritis vnicè glorificatus triumpho ſingulari, vnici amoris priuilegium, pellendo idololatras Simoniacos, & vnitatem Eccleſiæ defendendo, promeruit.

Quibus ſtrenuè peractis, ſextum Gregorium, vt ſuprà dictum eſt, cũ Hiltebrando diſcipulo ſuo in Teutonicas partes deportatione dãnauit. Nimia tamen pietate deceptus, nec Eccleſiæ Romanæ, nec ſibi, nec generi humano proſpiciens, nouos idololatras nimis laxè habuit, quorum memoriam æterno carcere à contagione hominum remouere debuit.

Defuncto autem in exilio ſexto illo Gregorio, Hiltebrãdus perfidiæ ſimul & pecuniæ eius hæres extitit.

Eodem tempore Clemens Papa defunctus eſt. Huic ſucceſſit Damaſus, & ſedit viginti tantùm & tribus diebus, veneno, vt dicitur, propinato ſuffocatus. Theophylactus enim magiſter Hiltebrandi, poſt fugam reuerſus Romam cum familiari ſuo Laurentio, multis maleficiis ſacram ſedem vexabat, & per litteras diſcipuli ſui Hiltebrandi ea, quæ in palatio Imperatoris gerebantur, reſciebat. Eo igitur immaniter graſſante, iterum Romana Eccleſia legatũ ad Imperatorem dirigit, & vt conſilio Cardinalium Papam eligendum Romam mittat, expoſcit.

Bruno igitur, qui & Leo, ex conſilio Cardinalium Romam inuitus & coactus dirigitur. In cuius comitatu nimia Imperatoris indulgentia permiſſus eſt reuerti Hiltebrandus, hac permiſſione ſacerdotium pariter & regnum ſub ſpecie religionis euerſurus, & iuramenta Imperatori præſtita non diu ſeruaturus.

Brunoni igitur multa loquendo in itinere ſe ſuppoſuit. Et, vt Romam venit, ab eo obtinuit, vt fieret vnus de cuſtodibus altaris beati Petri. Et in breui loculos impleuit, & cui pecuniam illam committeret, filium cuiuſdam Iudæi nouiter quidem baptizatum, ſed mores numulariorum adhuc retinentem, familiarem ſibi fecit. Etiam diu reconciliauerat ſibi quendam alium incomparabilibus maleficiis aſſuetum, Gerhardum nomine, qui cognominabatur Brazutus, amicum Theophylacti, qui ſubdola familiaritate dicitur ſex Romanos Pontifices intra ſpacium tredecim annorum veneno ſuffocaſſe, quorum nomina hæc ſunt: Clemens, qui ſex-

Artes Papales noſtro ſeculo renouata.

-to Gregorio damnato,& Theophylacto expulſo,ſedit menſibus noue,& diebus ſepte: poſt Clemente Damaſus, qui ſedit diebus viginti tribus: poſt Damaſum Leo, qui ſedit annis quinq;: poſt Leone Victor, qui ſedit annis duobus, menſibus tribus, diebus ſeptem: poſt Victorem Stephanus, qui ſedit menſibus ſeptem, diebus viginti octo: poſt Stephanum Benedictus, qui ſedit menſibus ſeptem, diebus viginti. Hic non veneno, ſed vi & dolis Hiltebrandi fuit eiectus. Poſt Benedictum Nicolaus, qui ſedit anuis duobus, menſibus ſex, diebus viginti quinque.

Ingenium planè Pœniſcum. Huius tempore Hiltebrãdus prædictis duobus familiaribus ſuis pecuniam ſuam & conſilia ſua communicauit, & per eos venales linguas multorum ſibi comparauit. Et poſt hæc Theophylactum antiquum dominum ſuum & magiſtrum, ſimulantem pœnitentiam, Leoni Papæ in dolo reconciliauit, & Theophylacti conſilio & factione ipſum Papam Leonem contra Normanos armauit.

Papa proditio & traditio. Igitur Leo Papa eorum dolos minus intelligens, & Romã deſerens, Alpes tranſiuit, & multis Teutonicis ſibi aggregatis, ad expugnandos Normanos Romam rediit, & Hiltebrando & Theophylacto inſtigantibus in Apuliam contra Normanos tranſiuit. Et quia Theophylactus manifeſte eum lædere nõ audebat, ſimulato obſequio cum eo manens, & ingreſſus & egreſſus eius explorans, ſingula per ſecretos nuncios intimabat Normanis, & in manus eorũ, Hiltebrando dictante, ipſum Papam tradidit. De quorũ manibus vix Papa (interfectis per proditionem Teutonicis) deſolatus euaſit.

Leone poſt modicum defuncto, Theophylactus de parentum potentia præſumens, Romanam Eccleſiam, quam prius toties vexauerat, iterum vexare non deſtitit.

Interim Hiltebrandus, nouus Proteus, nouis præſumens tergiuerſationibus, de Roma ad Imperatorem, de Imperatore ad Romam abſque conſilio Romanæ Eccleſiæ diſcurrebat. Et ſi quis alius in Papatum eligeretur quàm ipſe, prædictus Gerhardus, cognomine Brazutus, familiaris eius, in breui illum veneno ſuffocabat.

Poſtquam autem ſedit Nicolaus Papa, Hiltebrandus, quia Papatum adipiſci non potuit, ad Archidiaconatum quoquo modo inuadendum ſe conuertit. Et Mancium tunc Archidiaconum Romanæ Eccleſiæ multis iniuriis afflixit & circumuenit, qui victus contumeliis & dolis, & pecunia deceptus Hiltebrandi, ad vltimum conceſſit, vt Hiltebrandus vice eius Archidiaconatu fungeretur.

Hac conceſſione Hiltebrandus arrepta, Nicolaum Papam ex improuiſo aggreſſus, coëgit inuerecundis precibus & minis militum, quos pecunia collegerat, metum etiam mortis quibuſdã terribilibus ſignificationibus

ſionibus incutiendo, vt eũ Archidiaconũ ordinaret & cõſtitueret. Et poſt paucos dies ipſe Nicolaus defunctus eſt, veneno, vt dicitur, ſuffocatus.

Cardinales autem ambitionẽ Hiltebrandi non ignorantes, Imperatorem multis precibus coegerunt, vt eis in electo ſuo Parmenſi Epiſcopo Cadolo fauorem & auxiliũ præſtaret. Quod factũ cor Hiltebrandi altius percuſſit. Et manifeſtè factus eſt Imperatoris inimicus. Omnia iurataꝫ fidelitatis vincula diſrupit: & facta cõſpiratione cũ inimicis Imperatoris & cũ Normanis, quẽ Parmẽſi Epiſcopo Cadolo, à Cardinalib. electo, opponeret, Anshelmũ, Lucẽſem Epiſcopũ, decepit, & eũ in Papã eligi à quibuſdã Romanis fecit. Et ipſũ Anshelmũ, mutato nomine, Alexandrũ vocauerũt.

Igitur Anshelmum, quẽ in dolo elegerunt, pariter & Parmẽſem Epiſcopum, quibus poterat artibus vexabat, quia vtriq; ſuccedere anhelabat.

Igitur vbi Alexander intellexit, ſe dolis & arte ab Hiltebrando & inimicis Imperatoris electum & intronizatum, die quodam, cùm intra Miſſarum ſolennia ſermonem haberet ad populum, prædicauit ſe nolle ſedere in ſede Apoſtolica abſq; licentia & gratia Imperatoris. Et publicè dixit, ſe literas huius rei gratia miſſurum ipſi Imperatori. Quo audito Hiltebrãdus vix manus, multa murmurando, donec miſſa compleretur, abſtinuit. Miſſa expleta, ipſum Alexandrũ cum militari manu ab altari duxit in cameram, & nondum exutũ Pontificalibus indumentis, pugnis durè colaphizauit, increpans & improperans, quòd vellet inquirere gratiam Imperatoris. Et ſtatuit, vt ex eo die non daretur ei amplius quàm quinq; ſolidi Lucenſium denariorum. Et ex tũc ipſe Hilteb. ãdus omnes reditus Romanæ Eccleſiæ ſibi retinuit, & immenſam pecuniam congregauit.

Alexandro igitur ſub miſerabili iugo Hiltebrandi quodã veſpere defuncto, eadem hora Hiltebrandus à ſuis militibus ſine aſſenſu cleri & populi eſt intronizatus, timens, ne alius per morã eligeretur. In cuius electione nullus Cardinaliũ ſubſcripſit. Ad quẽ cum veniret Abbas Caſſinẽſis, ait ipſe Hiltebrandus: *Frater nimium tardaſti.* Reſpondit Abbas: *Et tu Hiltebrande nimiũ feſtinaſti, qui nondũ ſepulto domino tuo Papa, ſedem Apoſtolicam contra canones vſurpaſti.* Hoc modo intronizatus Hiltebrandus, qualiter vixerit, qualiter à ſe Cardinales, qui teſtes vitæ & doctrinæ eius eſſe debuerant, remouerit, quã miſerabiliter vexauerit, quantis hæreſibus mundum corruperit, quanta periuria, quàm immenſas perditiones conſecrauerit, vix à multis deſcribi poteſt. Clamat tamen altiùs ſanguis Chriſtianorum, eo auctore & incentore miſerabiliter effuſus.

HOC EST DECRETVM HILTEBRANDI, IN quo à doctrina & fide catholica aberrauit.

GRegorius Papa Romanæ Synodo præſidens dixit: *Nos ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate*

ſeditiones in populo commouentes. De cauſſa enim ſua diffidere videtur, quiſquis auctor eſt ſeditionis. Pacem verò & dilectionem ſinceram proponimus omnibus, pacem & veritatem & vnitatem catholicæ Eccleſiæ amplectentibus, vt ſimus filij patris noſtri, qui in cœlis eſt. Qui enim ex patre Diabolo ſunt, opera patris ſui faciunt conſpirationibus, ſeditionibus, & cuius filij ſint, manifeſtè oſtendunt. Nos verò illius diſcipuli eſſe deſideramus, cuius doctrina etiam inimicis ſanè eſt intelligenda. Orent pro nobis Eccleſiæ filij, vt creſcat ſermo Domini, &c. Data Romæ contra ſchiſmaticos in ſacro conuentu, Anno ab incarnatione Domini 1098. indictione ſexta. 7. Id Auguſti.

His litteris vocati ſunt. Declinarunt autem audientiam ſchiſmatici per ſedecim annos, per obſides potentes & clariſſimos, & per ſacramenta ſibi oblata inuitati, ne caperentur ſuis mendaciis, ne ſuis libellis conuincerentur, quibus auctores eorum corruperunt terram hæreſibus variis, longè lateq́; diſſeminatis per Apoſtolos multiplicis erroris. Sacer etiam conuentus toties deprehenſa eorum verſutia, in conſpectu Eccleſiæ coram multitudine Romanorum ait: Eos, qui ſanctam Eccleſiã ſcindere non timuerunt, iterum vocamus ad Synodum, quam DEO auctore celebrare diſpoſuimus circa Calend. Nouemb. In præſenti tamen, quia venire renuũt, teſtes inuocamus contra eos cœlum & terram, quòd nullum conſenſum adhibemus eorum peruerſitati. Et in teſtimonium illius in medio Eccleſiæ, in conſpectu Angelorum & hominum incendio tradimus decreta eorum hæretica, quibus orbem terræ peruerterũt, verbum Dei adulterantes ſub ementito colore pietatis quærentes plus ſe, quàm fidem catholicam amari. Qui per ſedecim annos nullum dederunt locum veritati, fugientes lucem examinationis, tenebris errorum aſſueti, falſis expoſitionibus violenter intorquentes ſcripturas in adiumentum nefandiſſimi ſchiſmatis.

Hiltebrandus in extremis ſuis vocauit ad ſe vnum de Cardinalibus duodecim, quem multum diligebat præ cæteris, & confeſſus eſt omnipotenti Deo, & toti Eccleſiæ, ſe valde peccaſſe in paſtorali cura, quæ ei ad regendum erat commiſſa. Atq; hunc confeſſorem ſuum miſit ad Imperatorem, & ad totam Eccleſiam, vt a optarent illi veniam.

a Operarent.

* * *

Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis,

OTTONIS EPISCOPI FRISINGENSIS, MARchionis Auſtriæ, &c.

FRAGMENTVM

De Hildebrando ab Imperatore abiecto & Guiberto in locum eius ſurrogato.

Extat apud Ortuinum Gratium in Faſciculo rerũ ſcitu dignarũ.

CVM ſub Imperatore Henrico, qui inter Reges Quartus, inter Imperatores Tertius huius nominis inuenitur, Imperium grauiſſimè ſciſſum fuiſſet, parteq; maxima Optimatum Principi ſuo rebellante, tota penè Regni latitudo ferro flammaque fœdaretur, Gregorius Septimus, qui tunc vrbis Romæ Pontificatum tenebat, eundem Imperatorem, tanquam à fidelis deſtitutum, anathematis gladio feriendum decernit. Cuius rei nouitate eò vehementiùs indignatione motum ſuſcepit Imperium, quò nunquam ante hæc tempora huiuſmodi ſententiam in Principem Romanorum promulgatam cognouerat. Ea propter pluribus ex Italia, Gallia, Germania, apud Baioariæ ciuitatem Brixinam in ipſo Pyrenæo, haud procul à valle Tridentina ſitam, coadunatis Epiſcopis, Princeps Curiam magnam celebrauit, vbi omnibus aduenientibus iniurias ſibi à Romana Eccleſia irrogatas affectuosè conqueritur, quòd videlicet ipſo inconſulto, qui tanquàm Rex & Patricius, primus in electione ſuæ Vrbis Epiſcopi eſſe deberet, Romani ſibi Pontificem præfeciſſent, cum à patre ſuo Imperatore plures ibidem quaſi ſine electione inthronizati fuerint. Hac querimonia omnium animi eò faciliùs contra Romanam Eccleſiam inclinari poterant, quòd & laici ſecularis honoris

conſi-

conſideratione accenſi, & Epiſcopi conſilio Clericorum ſuorum, quibus recenter connubia ab eodem Pontifice inhibita fuerant, inflammati, voluntati Principis accedebant. His igitur acclamantibus, præfata electio ab eis caſſanda iudicatur, Guibertuſque Rauennatenſium Archiepiſcopus, Clemens vocatus, aſſenſu Principis, Vrbis Epiſcopus creatur; Gregoriuſque Septimus, ab ipſis Pſeudomonachus vel Necromanticus appellatus, exufflatur. Vnde communi conſilio prænominato Pontifici ſcriptum conuiciis & detrectationibus plenum dirigere præſumpſerunt, inter cætera dicentes: *Sicut hactenus ſolebas dicere, quòd nullus noſtrûm eſſet Epiſcopus, ita ſcias quòd nullus noſtrûm deinceps erit Apoſtolicus.*

IDEM FRISINGENSIS CHRONIC. VI. cap. XXXV.

ROmanus Pontifex Regem ſæpe vocatum excommunicauit, eiuſque (vt dicitur) conſilio & auctoritate Rudolfus Alemanorum Dux, à quibuſdam Principibus Rex creatur. Quo non multò pôſt in publico bello occiſo, atque Hermanno Lotharingiæ Principe ſibi ſubſtituto, & ipſe non multò pôſt à fidelibus Regis occiditur. Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum geſta, & nuſquam inuenio quenquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno priuatum; niſi forte quis pro anathemate habendum ducat, quòd Philippus ad breve tempus à Romano Epiſcopo, inter pœnitentes collocatus, & Theodoſius à beato Ambroſio propter cruentam cædem, à liminibus Eccleſiæ ſequeſtratus ſit.

ANONYMI EPISCOPI SIVE ABBATIS, QVI REBVS GESTIS INTERFVIT, ET NOS RVBERTVM GOSLARIENSEM Præpoſitum, & poſtea Babenbergenſem Epiſcopum * hoc eodem anno factum, fuiſſe opinamur,

* 1075. quo hæc hiſtoria ſcripta eſt in ipſo Regio Comitatu.

DE HENRICI IV ROM. IMPERATORIS *Bello contra Saxones,*

LIBER I.

Hunc auctorem opponimus Brunonis Magdeburgenſis libro de Bello Saxonico & Bertholdi Conſtantienſis Chronico de eodem.

REGIS Heinrici volo dicere prœlia Quarti
Contra Saxonum gentem, ſua iura negantem,
Quæ dum fallentes ſociaret viribus artes,
Plurima bella dolis fidens commiſit & armis.
Alme Deus ſuccurre mihi proferre latentes
Vſque modo cauſas, ea gens quo læſa dolore,
Quidvé timens, tantos belli commouerit æſtus
Aduerſus Regem nulli pietate ſecundum:
Cuius & externi gaudent iuga ferre Tyranni,
Et cui ſe nunquam tulit impunè obuius hoſtis.
Domini Regis adhuc pueri gens efferа laxis
Dum fluit imperiis, nec habebat iura timoris,
Non falſum vero, nec iniquum ſegregat æquo,
Quòd fuerat libitum ſibi, quiſque ſecutus eorum
Eccleſias ſpoliant, viduis ſua diripiebant,
Pupillos, miſeroſque premunt, vi cuncta geruntur:
Pauperis hæredem ſtatuit fortuna potentem:
Plus nocuit qui plus potuit, lex nulla coercet,
Faſque nefaſque ſibi fuerat cuiuſque voluntas.

Regis iniuſtitia & legum obſeruantia in Imperio.

Sed Rex vt teneros ſuperat virtutibus annos,
Ante nimis laxas huic genti ſtrinxit habenas,
Iura dedit, leges ſtatuit, cohibenda coercet,
Eccleſiis, viduis, miſeris, vi rapta requirit:
Nec fecit quiſquam poſt hæc impunè rapinam.
Talia quod populus tolerabat frœna ſuperbus,
Perdoluit, multumque timens ne pœna ſequatur
Tot malefacta ſui, ſtuduit contraria Regi
Viribus, atque dolis, furor hinc euenerat omnis.
Hinc belli cauſſæ veniunt, ſub imagine recti.
Coniurata dolo gens vt conuenit in vnum,
Conſiliis inſtructa ſuas fallentibus artes:
Tres oratores legatos eligit omni
Ex numero, ſua qui deferrent nuncia Regi.
Qui miſſi, curſum tendunt ad regia tecta:
Vt ſunt ingreſſi, fuit & locus aptus agendi,
Inter eos animis qui maximus extat & armis,
Verbis Saxonum ſic Meginfridus aiebat,
Rex, tam virtutum, quàm regni nobilis hæres
Patris auiq; tui, meritis contraria noſtris
Plurima pertulimus, tibi nunc ſemperq; fideles.
Vim qui ferre ſolent aliis in partibus orbis,
Hanc nobis faciunt: pupillus & aduena quiuis
Indigenas prohibent ſiluis communibus vti,
Paſcua præripiunt, abigunt armenta gregeſque,
Hæredes circumueniunt, vi prædia tollunt,
Omnibus atq; modis fit ab his iniuria nobis,
Quam piè Rex cohibe poſthac, & corrige facta,
Leges redde tuis, ablataq; patria iura:
Quod tibi debemus ſi nunc optata feremus,
Quo nos cumq; vocant, ſequimur tua iuſſa volentes.
Sic fatus; Regis reſponſum tale recepit,
Corrigo ſi qua piis meritis aduerſa tuliſtis,
Nec quiſquam fruſtrà queritur mihi vindice digna:
Quam vos arguitis, non eſt iniuria, nec vis;
Non veſtras leges, non ius diſcindere quærens,
Paſſis vſq; modò miſeris vim, rapta repoſco.
Reddo, nec abſiſtam, donante Deo mihi vitam.
Si qua tamen veſtræ ſupereſt querimonia genti,
Regni Primates mihi conueniantq; fideles;

Saxonum domuit iniquitatem; & inde eorũ offenſio & defectio.

Horum conſilio ſuper hac te ſuppeditabo.
Miſſi dicta ſuis referunt dum regia caſtris,
Infelix populus ruit ad bellum ſtudioſus:
Æquè maiores, æquè furuêre minores;
Illi ne perdant, quæ plurima rapta tenebant,
Hi quia pauperiem ſperabant vincere prædis.
Quiſq; manu patrium ſibi vis ait experiundum.
Talibus auditis conſtanti pectore fortis
Rex iubet ad ſeſe Saxonum quemq; vocare
Conditione ſub hac, ſi ſe velit & ſua ſalua.
Neſcia mens hominum ſpectans inſtantia tantum,
Quot mala vitares, ſi prouida viuere ſcires?
Hi modo gauderent, ſi regia iuſſa fuiſſent
Secutti; ſoluiſſe dolent ſemperq; dolebunt.
Vt perſpexit eos Rex, nolle venire vocatos:
Sex ibi caſtellis multo munimine firmis
Præſidia impoſuit, victum quoq; largiter addit:
Ipſe rebellantes aciem ducturus in hoſtes
Ibat, vti properè conduceret arma viroſq;.
Saxonum populus digreſſo Rege ſuperbus
Leges, iura, magiſtratus, fas excidit omne:
Ante ſibi vetitas gaudet cumulare rapinas:
Eccleſiæ viduæ, pupillus & aduena quiſq;
Nuper deſueti, vim ſunt iam denuò paſſi.
Sic indiſcretè praui rapiuntq; ruuntq;
Nec minus interea circundant milite caſtra
Regia, præſidiis quæ ſunt commiſſa relictis.
Hennenberg. Hennenberg primum, quod erat ſuperabile viſum,
Aggreſſi, bello decertauêre cruento.
Nam Caſtellani fortes ad bellaq; docti
Inuictiq; forent, ſi ſolum continuiſſent
Crimen auariciæ, quod peruertit bona quæq;.
Hoc igitur poſitum montano vertice caſtrum
Circundant vulgi tria millia nocte ſilenti.
Vix exſpectabant lucem, ſummiſq; ruentes
Viribus ad montem, certatim ſcandere temptant,
Hoſtica quò vitent acta teſtudine tela,
Vndiq; conferti properant ſuper ardua niti,
Greſſum dextra iuuat, manus arma ſiniſtra gerebat
Sic aſcendentes & iam vallo propiantes

Ecce vi-

Ecce vident fortes occurrere deſuper hoſtes,
Indutos omnes inſignia bellica quæq;
Exoritur properè non paruus clamor vtrimq;
E muris emiſſis crebreſcunt vulnera telis.
Poſthæc res agitur gladijs (miſerabile viſu)
Nec mora, nec requies, caſtellani meliores
Bello magnificè vulgus funduntq; fugantq;
Vulnera multiplicant; iraq; ſatis faciebant.
Præterea ſtantes ad propugnacula caſtri
Ne ſine ſe vincant ſocii, certamina tentant,
Ferratos fuſtes alii mittunt ſuper hoſtes,
Tormentis alii lapides, quidam balꝺari
Arcu dimiſſis hoſtes ſtrauêre ſagittis.
Plebs deuicta fugam facit hoſtibus & miſerandam.
Nam cadunt plures dum deſcendunt fugientes,
Intereuntq; ſuis infixi corpora telis.
Gens fera Saxonum cur non capis hinc documentum?
Ecce patent planè cladis documenta futuræ.
Nam vincunt primo pauci, tua millia bello.
Sed cum ſeruari non poſſent pernicies
Debita, tu ſurgis ſurſum, nec victa quieſcis.
Ergo Palatinus Comes è Saxonibus vnus,
Sex armatorum collectis millibus ipſum
Caſtrum circundat, belliq; moras redimebat,
Sperans expugnare fame, quos enſe nequibat.
Sed quæ diſpoſuit, cum non procedere ſenſit,
Caſtellanorum primos per munera temptat.
Quæ conſtant morum peruerſio magna bonorum,
His dum multa dedit furtim, ſed plura ſpoſpondit
Si tradant caſtrum, mentes peruertit eorum
Vt facerent turpem pro munere deditionem.
Cur tibi tanta fames auri fuit impie miles?
Auro vende fidem, forſan lucrabere mercem?
Quod precium dederis tu, quodq; receperis vna,
Si penſare velis, tibimet furtiſſe videris.
Non lapides caſtri tantum, non ligna dediſti,
Vile capis precium dans carius omnibus vnum
Quo ſine ſemper eges, quod habens ditiſſimus eſſes,
Perfide ſic certas miles, ſic credita ſeruas?
At tibi diſſimiles referrent per tempora laudes,

Hæc quibus arcipolis fuerat commiſſa, trecentos,
Quos meritò longum virtus & fama per æuum
Inſignes faciunt, ſi quicquam carmina poſſunt.
Millia Saxones ex ſe bis dena legentes
* Arcipolim circumueniunt, ſua caſtraq; ponunt,
Arcem quo capiant armíſue doliſue retractant.
Nunc Caſtellanis fontes & pabula temptant
Claudere, nunc dictis illos mulcere doloſis,
Hic quoq; confiſi deuincere viribus auri.
Verùm nunc talis labor eſt aſſumptus inanis.
Nam via nulla dolis, nec proſperitas patet armis.
Regius iſte fidem miles non comparat auro.
Quàm ſit in arma potens, iam gens Saxonica ſenſit.
Nunc licet hoſtiles circundederint legiones,
Non petitur, ſed ſponte petit tot millia fortis.
Hinc equites lecti deſcendunt arce ducenti,
Inſignes animis, nitidi fulgentibus armis,
In caſtris reſides, & nil hoſtile timentes
Hoſtes inuadunt, & bellica ſigna cadebant.
Saxones ſubitò ſtupefacti corda periclo.
Diſcurrunt, trepidant, conſultò nil agitabant,
Pars cecidit, pars arma capit, pars maxima fugit,
Inſtant victores: oritur miſerrima cædes:
Caſtra cruore madent, Mars ſæuit vbiq; cruentus.
Sic deuaſtatis caſtrorum partibus illis
Victores captas abigunt ad mœnia prædas.
Sed victi luctum variantes clade ſuorum
Pars interfectos ſepelit: pars membra leuauit
Saucia viuorum curas habitura ſuorum.
Corpora vix placidæ componunt feſſa quieti,
Cùm deſcendentes è mœnibus Arcipolenſes
Irrumpunt iterum caſtris, ſomnoq; iacentes
Cædunt atq; fugant, armis & equis ſpoliabant.
Circum Caſtra ſitas incendunt vndiq; villas.
Sic decertabant, ſic hoſtibus vſq; nocebant,
Obſeſſiq; ſuos obſeſſores numeroſos
Tandem cogebant, quòd pacem ſponte petebant.
Pax ſed vtrimq; fide datur hac ſub conditione,
Si pactum abſentis firmaret gratia Regis.
Abſcedunt aliis quoq; caſtris obſidiones,

* Hartesburg Germanicè dicta.

Otia reclusis agitantur, & vndiq; portis
Ibant pacificè quocunque placebat vtriſq;.
Sed breuibus ſpatiis durant hæc commoda pacis,
Nec potuit veterem gens impia ponere fraudem.
Nam duo cum iuuenes deſcendunt arcipolenſes,
Et noua Goſlariæ voluerunt arma parare
Capti, nudati ſunt, in cruce ſuntq; leuati.
Gens fera ſic ſeruas pacem, quam tute petebas?
At quod ſperaſti, nec & hæc impunè tuliſti,
Nam tua progeminis fleuiſti funera centum.
Velox fama volat referens de pace ſoluta
Ad Caſtellanos, & turpi morte ſuorum:
Qui ſperaſſe fidem Saxonum ſerò dolentes,
Conſiliis agitant mala quâ mercede rependant.
Denos ergo viros mittebant, qui pecus omne
Goslariæ campis abigant, prædam ſimulantes.
Quo facto, prædam properanter ad eripiendam
Goslaria currunt pariter iuuenesq; ſenesque,
Sutores, fabri, piſtores, carnificesque,
Militibus comites ibant in bella ruentes.
Vix extra villam pars agminis vltima venit,
Cunctaq; perlatos procedunt millia campos:
In Caſtellani centum de valle latenti
Procurrunt equites, mediosq; feruntur in hoſtes:
Vt ſegetes grando maturas proterit olim,
Diſpergunt, cædunt, aduerſos confodiuntque,
Colla metunt gladiis, madet vndiq; terra cruore,
Strataq; tam latos texere cadauera campos.
Saxonum reliqui tam multâ ſtrage ſuorum
Viſâ, ſcuta retrò iacientes terga dedêre,
Atq; Caballorum fodiunt calcaribus armos.
Pars ad vicinam tendebat currere ſyluam;
Pars fugit ad villam memor vxoriſq; domusque;
Victores inſtant fugientes atque trucidant.
Præmia nunc ſceleris gens impia ferre videris,
Quæ pro funeribus tibi ſunt illata duobus.
Quid modo? num pacem malles ſeruaſſe priorem?
Et tibi dulce domum deferre cadauera centum?
Certè maioris ſunt hæc tibi ſigna doloris,
Quæ poſſes planè, ſi ſis bene ſana, notare.

Nam cum nec paucis numeroſa reſiſtere poſſis,
Inuictum contra Regem potes arma leuare;
Cuius mira pari virtus caret atque carebit.
Cuius militiæ vix vltima ſigna tuliſti,
Sed ſcio, diſſimilem ſperans ſuccedere finem
Principiis audes, animo præſtare ſuperbo.
Perge tibi pœnas mentis cumulare futuras,
Nondum vincla pacti & clauſtra fatis metuiſti.
Dum ſic diſſoluunt conditum fœdus vtrique,
Caſtellanorum virtus experta laborum
Fortis in arma furit, per tempora nulla quieuit,
Hoſtibus vſque nocens, ſibi laudis nomen adaugens.
Nunc terram vaſtant prædâ, nunc torre & enſe,
Sic Caſtellorum quoque cuſtodes aliorum
Fines Saxonum deuaſtauere propinquos
Quoſq; ſuis caſtris ſimul igni cæde rapinis.
Multimodi omnes: ſed primitus arcipolenſes
Certant magnificè domini pro Regis honore.

HISTORIÆ

DE BELLO SAXONICO

LIBER II.

INtereà Regis Germania læta iubentis
Imperiis acies ad prælia miſit alacres,
Agmina Vangionum, cum robure Boiariorum,
Sueuos, Lotharios, equites ad bella valentes.
His comitatus iter Rex protendebat ad hoſtes.
Eius vt aduentum gens audiit illa propinquum,
Diffidens armis ſpem quærit in arce ſalutis:
Mittit legatos ad regia caſtra decenos,
Vt cunctis regni primis ſua nuncia ferrent.
Qui proficiſcentes ad caſtraq́ue peruenientes,
Primos militiæ Regis Comitesque Duces q́ue
Pontificesq́ue compellant vocibus iſtis:
O prouiſores Regni Regiſq́ue fideles,
Auxiliis veſtris vſi per tempora pacis,

Hæc

Hæc & conſilio vitare pericula veſtro
Sperant noſtrates, cui parent vſq; volentes:
Aduerſus Regem ſe deliquiſſe fatentur.
Sed quocunque modo vos vultis ſiue iubetis,
Vtque placet Regi, ſunt hæc purgare parati.
Hanc igitur veniam præſtate petentibus vnam,
Vt vos conueniant, rem vobis ordine pandant,
Et decernatis, quid vos ſibi præcipiatis.
Maiores noſtrum paucis tantum comitati
Huc prope caſtra fide veſtra venere, manentes
Veſtrum conſilium, veſtrum ſuper omnia iuſſum.
Ad quæ Primates reſpondent, cuncta placere
Hæc mandata ſibi, de colloquio ſimul illis
Eſſe locum dandum, ſi Rex permittere vellet.
Et mox narrantes Regi mandata, rogabant,
Vt legatorum liceat ſibi verba probare.
Ipſe doli nihil eſſe ratus permiſerat illis.
Pontifices igitur primiq; Duces, Comitesq;
Conueniunt iuncti Saxonibus æquore campi.
Plurima Saxones de Domino Rege querentes
Nunc ſupra dictas etiam meminere querelas,
Qualiter impulſi cępiſſent talia niti,
Compoſitisq; dolis, ſic peruertere potentes
Ex æquo, cęptum quo quiſq; probaret eorum,
Aſtringuntq; fidem, ſe Regem commonituros,
His vt ius patriam reddat, commiſſa remittat:
Si nollet, ſe iuſta petentibus haud nocituros.
Sed quibus inducti Primates artibus illi
Genti conſenſum tunc præbuerint ſceleroſum,
* Hoc aliâs patefit, mihi vita ſalusq; ſuperſit. * *Auctor promittit alium librum.*
Nunc iuuat ire viam directo tramite cæptam.
Principibus cunctis ſic in contraria verſis,
Fortis Rex patria virtute nitens & auita,
Non ſua fortunæ ſubiecit colla ſuperbæ,
Maluit in paucis multorum victor haberi,
Quàm cedens multis tanto caruiſſe triumpho.
Quid tibi nunc veteris prodeſt ſolertia fraudis
Effera Saxonum gens? quæ tibi commoda rerum
Confert? num ſcelerum pœnas vitaſſe putabas.
Rapta tene, ſecura ſede, rape plura licebit:

Forſan deciſis Rex inclytus hæſitat alis,
Cum paucisq; tuas formidat adire phalanges!
Accipe, quas illi laudes hac fraude paraſti,
Per quam multorum pauci ſumpſere triumphum,
Qua ſine paucorum ceſſiſſet gloria multis.
An præſtat multis multos, an vincere paucis?
Paucos maiori leuat hæc victoria laude.
Nam ſi ſint plures, daret his diuiſa minorem,
Tale & omne bonum minus eſt in plura direptum.
Colligc iam quid te contra reputando ſequatur.
Nam ſi victores extollit gloria paucos,
Nónne ferent ignominiam victi numeroſi?
Hoc ratio probat, aduerſis aduerſa cohærent.
Qui fuerant illi tum regia caſtra ſecuti,
Non de Principibus quos legit regia virtus,
Primatum parit his virtus & nobilitatem.
Pauci Francorum, pars plurima Boiariorum,
E Suenis aliqui numero non robore pauci,
Hi veteris fidei ſeruabant pignora ſoli.
Protinus in patriam Saxonum nuncia mittens
Rex ſuper arcipolim caſtellaq; cætera mandat
Militibus fidis, ne propter deficientes
Ab ſe primates regni, cunctentur in arma,
Hoſtibus vt nunquam cedant, bene credita ſeruent,
Se citò venturum, ferro ſua caſtra ſolutum.
Continuò Regis caſtrenſes iuſſa faceſſunt,
Hoſtibus obſiſtunt, caſtellis quæq; propinqua
Vaſtantes igni prædaq; & cæde cruenta.
Poſtquam Saxones ex Principibus redeuntes
Excuſſiſſe ſibi ſperabant regia frena:
Caſtellis aliquam tractant obtendere technam.
Resq; monebat eos, clades non parua ſuorum,
Cætera maiori circundant obſidione.
Arcipolim autem temptare per obſidionem
Nullus præſumpſit, caſus memorando priores.
Ergo dolos arteſq; nouas expromere quærit.
Immenſo monti qui proximus imminet vrbi,
Caſtellum ſuper ædificant (mirabile dictu)
Altis ilicibus tantum reſecando quadratis.
Præſidium Patriæ, vigili tutamen ab hoſte.

Illuc

Illicimponunt, armatos mille ducentos,
Qui deſpectarent hoſtes, quodcunq; pararent,
Ne quis poſſet eis differre cibaria: & ſi
Vnquam deſcendant ad prædas diripiendas,
Deſcendant vt & hii, concurrant hoſtibus hoſtes.
Et caſtellanis furtim ſtipendia ſiquis
Attulit, aut cæcant, ſuſpendunt, ſiue trucidant.
Vtraq; iam reſident aduerſis agmina caſtris.
Hinc maior numerus, hinc bello clara iuuentus,
Hoſtibus vt noceant vigiles, ſpeculantur vtriq;:
Nec ponunt feſſi nocturnæ membra quieti.
Noſtri maiores bello, numeroq́; minores
Saxonum turbam multo certamine temptant.
Nunc arcus celeres, nunc contorsêre baliſtas,
Hoſtibus aduerſis transfigunt pectora telis.
Nunc illis igni corrumpunt mœnia caſtri,
Ædiles ipſos perimebant, aut capiebant,
Sæpeq́; per plures victu rhedas oneratas
Hoſtibus allatas rapiunt violenter, & ipſos
Vectores capiunt, cædunt, funduntq́;, fugantq́;.
Sic inter ſeſe bellici certamina miſcent.
Illic cùm fortis Rex agmina lecta ſuorum
Cogens aduerſus curſus tendebat in hoſtes:
Regius en campis miles procedit apertis
Paucus, at ingenti virtutum laude probatus,
Nec minus induciis belli quàm fulgidus armis.
Loricæ, galeæq́; tegunt fortiſſima cunctæ
Corpora militiæ, ſcutis impicta gerebant
Fortia facta patrum, quo talia viſa virorum
Incendant animos ſolius laudis auaros.
Velox fama volat Saxonum nuncia genti
Regem venturum, ferro ſua caſtra ſolutum,
Inſtructis totis acies incedere campis.
Nec mora, tam raras ſpeculantur Regis vt alas,
Confiſi numero ſtatuant decernere ferro.
Deniq; per Patriam mittebant nuncia totam,
Cunctus vt ad bellum populus properaret agendum.
Indiſcreta ruunt è cunctis agmina villis,
Ruſticus abiecto quiuis diſcedit aratro,
Et ſtudio belli ſtudium poſtponit arandi.

Paſtores pecorum, cuſtodes atq; domorum
Præpoſuere ſuis pugnæ diſcrimina curis.
Capta peregrinis mercator munera terris
Negligit, in bellumq; ruit ſecurus, ad horam
Accedat quantum ſummæ quantumve recedat.
Omnis conditio bellum cupit, omnis & ordo,
Maxima pars pedes iuit, equis pars fertur in altis,
Armati variis ſibi quæ ſors obtulit armis.
Tales militibus Comites in bella ruebant,
Ignari ſe quam crudelia facta ſequantur
Infauſtiq; ſuas auſi dimittere curas.
Ergo fremens campis exercitus ibat apertis,
Cùm glacialis hyems curſus frenarat aquarum:
Vndaque nauigiis prius, eſt modo peruia plauſtris.
In ſtabulis armenta, feræ ſyluisq; rigebant,
Multa metallorum præ frigore diſſiluere,
Nec minus & pluuias venti ſpirant hyemales.
Talis tempeſtas Saxonum contigit alas,
Ex quibus intereunt miſerando funere multi.
Nam vulgus peditum gradiens per deuia feſſum,
Dum ſedet in campis, requiem quærendo laboris,
Frigore concreſcunt ſudore madentia membra.
Corpora multa gelu nocturno diriguere
In ſyluis hinc igne, ſed hinc corrupta pruinis.
Aſt equites arti carpentes peruia callis
A tergo inſequitur vis maxima turbinis atri,
Excuſſosq; via cumulo niuis abdidit altæ
Hic nec feſſor equum iuuat, aut iuuat ille ſedentem,
Saxonum multi ceciderunt funere tali.
Cætera de tantis pars conſeruata periclis,
Regis vt inſtructas videt aduentare cohortes,
Sol & in auratas galeas clypeoſq; refulſit,
Cernit & erectis acies accedere ſignis:
Horribili ſtupet aſpectu, furit igneus ardor,
Conſumens villas in circuitu numeroſas.
Procurrunt equites ex agmine Regis alacres,
Exultantq; ſuis flectentes colla caballis,
Alternos ineunt diſcurſus, atq; recurſus,
Verſuras celeres duplicantq; decenter equeſtres,
A[illegible]

Nec

Nec prædicta viris nocuerunt frigora tantis,
Nam ſanguis calidus fuit his & bellica virtus.
Talia Saxones irritamenta videntes,
Quid faciant? quid agant? qua vi certamina temptent?
Languida, vix tanto motabant frigore membra,
Armis exuti, demiſſi colla ſuperba,
Nudatiq; pedes, pariter cum ſupplice voto
Regis caſtra petunt, cui ſe ſua cunctaq; dedunt.
Carmine quo tanti laudes celebrabo triumphi,
Tempore de Karoli qualis non contigit vlli?
Virtus celſa dedit huic quod natura negauit,
Quæ ſic in cunctis vires animantibus æquas
Deſtinat eſſe ſuas, vt maior turba minori
Eiuſdem generis certamine præſtet in omni.
Vix modo victores deuictos addecimabant,
Millia ſex vincunt, decies tot victa fuere.
Participes tanti felices vſq; triumphi,
Virtus noſtra feret decus immortale per æuum
Pro tantis meritis, ſi quid mea carmina poſſunt.
Nec mihi quis dicat, Non hæc victoria præſtat,
Non ſunt victores tam multa laude notandi,
Qui non pertulerant vllum vincendo laborem,
Non hoſtes iugulant, nec terram cæde cruentant.
Concertare valens num quiſquam ſupplicat hoſti?
Num fidens armis ſpem quærit ab hoſte ſalutis?
Tantò maiorem fert hæc victoria laudem,
Quantò maior erat honor hoſtibus imperitare
Viuis, quam gladiis & quauis cæde peremptis.
Rex igitur facta Saxonum deditione
Supplicibus mitis, contrariis atq; ſuperbis,
More leonino ſubſtratis hoſtibus iram
Iuſtam depoſuit, commiſſaq; cuncta remiſit.
Ibat per patriam Rex inuictiſſimus illam,
Incorrecta regens, leges & iura reponens,
Reſtituens cunctis ſua dudum deſpoliatis,
Hinc propriam ſedem tendens ad Goslarienſem
Saxonum genti dat patria iura petenti,
Per totam patriam pacis iubet eſſe quietem,
Iuſto iudicio cauſſas componit & æquo.
Hic quoq; militiam donat bene munere dignam.

Ad ſe cuſtodes caſtrorum conuocat omnes,
Caſtraq; recluſis iubet eſſe patentia portis.
Primitus inſignes donauit & Arcipolenſes
Muneribus meritis, auri dat pondera puri,
Ingenteſq; viros extollit honoribus amplis:
Virtutem laudat, bene geſtaq; prœlia iactat.
Namq; ſolet virtus hominum committere maius,
Acrius atque calet, ſi laus ſua facta ſequatur.
Sic Caſtellorum quoque præſidiis aliorum
Munera condignè dat pro quocumque labore.
Sic ibi diſpoſitis rebus, pacemque fideli
Mente gerens, factiſq; probans ſe tranſtulit inde.

HISTORIÆ

DE BELLO SAXONICO

LIBER III.

AT gens exitio dudum deuota futuro,
Vt fuerat ſolitæ conceſſa licentia prædæ,
Concipit immanem diro ſub corde furorem,
Et ruit effrenis quò ſe tulit impetus amens.
Fana profana ſimul miſcet, fas diſcidit omne,
Criminibuſq; nouis diſſignat fœdera pacis.
Præſidiis vacuam placida iam pace quietam
Arcipolin armis inuadunt millia gentis,
Mœnia deſpoliant, æraria regia frangunt,
Theſauros cultuſque nouos auroque rigentes,
Aurea vaſa cyphos, lances, inſignia regni
Plurima diripiunt, incendunt mœnia flammis,
Aduerſuſq; Deum vertentes arma furoris
Eccleſiam inuadunt, auellunt aurea menſis
Ornamenta ſacris, tabulas capſaſq; reſcindunt,
Atque ſacerdotes ſua munia iam celebrantes
Veſtibus abſciſſis audent obtundere pugnis,
Aurataſque cruces manibus lacerare cruentis,
Et defunctorum violare ſepulchra reiectis
Oſſibus, intactum nullum liquere furorem,

Eccleſia in Harteſburg incenſa.

Flam-

Flammarumque globos iactant ad culmina templi,
Venti dant vires flammis, furit æſtus ad auras,
Æquaturque ſolo regalis machina tota.
Sic aliis caſtris cuſtode carentibus igni
Incenſis, plures ornatibus expoliatas
Eccleſias etiam corrumpunt ignibus atris.
Multas regales deuaſtant vndique curtes:
Pupillis, viduis violenter dilaceratis,
Multiplicant prædas, confundunt faſque nefaſque.
Gens fera Saxonum, factrix memoranda malorum,
Eſt hæc deditio tua? Sunt hæc fœdera pacis
Condictæ? Tales voluiſti pectore fraudes?
Quis tua non ſtupeat crudelia facta fidelis?
Fraudis vel ſcelerum venient tibi digna tuorum
Præmia: perge modo, rape, deſtrue, diſtrahe cuncta:
Non diuina fides, te non humana reflectet.
Facti fama volat, totumque regnumque replebat.
Cuncti Saxonum crudelia ſacrilegorum
Facta ſtupent, arteſque nouas, pollutaque pacis
Fœdera. Primates propriis ſe vocibus vltro
Incuſant, gentem prius hanc audiſſe nefandam
Fallentemque dolis & regia iura negantem.
Deſtantur eos ſimul omnis ſexus & ætas.
Nec mora, percepto Rex magnus crimine tanto,
Egregia pietate nitens, fortiſſimus armis,
Zelo iuſtitiæ flammato pectore feruet:
Aduerſum tantos præſumptus colligit iras:
Igneſcunt animo iuſto ſub corde feroces:
Non ſua iam, ſed iura Dei violata dolebat.
Imperat exciri totius robora regni,
Armauitque acies acer ruiturus in hoſtes.
Regis ad edictum cuncti ſe in bella parabant,
Æquè maiores, æquè ſtuduêre minores,
Arma nouant, animos acuunt, docuêre caballos
Currentes facili ceruice reflectere curſus;
Horrificos belli non exhorrere tumultus.
Primus init bellum cogens in prælia ſecum
Sueuos vnanimes Dux fortis in arma Rudolphus,
Quos prius expertos Saxonica bella celebrat
Gloria quæſiti Carolo ſub Rege triumphi.

Hic & in arma rapit ſecum quos patria miſit
Curia, mille manus Ararim Rhodanumq́ue bibentes.
Hos Romanorum ſequitur de gente vetuſta
Dux *a* Catulus, nomen referens moresq́ue genusq́ue.
Signa Ducis ſequitur gens inclyta Boiariorum,
Quam toties domitis celebrat victoria Parthis,
Et nunquam violata fides, belliſq́ue probata
Virtus, Boiemicis multisq́ue ſuperba triumphis.
Nec non Vangiones ibant in prælia fortes,
Gens antiqua, potens armis, & munere terræ,
Regia ſigna ſequi bello quæ gaudet in omni,
Solaque regales ſeruat per prælia faſces,
Nunc quoque ſigna ſui ſequitur fulgentia Regis,
Agmine multiplici cingens inſignia regni.
Rex cunctas acies excellens vertice celſo
Alto fertur equo, mediis in millibus extans.
Arma nitent aurata nitentibus addita membris,
Emicat è cunctis rutilans vt Lucifer aſtris.
Poſt hos inſignis Dux agmen agit Gotefridus
Corda gerens patris, quamuis ſit corpore diſpar,
Conſuetas iuuenum ducens ad bella phalanges,
Riphæas habitant vrbes, Thilen, Nimagumq́ue,
Extremos regni fines vbi bella mouentur
Semper, & hoſtili crudeſcit ſanguine terra.
Tum Dux Lotharios Tiedricus cogit in arma,
Dux inſignis eques in equeſtria bella valentes
Turmas educens, armis animisq́ue vigentes.
Et Weſtualuorum, Freſonum, Boiemiorum
Exibant acies accitu Regis alacres,
Millia multa nimis decorata nitentibus armis.
His comitatus iter Rex vltor tendit in hoſtes.
Ergo frequens campis exercitus ibat apertis:
Tellus cornipedum curſu pulſatur equorum.
Talia Saxones ex fama percipientes,
Abſumpti figmenta prius fraudesq́ue dolosq́ue,
Coguntur tandem nunc ſe defendere bello.
Emittunt equites ſtrictis mucronibus acres,
Per totam patriam vulgi concire cateruas
Omnes ad bellum ſeque & ſua quemque tuendum,
Concita plebs rerum mox ardet amore nouarum:

a Henricus Catulus Bauariæ Dux.

Vangiones vexilla Imperialia custodiunt in bello.

Omnes agricolæ fractis agreſtibus armis
Arma parant belli, duriſque ligonibus enſes
Conflant ancipites, curuis è falcibus haſtis
Spicula præfigunt, pars aptat ſcuta ſiniſtris
Leuia, pars ferro galeas imitatur equeſtres,
Pars triplici philtro: fuſtes ad prælia quernos
Millia multa parant, plumbo ferroque grauabant.
Mille modis acies ad bellum armantur agreſtes.
Squalent arua ſuis cultoribus expoliata,
Paſtores pecorum, cuſtodes atque domorum
Præpoſuêre ſuis belli diſcrimina curis.
Quiſque frequens, curas cum vertit ad arma redemptor,
Concitus in bellumque ruit, ſecurus ad horam
Accedant quantum ſummæ, quantumve recedat.
Ergo tegunt lato paſſim tot millia campos,
Quot & Pontus agit fluctus, & meſſis ariſtas.
Nec minus aſſuetæ bellis armiſque phalanges
Indocili turbæ dictant diſcrimina pugnæ,
Irritantque rudes verbis ad prælia mentes,
Quam ſit turpe iugum ſeruile pati dominorum,
Ingenuos, quantumque mori ſibi præſtet in armis.
His aliiſque modis accenſum pectora vulgus
Indomitum, ſpecie belli prælUdit agendi,
Per virgas diſcens ſubducere corpus ab ictu,
Et iuuat armorum ſonitus, clangorque tubarum.
Sic ruit exitii gens inconſulta futuri.
    Nec moræ, iam cunctæ tranſportantur vada turmæ,
Fluminis Vnſtardi, qui cladem nomine genti
Iam præſignaſſet, ſi non tardanda fuiſſet.
Vnſtar dana clades.
Ecce vident nigras glomerari puluere nubes,
Et magis atque magis tenebras inſurgere campis.
Paulum progreſſi longè ſplendeſcere cernunt
Æratas acies, erectaque ſigna volare.
Quid faciant? iam nulla doli figmenta patebant,
Nec tranſire fuga poterant vada fluminis alti
Ergo manu conferre parant, cunctaſque phalanges
Sacrilegas bello diſponunt ordine longo.
Regius inſtructis proceſſit ſuauiter alis
Miles, & aduerſos iamiam properabat in hoſtes:
Sueui, Boiarii, qui Regis in agmine primi

Extant, quos celebrat numeroſis fama triumphis,
Præcurrunt celeres, primique feruntur ad hoſtes.
Haſtas decurtant, & certis corpora ſignis
Scutaque diſcreti denſos rapiuntur in hoſtes.
Bellicus exoritur magno certamine clamor:
Irrumpunt telis quæ confeſtiſſima ſtipant
Agmina, Saxonum deiectant vndique leto
Corpora, maturas ceu falx ſuccidit ariſtas,
Enſe metunt, capitum ſegetes (miſerabile viſu)
Enſe parant, medios iter eſt quacunq; per hoſtes.
Non tegit indutos artus lorica fidelis,
Nec caput auratæ galeæ, moriuntur vbique,
Strata cadaucribus crudeſcit ſanguine tellus:
Ingruit armorum ſonitus clamorque cadentum:
Ancipites gladii numeroſa cæde caleſcunt:
Seminecesque viris permixti ſanguine multo
Provoluuntur equi traiecti pectora ferro.
Horrificus belli crebreſcit vbique tumultus,
Sæpeque Saxones immenſa cæde cadentes,
Student obniti, ne ſic moriantur inulti,
Victoresque ſuos vario certamine temptant,
Accipiunt redduntque ictus; Mars ſæuit vtrinque.
Hic pedibus calcans ſua viſcera currit in hoſtem,
Ille trahens proprio gelidum de corpore ferrum
Interfectorem moriens interficit hoſtem.
Vtraque ſic odiis certabant agmina diris,
Cùm fortis ſubitò Rex irruit agmine denſo.
In medios hoſtes, præculcans obuia quæque
Agmina Saxonum cunctantia ſacrilegorum;
Fulminat egregiis Rex ipſe coruſcus in armis,
Plurima conſternens periuræ millia gentis.
Nec mora, ceu tenui ventorum flamine puluis
Diffugit à facie Regis ſic agmen & omne.
Scutis dorſa tegant, volucri curſuque recedunt.
In ſpe nulla ſalus, ruit irreuocabile vulgus,
Victores inſtant, fugientes atque trucidant:
Et niſi iam cætum denſatæ puluere nubes
Texiſſent, viſusque ſequentum detinuiſſent,
Vltimus ille dies genti luxiſſet iniquæ.
Sed tamen in cæcis multi cecidêre tenebris,

Corpora

41

Corpora perfoſſi telis, gladiisque ſecari.
Millia multa cadunt hoſtili vulnere nullo
Tacta, ſed in fluido collapſi membra cruore
Cornipedum pedibus mox inculcantur equorum.
Mortis mille modis moriuntur millia gentis,
Sic & ad Vnſtardi veniunt vada fluminis atri.
Quid faciant? quos à tergo ferit hoſticus enſis:
Altus ab aduerſo Vnſtardus tardabat abire.
Decernunt dubiam magis attemptare ſalutem
In fluuio, quam non dubiæ ſuccumbere morti.
Inſiluêre vadis inconſulti malefidis:
Hoſtis eos retrò ferro premit, imminet, vrget,
Inuoluuntur aquis certatim ſaucia ſanis
Corpora mixta ferè, quot denſa grandine guttæ.
Millia multa nimis ſic interiêre ſub vndis.
Cæruleum iam purpureo mutata colorem
Defluit vnda rubens, humana cadauera pontem
Noſtris præbebant, tranſire volentibus vltra.
Sic tranſportatus cum turmis Dux Gotefridus
Hoſtes ex vndis ſeruatos irruit armis,
Feruidus innumeras proſtrauit & ipſe Cateruas,
Circumquaque premit fugientes, atque peremit.
Vſque furit gladius confundens ſtragis aceruos.
Dum nox compoſuit pariter bellumque diemque,
Boiemii caſtris Saxonum de ſpoliatis
Veſtibus occiſos nudant truncantque iacentes,
Plurima diripiunt carpenta ferentia victum,
Atque ſuis multas caſtris traxêre rapinas.
Saxea gens nunc digna tuis cape præmia factis:
Sic benè quæſiſti quæ patria iura petiſti.
Ius certè quodcunque feres & conditionem,
Amplius ex dextræ victricis munere pendet.
Rex veſpertinus victor de cæde reuerſus
Imperat exquiri quæ ſaucia, quæ've ſuorum
Corpora per campos iaceant occiſa cruentos.
Saucia committi medicis, defuncta ſepulchris.
Poſtea cùm primùm ſtellas lux alma fugârat,
Agmina militiæ iubet ad ſe cuncta vocari,
Ipſe dehinc medius conſurgens talia fatur:
Virtus veſtra meum quanti perpendat honorem

Ac decus Imperii, declarant bella peracta.
Mecum vos animas in aperta pericula veſtras
Miſiſtis: gentem domuiſtis in arma ferocem.
Nec dubitata mihi fuit hæc victoria belli,
Dum me veſtra comes virtus ſequeretur in arma,
Qua comitatus ego ſecurus in omnia vado.
Maximus en vobis labor eſt pugnando peractus:
Nunc agitate fugæ verſos, componite bellum:
Illorum fines inuadite depopulantes,
Vt commiſſa luant, qui iura Dei violabant.
Nec fuga ſaluet eos, bello quos arma nequibant.
Vix ea dicta dabat, ſimul omnes ſigna leuabant,
Acriter hoſtiles inuadunt vndique fines:
Vaſtatas prædis villas dant ignibus atris:
Conſumptor furit immiſſus Vulcanus haberis.
Sic Rex per patriam deducens agmina totam
Cuncta timore domat, vi caſtraque cepit & vrbes,
Eccleſias Chriſti tantum defendit ab igni.
Boiemii variant prædas rapiuntque trahuntque:
Hi pecus è ſtabulis abigunt ardentibus, illi
Multis plauſtra onerant ſpoliis ex igne receptis.
Hi monſtrant foſſas loca per ſecreta repertas,
In lucemque trahunt argenti pondus & auri
Defoſſi, pulchras veſtes, inſignia multa,
Aſt alii latebris ſylueſtribus arte repertis,
Pluribus extractis gaudent diteſcere prædis.
Vis & odora canum nonnullis commoda rerum
Monſtrat, in obſcuris penitus defoſſa cauernis.
Paucis Saxonum remanet domus, aut pecus, aut res.
Per totam patriam nullis vaſtantibus obſtat.
Plures in ſyluis latitantque paluſtribus herbis:
Plures caſtra petunt Regis ſeque & ſua dedunt,
Quis vel nunc veniam clementia regia donat.
Rex victor patria ſic vndique depopulata,
Agmina muneribus domans dimittit opimis.
Ipſe retinentes, nec adhuc ſua fræna ferentes,
Fidenteſque fugæ, non deſtitit exagitare,
Bello multiplici petit illos ſemper & acri,
Nunc hâc nunc illac fines inuaſit eorum,
Ipſis per curuas valles ſyluaſque moratis

Impro-

Improuiſus adeſt, agitantibus otia tuta,
Pontifices Comiteſque cepit, reliquosque fugauit,
Quæque relicta prius, flammis nunc tradidit atris.
His aliisque modis Rex inuictiſſimus hoſtes
Conterit atque premit, nec adhuc gens victa quieuit,
Sed iuga detrectat & regia iura negabat.
Ergo ſuperborum Rex debellator & vltor
Rurſus in arma vocat lectiſſima quæque ſuorum
Agmina, Lotharios cum Francis Boiariisque,
Inuictas acies bello, ſectatur & hoſtes,
Certus eos toto iamiam propellere regno.
Exue duritiam cordis gens ſæua, Vel ipſo
Temporis articulo iam nunc delebere, vel tu,
Vel tua poſteritas, niſi colla ſuperba remittas.
Victa reſiſtis ei, cui nullus reſtitit vnquam?
Exhorrésne pio Regi tua dedere colla?
Num peſſundatus eſt quiſquam ſibi deditus vnquam?
Subdere clementi, ſupplex ſubſternere miti.
Ipſe paternorum certiſſimus aſſecla morum
Parcit ſubiectis debellaturque ſuperbos.
Ergo propinquantis dicto cum milite Regis
Caſtra petunt humiles Saxonum quiſque valentes,
Iam diffidentes armiſque doliſque fugæque,
Armis exuti, demiſſi colla ſuperba,
Nudatique pedes cuncti cum ſupplice voto
Regi ſe dedunt omni ſine conditione.
Ecce tenes ſolitum, tu Rex inuicte, triumphum, *Apoſtrophe ad Regem.*
Cum tua frena pati gentem effrenem docuiſti:
Vt virtute geris, ſic & pietate parentes
Rex Auguſte gere, tu ſubſtratis miſerere.
His ſatis exempli, fortiſſime, iam ſtatuiſti,
Si qui forté tuis obſiſtent amplius armis.
Nunc tibi ſupplicibus propone quibuſque futuris,
Quid de te ſperent, dum ſe tibi, Rex pie, dedent.

ALBOINI PRESBYTERI

Epiſtolæ

Anno 1076.

DE CONIVGIO SACERDOTVM PER HILDEBRANDVM Papam damnato,

CONTRA EPISTOLAS BERNOLDI *Conſtantienſis Presbyteri De Cœlibatu Eccleſiaſticorum.*

I.

BERNALDO contra Librum ſuperiorem molam abſque inferiore fœneranti ALBOINVS.

Non ambidextrum Aod tam improuisò quaſi inter oſcitantes poſſe opprimi inter dumoſa tui cornu petentis tyronis diuortia mihi quaſi tremulo pede vix itur: imo etiam milleformis Protei ſpecies præpeti manu rapientis, impediente variarum rerum inſtantia, heu neque locus, neque tempus datur tibi vel ad pauca pro libitu reſpondendi. Hinc vrget enimuerò quædam noſtrorum confratrum antiquitùs inſtituta orandi conditio; illinc inſtat noſtri Senioris in expeditionem eundi ornatio; cui comitatui, ac ſi iniquæ mentis aſellus, licet mille ſtimulis agitatus, vix ac vix enataui: quod tibi in aurem ſuſurro non magno mei periculo. Inter hæc omnia voluti ne dedignando præterire videar tui dicta, operam dare volo reſpondere tibi vel ad aliqua.

Saxonicâ Henrici Imperatoris.

Me, vti tuis litteris notatum eſſe percipio, Canonicis inſtitutionibus, decretisve in aliquo reclamaſſe nullatenus conſentio. Sed hoc nunquam confeſſum fuiſſe erubeſco, & adhuc confiteri non recuſo, omniſque aſtipulatione firmandum firmatum iri deſidero, nondum lege prohibitũ, primo aditu auſteritate legis eſſe prohibendum, vindicandúmve, ſed par-

paruulum magis lacte, quàm ſolido cibo enutriendum. Ad hoc procul dubio tendit *b* Gregorius Theologus: hoc etiam probat ipſe etiã luſcus, Dei videns *c* Paphnutius, qui ambo, velis nolis, condeſcendunt noſtris infirmitatibus. Nam iſte de ante conſecrationem vſurpatis nondum in tantum, vt opinor, tuo tertio capite, quo tu quidem vrbanæ frontis, obſtinatæq; mentis ſupra modum hæres, canonizato: ſiue propter quoſdam infirmos ante Synodum iugalibus alligatos: quæ res per tunc temporis non tanti ſceleris, vti nunc eſſe perhibetur, ſiue propter quoſdam Hæreticos legitimas nuptias anathematizantes cautiùs agente: illo autem inter Canonicè tradita, ſed non Canonicè prohibita miſericordiùs mediante: vtrumq; quaſi geminum par intus, ac foris, ante, & retrò oculatus nulla caret ratione. Anne etiam te, mi frater, non pudet tuam controuerſiam in hoc defendiſſe, à Sancto *d* Gregorio Sicilianos Diacones ſuſpenſos ab officio, quaſi pro quadam pœna fuiſſe; cùm conſtet illum eoſdem cum vxoribus poſt prohibitionem ante triennium factam, caſtè cohabitare dignę remunerationi aſſcripſiſſe? Eo autem tuo ritè probato, *eris mihi magnus Apollo.*

b lib. 7. ep. 112.
c Hiſt. Eccleſ. Tripart. l. 2. c. 14.
d lib. 1. ep. 42. ad Petrũ Subdiaconum Siciliæ.

Quæ autem conuenientia, quæve ratio *e* Tripartitam hiſtoriã propter Euſebii ſcripta vix à Gelaſio authenticis approbata, neque ab eodem Gelaſio, neque ab aliquo Doctorum repudiatam, triumque tum ſecularibus, tum Eccleſiaſticis probabili teſtimonio affirmatam poſt tot ſecula à nobis eſſe refutanda? Nugæ aut fabulam te narraſſe putas ſurdo, aut quæris nodum in ſcirpo. Quid plura? Si tu ita in nos, noſtroſque confratres multò tibi, & mihi meliores pergis perplexa loqui; ſed ponam digitum ori, ne pluſquam deceat presbyterum, arguar progredi. De cætero vti coactus tui ipſius incitamento te aggrediar nudis verbis; vt quod pudibunda Patris Noë denudare non paueſcis, cum certum ſit, te de eodem ſecundum tuam ipſius ſectam peccato eſſe progenitum, qua ratione, quóve modo tu ipſe peccatum, in alio vis damnare peccatum? Caue vt tibi ſermonem faciam iuxta Salomonem;

e In qua capitulum Paphnutii de coniugio Sacerdotum.

Ante ſuum tempus nimis exaltata iuuentus,
Ne male labatur, pede deſurſum retrahatur.

II.

FRatri, ſeu in tot Hydræ capita tumenti BERNALDO, ALBOINVS, ſe nullatenus cæcis Ceraſtei veneni cornibus periclitari.

Si non ſub ſuaue Chriſti iugum colla ſubmiſſus iamdudum teſtamento pacis reſpirare appeterem, tuis maledicis reſcriptis dignum talionem reddere non ſuccumberem. Sed per nunc temporis id à me fieri, ipſa ratione Magiſtra, conſtat prohiberi, ratione, inquam, ne alicui malum pro malo reddam. A te me, vti tuis litteris liquidò patet, ſciſſo peplo Palladis, quaſi iniurias concitaſſe priorem, ſi modo aliqua cura eſſet, facilius dicto

expurgare potuiſſem. Nil autem dictum eſſe ita contumelioſum,cuique litteras,etſi malè tornatas, tamen meas legenti, luce clarius ſit expertum. Quid in hoc male feci,vel quid promerui, ſi ego à te quaſi fideliter præmonitus,etiam, verſa vice, te pro aliquo præmonere curaui ? Sed vt meo honori prouidendo,aliis, nō tibi me de hac infamia ſecuriorem reddam, libet,vti parumper pedem retrahens noſtri negocii primordia ad mediū ducam.Cum me verò tuis curatioribus ſcriptis, coaceruatiſq; Sanctorum teſtimoniis,ceu fideliter præmonendo,à Canonica regula deuiaſſe ex obliquo notaſti,quales grates,vel quid boni promeruiſſes,nō ſatis facilè inuenire potui,quod amicum ſine cauſſa admonere, quid eſt, niſi infamiæ maculam in illum plus ſpargere ? Nam vbi neq; res, neq; opus admonēdi inſtat,vbi,quid,quando,cui,imò quæq; circumſtantia vacat, ergo abſque his,quid alicuius admouere aliud valeat,niſi tantum,vt Poeta;

Omne ſuperuacuum pleno de pectore manat ?

Me verò in recepto Sozomeni capite, de quo adhuc ſub iudice lis eſt, nil vnquam à ſana doctrina deuiaſſe,cuiq; ſcire volēti patet gemina ratione, vna ſcilicet,quod nil in eodem certo loco, tempore, probatiſq; perſonis recitato,ſcripto,translato,niſi authenticum,& probabile perſpicio. Altera enim,ſi non probabili meliorem intellectum adhibens, nihil ſub eius occaſione peruerſi dogmatizo, neque tui admonitione opus habeo, nec *a* Gregoriano anathemati ſubiaceo.

a Hiltebrādino.

Nam neque tu,neq; aliquis ſanæ frontis,ſalua veritate, in faciem confiteri poteſt,quod me vnquam ſub huius *b* capituli occaſione vel cum Nicolaitis, vel cum Paulianiſtis proprias vxores ſacerdotibus conceſſiſſe audiret; ſed id tantummodo propter magnam compaſſionem magni Paphnutii,quemadmodum quoddam Gregorianum,recepiſſe me abſq; rubore fateor, propter quam rem vel à te, vel ab aliquo me notari non vereor, quod ſicut S. Gregorio Sicilianos Diaconos ab vxoribus non in tempore prohibitis, violenter & inordinatè ſeparari, deteriorem caſum timenti, minus placuit, vti Paphnutius ante conſecrationem lègitimè ductis vxoribus, ſimiliter occaſionem fornicationis abhorrens ſacerdotes non commiſceri contradixit: Sic etiam mihi homunculo,veluti cum tam ſanctis viris in idem conſentienti, nimis ac nimis temeraria noſtri temporis prohibitio,non ex omni parte beata videri potuit. Verbi gratia,quod nunquam adquiſitum, multo facilius denegatur, quam aliquando acceptum, ſi placet, auferatur. Si propter hanc rem anathemati ſubiacere debeò, *c* Gregorium, atque Paphnutium mecum in cauſſa eſſe, non parum gaudeo. Sed autem vereor *d* ne ille magis anathematizandus ſubſiſtat, qui tantis viris, expers diſcretionis, repugnat; ille etiam adhuc anathemati deteriori ſuccumbat, qui contra decreta eius-

b Paphnutiani in Nicæno concilio prolati

c Papam eo nomine primum, cognomito Magnum.

d Hiltebrandus Papa.

ta eiuſdem Gregorii, Eleutheri Paparum, Anacleti, Pontiani, Euſebii, ſacerdotes à ſecularibus infeſtari, arceri, deſpici, contemni, ab Eccleſiis abſque Synodali iudicio eliminari approbat.

Quicunque ægrotum ſolerti cura ſanare ſtudeat, circumpoſita membra, priuſquam ipſum vulnus, palpare prouideat. Si ipſum vulnus incautiùs primo aditu tractat, omnibus modis infirmus reclamat. Hac enim intentione ipſe ſectetarium Chriſti Moſes; quo peiora compeſceret, libellum repudii aſportari iubet. Sub hac etenim occaſione iuſtus Loth, vt ita dicam, ob peius malum declinandum, ipſas filias Sodomitis concedere voluit abutendum. Nonne etiam ipſe *a* ſummus Pontifex, qui cælos penetrauit, non omnes hoc verbum caſtitatis capere, neque etiam nouum muſtum in veteres vtres fundi conuenire, inſuper rudes diſcipulos, quádiu cum illis ſponſus eſt, non ieiunare profitetur, infirmitatibus noſtris miſericorditer compati non dedignatur? Nonne Paulus vas electionis, qui vſque ad tertii cœli raptus Paradiſum, vti nos ad compaſſionem promulgare ſtudeat, nos homines eſſe admonet, ſicut ſeipſum? Ille idem enimuero, quemadmodum Paphnutius, non ſolùm propter ſobolis propagationem, ſed ob deuitandam fornicationem vnicuique conceſſit ſuam vxorem. Quapropter Sozomeni caput à nobis tum ſæpe tritum nullatenus videtur tam temerè anathematizandum, quod, vt ait S. Auguſtinus In ſuo Speculo, *quidquid in diuinis ſcripturis aliquo modo probabile videtur, nullatenus ab aliquo facilè præiudicetur.* Hæc hactenus.

a Chriſtus.

At ego ſi non omnem diem, ſed diem inter diem ſapio, anathemati ſubiacere debeo? Abſit. quod ipſe ſummus Medicus neque peccatores menſa eius priuauit, nec peccatricem à tactu pedum ſeparauit. Ipſe etiam cum Principem Publicanorum ſui faciem deſiderare conſpexit, nequaquam ſui præſentia, imo etiam ſua cohabitatione defraudauit. Sed tu credo opponis illos pœnituiſſe. At rogo, vnde credas illis compunctionis motum in mentem cecidiſſe? Profectò filius hominis, qui de cœlo deſcendit, Zachæo ſui occulta inſpiratione adſcenſionem arboris perſuaſit. Sic etiam nunc, niſi ille omnia trahens ad ſe occulto ſuæ gratiæ nutu nos miſeros trahat, procul dubio noſtri Papæ authoritas vacillat: Agnum cum lupo veſci confitetur dextera excelſi. Proinde quenque piorum magis deceret pro infirmis orare, quam in iſtis malis diebus tot *b* perſecutorum ſuper eos iugum ducere. Ex quo gentes eſſe cæperunt, nulli priorum tam graue tempus inſpexerunt. Omnibus diuinis legibus poſtpoſitis pro libitu nos deuorant *ſicut eſcam pacis*. Ipſe *c* Siricius Papa non propter incontinentiam, pœnam expulſionis intulit, neque communionem populi abſtulit, ſed tantum maioris Ordinis promotionem diſtulit. Quàm diſcretè quámve miſericorditer inter præſentia & futura medians Dominus

b Papæ & Epiſcoporum clericos coniugatos perſequentium.

c decr. 3. & 4. in concil. Arelatenſi.

Papatum Græcis, tum Latinis literis eruditiſſimus Leo de huius rei negocio agat, tua curioſitas abſque omni mora in memoriam reducat. Quid opus eſt verbis? non eſt dolor noſtro ſimilis.

Vellem te, mi frater, notare, Gregorium, atque Siricium aliquantulum in iſtare, vti mihi videtur, inuicem diſſonare. Promotionem verò, quàm Siricius penitus in futurum reſecat; Gregorius Diaconibus propter prioris culpæ maculā, ſi vellent in poſtmodum continere, non denegat. Gregorius verò Diacones, quos nuſi propoſito mentis poſt tempus ad caſtitatem compelli non in tantum probauit, eoſdem vti mecum ſentis, in tempore idipſum propoſiti ante ordinem cogens ab Epiſcopis, niſi continerent, promoueri prohibuit. Idcirco pene nihil diſtat, quin eius & Paphnutii ſententia in vnum confluat. Iſte de inordinatè poſt ordinem prohibitis; ille autem, de ante conſecrationem agit vſurpatis. Iſte de commixtione; ille verò, vt ita dicam, de condormitione. Nec propter hoc neuter eorum, vti mihi videtur, in aliquo canonicis decretis reluctari videtur, quod vbi nondum per legem cognitio peccati inculcatur, potius ſuaſoria admonitio, quàm legalis diſtrictio exerceatur; aut in tempore iniuſtum interdicatur; aut ſi hoc male negligitur, circumuolutis cum linteaminibus funiculis Propheta puteo extrahitur. Quid plura? verè, ſi Paphnutius, vti tu peregrino intellectu arbitraris, vel vltroneo argumētaris, omnibus Sacerdotibus licentiam nubendi generaliter concederet, non ita ſingulariter, & euidenter de ante conſecrationem vſurpatis agere ſtuderet. Ad hoc etiamſi in aliquo ſanæ doctrinæ aduerſari inſpiceret, nullatenus in idipſum caput *a* Caſſiodorus, vir Diuæ memoriæ, magnæq; conuerſationis, & prudentiæ tam officioſè de Græco in Latinum transferre laboraret. Putaſne, ſi aliquis ſcenica arte, vt tu dicis, ſuam hæreſim ſub perſona Paphnutii tegere auderet, Caſſiodorus, tam egregius vir, ſibi transferendo fauere curaret? Non verè: quia omne ſuum opus latè per Eccleſias redolet authenticum & laudabile, cum multa ſcripta, vt in veteri, Tobiæ auctore, & in nouo, vt Apocalypſis translatore, carentia recipiamus; cur non iſtud magis vtroque probatum diligamus?

a Cuius iuſſu Epiphanius Scholaſticus Tripartitā trāſtulit.

Super hæc etiam, cum ipſum noſtrum *b* Pangirium Hieronymum tantum reſecatis iuxta legem alienigenæ crinibus, & vnguibus, id eſt, ſuperfluis, & ſanæ fidei repugnantibus ſcripturæ locis, ipſis Apocryphis aliquando renunciare nolle non ignorem, qua fronte prædictum caput tam authenticum, probabile ſuper aurum & topazium in iſtis temporibus delectabile, nihil habere præſumerem? Nullatenus, quia eſſet contra fas, & ius. In eo idipſum de Epiſcopis, quòd & de aliis ordinibus agi; Vnde tu ita ſummatim muſſitare videris, quaſi in hoc ſub æquâ conditione poſitos eſſe non miceris. Nam Epiſcopus cum Presbyteris Chriſma conſecrat,

b Panegyricū.

Presbyter-

Presbyter cum Epiſcopis corpus Domini cõficit. Diaconu ſuper altare miniſteria ordinat, ipſisque prior calicem porrigit, æquè communicat. Quid Paphnutius in eis, non inuenio; diſcernere valeat.

Iſta omnia non tibi ſed alicui infatuato ſali tam enucleatim debent inculcari. Sufficit de hoc. O mare Neptuni! O ſacra! proh ſcelus, me tam inclementer in os increpari! Inſuper in piſtrinum retrudi, quod ne funem tibimetipſi ad crucem portares, fideliter præmonui. Quamuis apud Deum non ſit perſonarum acceptio, inſuper originalis in baptiſmate peccati plena remiſſio, quodque me mutire nefas eſt, in ſcrobe tum infodio, nequaquam ſine legitimis nuptiis ex omni parte legitima procedit procreatio. Qualiter autem hoc ſit, fac periculum de temetipſo, quod huiuſmodi propter meos conſacerdotes diſſimulatum iri deſidero. Sed autem ne te defraudare videar ex toto, caue ne ſaltem capiaris in vno. Quidquid enim conuenit parti, conuenit & toti.

De hoc, quod mihi reſcripſiſti, meas literas malè tornatas eſſe, reticerem, ſi non coram meis compatriotis, neſcio quâ cauſâ, me tam turpiter dehoneſtari ęgrè tuliſſem. Qua de re licet magis ipſius ſenſus intentioni, quàm pompaticę poſitionis proprietati in illis, quemadmodum in iſtis, inhiarem, tamen ſi vniuerſaliter non reprehenſæ, ſed particulariter ad meas manus redirent puncto proſcriptæ, aut pro poſſe defenſas, vel emendatas tibi remitterem: Sin autem dexteras dando tuæ Cauillationi morem gererem, O lepidum caput, quàm eleganter quaſi prouidens meo honori, ſi meæ eſſent, ad cumulandum meum dedecus percunctãdo dubitaſti. Vah calidum conſilium tuum, amicum ſic retrahere in præcipitiũ. Si autem te ex æquo conueniſſem, tuas carbone notari dignas, te in id mihi conſentire ex magna parte compellerem, ſi earum theſin, diſtinctionem, ſubdiſtinctionem, media, vel periodo, cola, & commate, quod abſit, carere perſpicerem: niſi in tantum opprobrium malæ tornationis rugoſa fronte obſtupeſcerem. Si enimvero in tuis literis macrologiam, quam ſæpe ſoleſcere caueres, non me quaſi ſilicernium in faciem cæderes. Habe.

CLERI ET ORDINIS ECCLESIASTICI in S. Romano Imperio

APOLOGETICA.

Pro HENRICO IV. Imperatore aduerſus HILDEBRANDI Papæ excommunicationem.

Ex Auentino.

IN Conciliabulo Romano Papa Cæſarem excommunicat, proſcribit, Cæſarea dignitate priuat, idq; per orbem terrarum omnibus Chriſtianis, atrociſſimis Bullis denunciat; omnes contra eum ſub religionis prætextu inſtigat, etiam ſubditos eius quos à præſtito iuramento omniq; obligatione ſoluit, &c.

Plerique tum priuatim, tum publicè indignum facinus clamitant, pro concione Gregorio maledicunt; Hiltebrando male precantur, ipſum odio atque libidine dominandi præcipitem agi vociferantur, Antichriſtum eſſe prædicant: pietatis ſub ſpecie (inquiebant) debacchatur; honeſtis nominibus bonum publicum ſimulat, titulo Chriſti negotium Antichriſti agitat. In Babylonia, in templo Dei ſedet, ſuper omne id, quod colitur, extollitur, quaſi Deus ſit, ſe errare non poſſe gloriatur: in extollenda gloria ſua, pertinaci ſpei atque concupiſcentiæ Imperatoris ſuo arbitrio conſtituendi ſe donauit. Homines non peccatis, ſed lege Chriſti atque ſacramentis ſoluit: pacem atque pietatem religionis noſtræ labefactat: bella, ſeditiones concitat: ſtupro, cædi, periuriis, perfidiæ, rapinis, incendio indulget. Non ſolùm ad ambitionem ſuam occulendam fabulas comminiſcitur, Annales corrumpit, res geſtas inuertit; ſed etiam cœleſtia Oracula adulterat. Diuinas literas falsò interpretando, ſuæ libidini inſeruire cogit; ſacram hiſtoriam lacerat: inter mulierculas de ſacris philoſophatur literis. Quicquid dixerit, legem Dei putat, ad auiditatem ſuam incongrua conquirit teſtimonia, ſententias deprauat, ad voluntatem

tatem ſuam Scripturam trahit repugnantem. Nimium ſibi de Phariſæorum ſupercilio ſumit; vt quoſque damnare vel ſoluere arbitretur; cum apud Deum non ſententia Sacerdotis, ſed vita hominis quæratur.

Præterea Hiltebrãdus ille diuinę Maieſtati refragatur, Chriſtianiſſimo Principi diuinitus conſtituto; & à Deo inaugurato reſiſtit: verſutus, fallax, obſcurus, callidus, Imperium orbis titulo Chriſti ſub ouina pelle ambit. Alios, pecudes ignauas, ſtultos, ſtipites, caudices, aſinos, qui eius Sycophantias vaframentaque non intelligant, putat. Huc omnes neruos intendit, vt duce gregis oppreſſo, in ordinemque redacto, in oues deſertas præſidio Imperatoris, licentiùs impuniusque graſſetur. Si omnis poteſtas à Deo eſt, maxima quoque, nempe Cæſarea, ab eo ſit neceſſe eſt. Chriſtus, cum eum populus rebus imponere conaretur, aufugit: & duos de hæreditate ambigentes, qui eum arbitrum ceperant, ad Cæſarem, cui Imperium orbis terrarum commiſſum eſt, ablegauit. Pontificibus quoq; Iudæorum præcipit; *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*: cui vectigal ſoluit, tributum pendit, cenſum dedit. Idem nos D. Petrus docet: *Deum timete, Regem honore afficite.* D. Pauli præceptũ eſt: *Fidem Regi ſeruate.* Quod *ſi quiſpiam Cœlitum aliter docuerit, deuotus eſto.* Flagitium huiuſcemodi Hiltebrandi inexpiabile, ſcelus hactenus inauditum, procul ab orbe Germano abigendum, enſe, quem Imperator ſupremus ad vindictam malorum Cæſari tradit, reſecandum: lupus ſub ouina pelle ſæuiens, ferro tollendus. Septimus ille non ferris & diſputationibus, ſed vinculis & carcere fatigandus eſt. Nempe dictum eſt à Chriſto, Deo optimo maximo, Petro & eius ſucceſſoribus Romanis Epiſcopis: *Vade retrò Satana, offendiculum mihi es.* Et: *Qui gladium acceperit, gladio pereat.*

Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis,

CONRADI EPISCOPI TRAIECTENSIS,

Comitis Oſtfriſiæ, &c.

Oratio.

***PRO HENRICO IV. IMPERATORE contra* HILDEBRANDVM *Papam habita ad Principes Imperii in Conuentu Gerſtungenſi, Anno Domini* MLXXXV.**

Refertur ab Auentino.

AD pacem, quam vobis, Patres Conſcripti, Seruator noſter abiturus reliquit, ſtabiliendam conuenimus: vim, temeritatem, violentiam, errores peſtiferos eorum, qui cœleſte donum contaminare non erubeſcunt, gladio duplici, enſe ancipiti ad viuum reſecare, vtriuſque Inſtrumenti teſtimoniis iuxta præceptum Chriſti refellere, operæprecium duxim*us*. Ioſue hoſtibus aſtutis & fallacibus iuramentũ, quod mendaciter extorſerant, ſeruauit. Nabuchodonoſor impio Regi Iudæos Reges, eorum fidem frangentes, immortalis cœli maieſtas per Hieremiã atque Ezechielem Vates ſuos coarguit, ſeque ſpretum teſtatur. Qui iuramentum contemnit, fœdus ſpernit, pactum ſoluit, fidem frangit, illum deſpicit per quem iurauit, illi facit iniuriam, cuius nomini aduerſarius credidit. *Viuo ego, dicit Dominus, iuramentum quod ſpreuit, fœdus quod præuaricatus eſt, ponam in caput eius. Nunquid ſoluens pactum effugiet?* Non cõſiderandum cui, ſed per quem iuraueris. Multò enim fidelior eſt ille, qui propter nomen Dei tibi credidit, quàm tu, qui occaſione diuinæ Maieſtatis hoſti tuo, imò iam amico, moliris inſidias.

De Tiberio & Nerone, non ſolùm prauiſſimis Tyrannis, ſed impuriſſimis quoque monſtris, præceptum legimus: *Reddite Cæſari, quæ Cæſaris ſunt.* Et: *Deum timete, Regem honorate. Principibus, qui non ſine cauſa*

gladium

gladium portant, etiamſi mali fuerint, non modo dicto audientes eſtote, verùm pro vobiſce ſupremum Deum deprecamini, quo tranquillam quietamq́; vitam agamus. Omnis enim poteſtas à Deo eſt. Qui poteſtati reſiſtit, diuinæ prouidentiæ repugnat. Idcirco ambitioſi & ſuperbi ſunt, qui illud Domini Deiq́ue noſtri elogium; *Quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit & ſolutum in cœlis: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit & ligatum in cœlis*, perfricata fronte interpretando adulterant, ſuæ libidini ſeruire cogunt, & nobis ceu pueris atq; omnium rerum imperitis aſtu illudere ſtudent. Quaſi verò neſciamus, peculiare eſſe ſacris Vatibus diuinæ ſapientiæ conſultis, pro capacitate auditorum diuerſis nominibus idem appellare, eandem rem pro diuerſitate affectuum modò propriis, modò translaticiis verbis, quod idem valet, nunc figuratè, nunc ſimpliciter dicere, crebris ſimilitudinibus, frequentibus prouerbiis atque exemplis, aptis comparationibus, & huiuſmodi tanquam luminibus rem illuſtrare, animum atque aures tanquam ſtimulis ferire, &, vt ſunt varia ingenia, varia orationis ſententiarumque ſuppellectile homines inſtruere, docere, recreare, rapere, trahere, mouere, oblectare.

Et, vt D. Aurelius Auguſtinus docet, *veritas diuina ita tradita, ita ornatu tecta plus mouet, plus delectat, plus honoratur quàm ſi nuda abſque veſte proſtitueretur.* Nempe animus noſter quamdiu mortali carcere clauſus detinetur, nolit velit, rebus fluxis, fragilibus, quæ videri, tangi ſolent, nimium addictus eſt; ad æterna & clara, quæ cerni, tactu ſentiri nequeunt, cæcutit atque hebetatur, niſi igniculus ingenii hiſce fomentis motus excitetur. Proinde Pontifex æternus, id quod ſubobſcurè de vinculo dixit, *Pax vobis*, inquit: *ſicut me miſit Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum: quibus remiſeritis peccata, remittuntor; & quorum retinueritis, retenta ſunto.* Et vt concordiam aſſereret, vt vnum ſe verum Paſtorem eſſe indicaret, vni dixit: *Siquidem amas me, paſce oues meas.* Id eſt; *Ite in mundũ vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Atque; *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Ite ergo, docete omnes gentes.* Hanc ob cauſam aperuit diſcipulis mentẽ cœleſtis Doctor, vt intelligerent ſcripturas, Moſen, Prophetas & Pſalmos. Iuſſitque eos in nomine ſuo pœnitentiã & remiſſionem peccatorum prædicare apud omnes gentes, teſteſq́ue horum eſſe.

Has ergo ob cauſas Hiltebrandus ambitione in præceps abiuit, cum poteſtatem immortalis Dei, cuius nuncius duntaxat eſt, ſibi vſurpauit. Ita mores, ita tempora, ita homines ſunt. Malè conſuluiſſet rebus humanis ſuprema illa Maieſtas, ſi ita gladium in manum mortalis cuiuſquam traderet. Quis concupiſcentiæ humanæ finem ſtatueret? aut quis moderaretur? Ne ſapientiſſimus quidem æquo animo tantum opus tulerit. Non neceſſe habemus, vt quiſpiam nos doceat, quonam pacto ſpiritali

poteſtate, vel, vt verius dicam, diſpenſatione atque procuratione diuini penus (oraculorum enim cœleſtium promi atque condi duntaxat ſumus) Petrus eiusque collegæ vſi fuerint. Clarius luce in libro, quem de geſtis Legatorum Chriſti Lucas medicus ſcripſit, liquet: arma noſtræ militiæ, Spiritus, non ferrum, neque rapinæ, cædes, homicidia, periuria ſunt: nimirum lorica, thorax, galea, baltheus, enſis, ſcutum, ſunt pax, amor, iuſtitia, ſpes ſalutis, veritas, ſermo Dei, fides. Quæ munera diuina ſæpius Imperator noſter Chriſtianiſſimus vltrò Hildebrãdo obtulit, ſed ipſe recipere recuſauit. Non inficias imus, homo eſt ille, peccare ſolet. Nam nemo vicijs ſine naſcitur: optimus ille eſt, qui minimis vrgetur. Nulla tamen illi, niſi ex permiſſo, voluptas Veneris, iuxtaque naturale deſiderium vſus, quæ ſicut iuuentâ irritari, ita ſenectute mitigari ſolent.

Iam id fateor, peccatum primum quidem magnum, at humanum tamen: fecêre alii ſæpe, item boni. Et profectò rectè æſtimantibus Principem noſtrum, liquet bona natura eius eſſe, vitia vel fortunæ vel ætatis. ingentia animi bona, illa indoles in rebus moliendis, conficiendis velocitas, periculisq; ſubeundis fortitudo, vis incredibilis animi, & quantam vix poteſt ætas eius capere ſolertia. Rei militaris, iuris, ciuilium morum, diuinarum humanarumq; rerum peritia, fortitudo propemodum nimia, non modò inter Reges excellens, ſed inter illos quoque, quorum hæc ſola virtus fuit. Iam perpetuum pacis, pietatis atque religionis ſtudium, in pauperes liberalitas, maiora tribuentis quàm à Deo petuntur, clementia in deuictos, benignitas in amicos, erga milites beneuolentia, in nullo vnquam Germano Romanóve tanta fuêre Principe. Quod ſi flagitioſiſſimus is foret Tyrannus, tamen ei obtemperandum, nequaquam reſiſtendum eſſet. Prohibent humanæ Leges, Decretaque Patrum, aduerſarios, hoſtes, inimicos, accuſatores, teſtes atque iudices eſſe. Auguſtus dum in Italia cum Hildebrãdo pacem facit, paucorum ſcelere atque perfidia Saxoniâ excidit. perfidus a tyrannus, qui perfidiæ graues pœnas reddidit, ſpreta religione iuris iurandi, violata affinitate, neceſſitudine, eam inuaſit. Nemini priuato, niſi ante in integrum reſtitutus fuerit, dica ſcribi poteſt.

a Rudolphus Rex Anticaſar.

ADDITIO.

Hæc vbi dixit, librum dat Pontificalem Weziloni Archimyſtæ Moguntino, recitariq́ue legem iubet, qua non licet ſpoliatum rebus ſuis reſpondere, accuſari, nedum condemnari. Eundem codicem deinde Wernherus Mersburgenſis Pontifex accipit. De fœminis quoque idem cantũ legit, ne ſcilicet eæ priùs in ius ambulare cogantur, quam familiarem rem domi compoſuerint. Poſteaquam hæc ita dicta factaque ſunt, Gebhardus

Salisbur-

Salisburgenſis, Boiorum Primarius Epiſcopus,ætate,eloquentia, ſcientia egregiè præter cæteros Hildebrandinos venerabilis,cui ſocii reſpondendi prouinciam demandarunt,omninò obmutuit, ne hiſcere quidem potuit,&c.

Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis,

WALTRAMI EPISCOPI NAVMBVRGENSIS

Epiſtola

AD LVDOVICVM LANTGRAuium Thuringiæ, pro HENRICO IV. *Imperatore contra* HILDEBRANDVM *Papam, vt eo deſerto, Imperatori inhæreant.*

WALTRAMVS Dei gratia id quod eſt, LVDOVICO Sereniſſimo Principi,cum inſtãtia orationum, ſemetipſum ad omnia deuotiſſimum. *Exſtat apud Dodechinum Abbatem, & Baronium tom. XI.*

Omni Regno velis eſt concordia,deſiderabilis eſt iuſtitia. Hæc enim virtus mater eſt probitatis,& conſeruatio totius honeſtatis. Qui autem inteſtinâ graſſando diſſenſione,ad humani ſanguinis alios irritat effuſionem, profectò vir ſanguinum ſitiens ſemper circuit quærens quem deuoret. Tu igitur, glorioſiſſime Princeps, attendens, quomodo Deus pacis eſt, & non diſſenſionis,quod ex te eſt,pacem cum omnibus habeas. Deus charitas eſt, Diabolus odium. Tota lex & prophetæ in dilectione pendent. Qui autem odit fratrem ſuum, homicida eſt, nec habet partem in Chriſti regno & Dei.

Hoc ipſa Veritas, hoc diſcipulus ille Veritatis proteſtatur,qui de pe- *1. Ioan. 3.*
ctore Dominico Euangelii profundiùs potatus veritatem,fluminis impetu lætificat abundantiùs ciuitatem Dei. Sed ille,vas electionis, qui vſq;

ad tertium cœlum raptus, non ſecundùm hominẽ, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti Euangelium ſuum didicit: *Omnis*, inquit, *anima poteſtatibus* Rom. 13. *ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo. Qui autem reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Sicut amici noſtri inter mulierculas & ſimplex vulgus ſomniant, Regiæ poteſtati ſubdi non oportere: falſum eſſe ergo, quòd omnem animam poteſtati ſubdi oporteat. Sed nunquid Veritas mendacii arguenda eſt? An experimentum quærimus eius, qui in Apoſtolo loquebatur Chriſtus? an æmulamur Dominum? Nunquid fortiores illo ſumus? Fortiorem ſe confidit, qui Dei ordinationi reſiſtit, Iſai. 41. quoniam non eſt poteſtas niſi à Deo. Sed quid ait Propheta? *Confundantur omnes, qui pugnant aduerſum te, Domine.* Et: *Peribunt viri, qui reſiſtunt tibi.* Exitum trium Anticæſarum. Hildebrandus, Rodulphus, Hermannus, Eggebertus, & innumeri Principes Dei ordinationi in Henrico Imperatore reſtiterunt: & ecce quaſi non fuerint, perierũt, quia profectò neceſſe eſt, malum fuiſſe principium, quorum finis peſſimus ſubſecutus eſt.

Nunc ergo quoniam, qui ex aduerſa ſunt parte, ſuis aduerſum nos eminus digladiantur ratiocinationibus, veſtro iudicio, vbi ius, vel etiam in veſtro iudicio conſeramus, domicilio tantùm non ſuo vſuario, ſed Chriſti, & antiquorum Patrum vtamur teſtimonio. Ac ne fortè recuſetur, lex huius eſto certaminis, vel me in populorum tranſire ſententiam, vel ex noſtro triumpho vos Domino noſtro Imperatori lucrifaciamus. Galat. 1. Attendatur & illud: *Si quis aliter euangelizat, præter quod euangelizatum eſt vobis, anathema ſit.* Hoc anathema non de profanæ vanitatis vſuario, ſed de tertio intonuit cœlo. De iſtis autem, qui ignorantes Dei iuſtitiam, &c. quærentes ſuam ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti, fiducialiter dixerim: Pſalm. 108. *Maledicent illi, & tu benedices: qui inſurgunt in me, confundantur. Seruus autem tuus lætabitur:* quoniam, vt ais Domine, *ſine me nihil poteſtis facere*, nec damnas iuſtum, cum iudicabitur illi. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Suo domino ſtat, aut cadit.*

Dat. 1090.

Reueren-

Reuerendiſsimi & Illuſtriſsimi Principis,

WALTRAMI EPISCOPI NAVMBVRGENSIS

Scriptum hoc opus A.D.1093

Apologiæ

LIBER I.

PRO HENRICO IV. IMPERATORE aduerſus HILDEBRANDI *Papæ* Epiſtolam ad* HERMANNVM *Metenſem Epiſcopum pro iuſtificando facto excommunicationis, quam in dictum Imperatorem fecerat.*

**Exſtat ea integra apud Brunonem tom. 1. Germ. Scriptor. amici noſtri Marq. Freheri, & habes infrà in Hildebrandinorum Tractatibus.*

CAPITVLVM I.

NEMO *aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo.* Per hæc S. Euangelii verba commendat Dominus vnitatem Eccleſiæ, quæ per charitatem concordans membrorũ vnitate, colligit ſe in cœlum in ipſo Redemptore, qui eſt caput Eccleſiæ. Sic enim ipſe orat ad patrem pro fidelibus ſuis, quos prædeſtinauit concordes fore in vinculo charitatis & pacis: *Rogo,* inquiens, *vt omnes vnum ſint: ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint: & dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in eis.* Vnde S. Auguſtinus in ipſius Euangelii expoſitione: *In vno,* inquit, *eſtote, vnum eſtote, vnus eſtote.* Et, *Væ illis, qui oderunt vnitatem Eccleſiæ, præſumentes in hominibus partes facere.* Vtinam voluerint hoc attendere, qui partes in hominibus fecerunt, vt faciunt ſcindentes vnitatem Eccleſiæ. Quale flagitium ſchiſmatis conſtat grauius eſſe, quam ſcelus idololatriæ: quoniam legitur in Vet. Teſtamento, idololatriam gladio punitam eſſe, ſchiſma autem hiatu terræ. Quapropter neceſſarium duximus, ſcribere aliqua de ſtatu huius tẽporis Eccleſiæ: quia quiſquis ſenſerit ſe eſſe intra materna viſcera ipſius Eccleſiæ, non poterit

æ,quando doluerit,non condolere. Diu enim eſt, quod in regno Romani imperii bella vbique & ſeditiones aguntur,quod filii à matris Eccleſię gremio diſtrahuntur: & cum ſuperet in plurimis diſcordia, vix in paucis remanſit concordia,per quam vnitur & conſiſtit Chriſti Eccleſia: quoniã inde dicuntur ſchiſmata,quod diuiſa ſunt corda,quum ſcriptum ſit, quod *Multitudinis credentium fuerit cor vnum, & anima vna.* Sed huius diſcordię fomes & nutrimentũ fuiſſe Gregorius Papa,qui & Hildebrandi, videtur aliquibus: quod nos nec affirmamus,nec renuimus, ſed huius rei ſecretũ diuino iudicio relinquimus: quia nunc ibi cõſtitutus eſt poſt corporis huius depoſitionem,vbi ſub iudice Deo recepit iuxta meriti ſui qualitatem. Tamen dicturi ſumus pauca de ſcriptis illius, vt his ea, qua oportet, diligentia perſpectis,teneatur modus defenſionis partium ipſius: quoniam, ſicut ſcribit S.Cyprianus Epiſcopus: *Vnitatem qui non tenet,non tenet patris & filii fidem: vitam non tenet, & ſalutem.*

CAPITVLVM II.

IGITVR Romana eccleſia mater eſt omnium Eccleſiarum,quæ faciunt vnam catholicam eccleſiam: & dignitas Romani nominis caput vel domina dicitur populorum,qui pertinent ad ipſam Romam: quæ cum ſit libera,facit etiam vt ſint liberi,quotquot ſunt ſub ciuilitate ſua. Hinc ſanctus Gregorius,ſcribẽs ad Phocam Imperatorem: *Reformetur,*inquit,*iam ſingulis ſub iugo pii imperii libertas ſua: quoniam hoc inter reges gentium & reipublicæ diſtat,quod reges gentium domini ſeruorum ſunt,Imperatores vero Reipub. domini liberorum.* Sed Conſtantinopolis, quæ noua Roma dicitur, tunc erat ſedes Imperatoriæ dignitatis,hoc ita ordinante induſtria & religione Conſtantini Imperatoris,vt vetus Roma obtineret primatum Apoſtolici honoris,& noua retineret principatum regiæ maieſtatis, vt ſic mater & filia concordarent in vnitatẽ Chriſtianæ fidei & religionis. Poſtquam autem degenerauerunt nouæ illius Romæ Imperatores, facti vel hæretici,vel hæreticorum defenſores, ſiue etiam catholicæ Eccleſiæ perſequutores: tunc mater quaſi ſcribere cœpit filiæ libellum repudii, & alios filios nobilitate ſimul,& virtute præſtantiores adquiſiuit ſibi, vt Galliæ & Germaniæ populi ſint & filii,& ciues ſui,atque Reges earum Imperatores ſint Reipublicæ & Romanæ Eccleſiæ Patricii. Vnde legitur, Stephanum Papam veniſſe ad Regem Pippinum, & poſtulaſſe patrocinium eius cõtra Haiſtulfum Regem Longobardorum, ac ipſius patrocinii gratia decreuiſſe quemlibet deinceps Regem Francorum Patricium eſſe Romanorum,ſicut verbi cauſa legitur in Chirographis de Carolo ſcriptum: *Carolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac patricius Romanorum*

rum

rum. Hic eſt Carolus, qui primus ex Francorum Regibus Imperator eſt ordinatus: quod vt fieret, per illius temporis Pontificem Romanum inuitus eſt adductus. Cuius etiam pater Pippinus, (de quo ſupra dictum eſt) cum eſſet Maior domus in regno Francorum, hoc eſt, Præfectus palatii, & ad eum ſpectaret ſumma Regiæ poteſtatis & officii, electus eſt primus ex Præfectis palatii in Regem, atque ordinatus eſt per beati Bonifacii Moguntini Archiepiſcopi benedictionem, prius ſuper hoc expetito Zachariæ Papæ iudicio: quia conſenſus & authoritas Romani Pontificis neceſſaria huic videbatur negotio. Miſſus eſt enim ad eum venerabilis vir, Burchardus Wirtzburgenſis eccleſiæ Epiſcopus, cum aliis ad hanc legationem idoneis nunciis, qui ex mandatis Principum interrogarent eius ſententiæ oraculum, & acciperēt reſponſum, quomodo poſſent reformare regnum Francorum in priſtinæ dignitatis ſtatum, quod multo iam tempore non haberet regii honoris priuilegiū: illum vero, qui Rex diceretur, nihil amplius habere, niſi quoddam vani nominis ſimulacrum, cum nec opes, nec potentia, nec aliqua diſpoſitio regni apud illum eſſet: ſed apud Maiorem domus quicunque palatio præeſſet; proinde iuſtum & idoneum ſibi videri, vt ab Hilderico totius regiæ dignitatis & potentiæ iam ex hæreditaria ſucceſſione priuato, transferretur regium nomen ad Pippinum, nunc temporis Præfectum palatii, qui pro nobilitate ſua atque virtute dignus fuiſſet, quatenus ipſe, qui domi & militiæ regni gubernacula fortiter procuraret, cum labore pariter & officio nomen Regis conuenienter ſuſciperet. Quorum poſtulationem cum æquam atque vtilem Zacharias Papa iudicaſſet, ad ea quæ poſtulabant conſenſit, atque eiuſdem conſenſus ſententiam poſtea Stephanus Papa confirmauit: & Pippinus factus eſt Rex communi ſuffragio Principum, atque Hildericus ex vano nomine Regis promeruit tonſuratus coronam monaſticæ religionis, & habitum. Quod ſi ita eſt, immo quia ita eſt, videtur ſupradict⁹ Papa Gregorius, qui & Hildebrādt, immerito hāc notam impoſuiſſe vel Zachariæ, vel Stephano, religioſis Pontificibus Romanæ eccleſiæ, vt ipſi ſola authoritate ſua Hilderichum à regno deponerēt, & abſoluerent omnes Francigenas à iuramento fidelitatis, quam illi feciſſent; cùm fortaſſe ei, qui huiuſmodi erat (iuxta quod ſupra dictum eſt) Principes regni aliquod iuramentum dare indignū duxiſſent. Sic enim ſcripſit inter alia plurima ad Herimannum Metenſem Epiſcopum, vt corroboraret per hoc animos partiū ſuarum, quatenus tuto relinquerent Regem ſuum, quaſi ipſe hoc exemplo poteſtatem haberet deponere eum. *Quidam*, inquit, *Romanus pontifex Regem Francorum non tam pro ſuis iniquitatibus, quàm pro eo, quod tanta poteſtati non erat vtilis, à regno depoſuit. & Pippinum Caroli Magni Imperatoris patrem in eius loco ſubſtituit: omnes Francigenas à iuramento fidelitatis, quam illi fece-* *Extat apud Brunonem & Bernriedenſem.*

rant, abſoluit. Et longe ſupra: *Vt de multis,* inquit, *pauca dicamus, quis ignorat vocem Domini ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti in Euangelio dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram, & in cœlis erit ſolutum? Nunquid hic Reges excepti ſunt? aut non ſunt de ouibus, quas filius Dei B. Petro commiſit?*

CAPITVLVM III.

HÆc verba, ſi charitas, quæ ædificat, temperaret, diſceſſio illorum, per quos regendus eſt mundus, iam facta non fuiſſet: quoniam ſicut ſcribit S. Leo Papa: *Omnes res tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad diuinam confeſſionem pertinent, & regia & ſacerdotalis defenderet authoritas.* Vnde & Gelaſius Papa: *Chriſtus,* inquit, *memor fragilitatis humanæ, quod ſuorum ſaluti congrueret, diſpenſatione magnifica temperaret, ſic actionibus propriis dignitatibuſque diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit, vt & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium curſu rerum Imperialibus diſpoſitionibus vterentur: ac ſic modeſtia vtriuſq; ordinis curaretur, ne vtroque ſuffultus extolleretur.* Quæ cum ita Deus diſpoſuerit, & hæc duo, quibus principaliter hic mundus regatur, Regalem ſcilicet poteſtatem, & ſacratam Pontificum authoritatem ordinauerit, quis contra hæc ire tentabit, niſi qui Dei ordinationi reſiſtit? Eo enim modo beatus Apoſtolus Paulus Eccleſiam Dei ordinat, vt nihil aduerſus Principes & poteſtates ſeculi gerens, per quietem & tranquillitatem vitæ opus iuſtitiæ & pietatis exerceat. *Omnis,* inquit, *anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate, quod bonum & acceptum eſt coram ſaluatore noſtro Deo. Qui autem reſiſtit poteſtati, Dei* (inquit) *ordinationi reſiſtit.* Non hic de illis poteſtatibus dicit, quæ perſecutiones inferunt fidei: quia ibi dicendum eſt, *Deo obtemperare oportet magis, quàm hominibus.* Sed de iſtis communibus dicit, quæ non ſunt timori boni operis, ſed mali: quibus vtique qui reſiſtit, ipſe ſibi damnationem pro geſtorum qualitate conquirit. *Vis autem,* ait, *non timere poteſtatem? benefac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt, tibi in bonum: ſi autem male feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.* Ex his certè Apoſtoli verbis apparet, ordinaſſe Deum non per antiſtites & Eccleſiarum principes omnia crimina vindicari: ſed ea, quæ excedunt diſtrictionem eccleſiaſticæ lenitatis, vindicari per iudicem mundi. Sacerdotale enim iudicium non habet niſi gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei: atque ideo quum per eccleſia-

ſticas

ſticas regulas non potuerit hæreticos coercere Eccleſia Dei, adiuuatur (ſicut ait beatus Leo Papa) ſeueris conſtitutionibus Chriſtianorum Principum, quando ad ſpirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale iudicium. Sæpe autem contigit, Reges aliquos vel Imperatores fuiſſe hæreticorum fautores atque defenſores: ſed quantò crudelior hoſtis ad nocendum, tantò perſpicacior cura erat Epiſcoporum, pro expetenda pace Eccleſiarum: quoniam iuxta Anaſtaſii Papæ teſtimoniū, *ille pro Chriſto fungitur legatione, qui pro pace precatur Eccleſiæ.* Quapropter idem Anaſtaſius ſcribit ad Anaſtaſium Imperatorem hæreticū, & defenſorem hæreticorum: *Glorioſiſſimo & clementiſſimo filio Anaſtaſio Auguſto, Anaſtaſius Epiſcopus. Exordium pontificatus mei primitus oblata populis pace pronuncio, conſequenter pro fide catholica humilis pietatis tuæ precator occurro: in quorum primo diuinum fauorem propinquaſſe confido, quod conſonantia in me auguſtiſſimi nominis non dubium præſtat auxilium, vt ſicut vocabulum pietatis tuæ per vniuerſas gentes toto orbe præfulget, ita per miniſterium meæ humilitatis, ſicut ſemper eſt, ſedes beatiſſimi Petri in vniuerſali Eccleſia aſſignatum à Domino Deo teneat principatum.* Et Gelaſius Papa ſcribens permulta ad eundem Anaſtaſium Imperatorem, pro pace eccleſiaſtica, ſic ait inter cætera: *Fili clementiſſime, rogo te purè, ſyncerè, vt me in hac vita audias potius deprecantem, quàm (quod abſit) in diuino iudicio ſentias accuſantem.* Sic certè, ſic ſolebant Deo digni Pontifices Romani ſuppliciter deprecari pro eccleſiaſtica pace, non quærentes, immo nunquam concipientes animo aliquos de Regibus ſiue Imperatoribus deponere: & ideo pacem quærentibus, atq; pacem offerentibus aderat Deus, remunerans humilitatem, patientiam, & manſuetudinem eorum, & vindicans ſe ſuper hoſtibus ipſorum. Nam poſtquam ille etiam Anaſtaſius Imperator hæreticus Præſules Eccleſiarū ſupplicantes audire contempſit, diuino iudicio aduſtus fulmine interiit. Quærit autem nunc aliquis Pontificum deponere Principem populorū, quod eſt excitare quaſi incendium ad deſtructionem Eccleſiarum. Si enim ponamus (verbi gratia) credentes Chriſto poteſtatibus ſeculi ſubiectos non eſſe, non tradere tributa, nec vectigalia penſitare, nulli eorum timorem vel honorem deferre: nonne per hoc Rectorum & Principum merito in ſemetipſos arma conuerterent: & perſequutores quidem ſuos excuſabiles, ſemetipſos verò culpabiles facerent? Non enim iam fidei, ſed contumaciæ cauſa impugnari viderentur; & eſſet eis cauſa quidem mortis digna, meritum verò mortis indignum. Hoc ergo prouidens dicit Apoſtolus, immo per Apoſtolum ſic ordinat Chriſtus: *Reddite omnibus debitum: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem: nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* Et ipſe Rex regum, & Dominus dominantium Ieſus Chriſtus, dignatus ſe-

cundum carnis diſpenſationem deſcribi ciuis Romanus, regulam quam conſtituit ſuper his dicēs: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo*: hanc, inquam, ſuæ conſtitutionis regulam proprio confirmauit exemplo. Dixit enim ad Petrum, poſtquam oſtenderat ſe à tributo liberum, vtpote Regis filium, & ſecundum carnem, & ſecundum ſpiritum: *Vt autem*, inquit, *non ſcandalizemus eos*: id eſt, ne nos Cæſari contradicentes, tumultuandi eis occaſionem præbeamus, *vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me & te.* Quæ quum ita ſint à Deo diſpoſita, & ſcriptis atq; exemplis comprobata, nonne Dei ordinationi reſiſtit, qui poteſtatibus reſiſtit? quali nec obaudiendum Apoſtolus præcipit, etiamſi angelus de cœlo aliter, quam euangelizatum eſt, prædicauerit? *Quidam*, inquit, *Romanus Pontifex Regem Francorum non tam pro ſuis iniquitatibus, quã pro eo, quod tantæ poteſtati non erat vtilis, à regno depoſuit.* Superius quidem dictum eſt, & vere iuxta fidem hiſtoriarum dictum eſt, Zachariam Papam communi Principum de regno Francorum legationi conſenſum præbuiſſe, qui decreuerant pro Hilderico, apud quem nulla vel regia poteſtas, vel regia dignitas: ſed ſolum regium nomen erat, dignam in regno perſonam conſtituere, & vt omnis exhinc occaſio tumultus abeſſet, monaſterio eum mancipare, pro eo quod videbatur fuiſſe dignior coronari tonſura monachi, quam regio diademate. Sed noſtri temporis Rex & Imperator, natus & nutritus in regno, quantum ſpectat ad humanũ iudicium, dignus quidem videtur Imperio, quum ex propria virtute, tum ex maiorum ſuorum merito & dignitate. Conferte nunc, ſi placet, illum exhæredatum totius regiæ dignitatis ac regiæ poteſtatis Hildericum, cum hoc tali viro, cui (vt ſalua dixerim fide) non inuenitur in toto Francorum regno aptior perſona Romano imperio: quem per totũ tempus imminentis belli, quod iam per XVII. annos geſtum eſt, Deus mirabiliter cuſtodiuit: quem & in omnibus præliis, quibus ſexies cum hoſtibus conflixit, ineffabili modo protexit, & eripuit. Hoſtes quippe eius erant, qui iuxta regium morem ſacramento ei fidem aliquando promiſerant, qui pro eo ad confirmandas ſupradicti Papæ Hildebrandi partes duos potius inuaſores regni, quam Reges, vnum poſt vnum, ſuper ſe conſtituerant: quorum *a* vnus in prælio cecidit, *b* alter in expugnatione vnius caſtelli miſerabiliter occubuit. Sic ille Romanus Pontifex pacem confirmauit, quam Chriſtus dedit fidelibus, atque reliquit. *Pacem meam*, inquit, *do vobis, pacem relinquo vobis.* Et: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

a *Rudolphus.*
b *Hermannus.*

CAPITVLVM IV.

ECCE autem, erat inter hæc Herimanno Metenſi Epiſcopo non medica

dica cura vel de obedientiæ ſententia, vel de fidei ſuæ obſeruantia. Nouerat enim, ſe obedientiam debere Romano Pontifici propter primatum ſedis Apoſtolicæ: nouerat etiam ſe fidei, quam iuraméto promiſerat Regi, debitorem fuiſſe, quorum alterutrum violare magni eſt periculi: & ideo reus eſſe videtur grandis piaculi, per quem facta eſt hæc diſceſſio inter rectores mundi. Sed ille Gregorius, qui & Hildebrandt, ſecurũ quodammodo fecit prędictum Epiſcopum, & reliquos fautores partium ſuarũ ſuper iuratæ fidei præuaricatione, ſcribẽs, vt ſupra dictum eſt, quendã Pontificem Romanum omnes Francigenas à iuramento fidelitatis, quam Hilderico inutili (vt ipſe etiam dicit) ad regni gubernacula Regi promiſerãt, abſoluiſſe: vt intelligatur, ſe quoque tali exemplo poſſe, quos voluerit, à ſacramento debitæ fidei abſoluere. Propter quod & hoc intulit, quod Dominus beato Petro dicit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Verum etiam certum eſt, quod Dominus beato Petro, & in ipſo ſanctæ Eccleſię dederit ius ligandi atque ſoluendi, ſed vincula peccatorum, non vt ſolueret ſacramẽta diuinarum ſcripturarum, neque vt ligaret Dei verbum: quoniam (ſicut ait Apoſtolus) verbum Dei non eſt alligatum. Ergo præcipit Dominus per Möyſen filiis Iſrael, immo filiis Eccleſiæ, ad quos magis pertinet repromiſſio Iſrael: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum: nec enim inſontem habebit Dominus eum, qui aſſumſerit nomen Domini Dei ſui in fruſtra.* Quis poterit ſoluere iſtam Domini ſententiam, ſiue illam, qua loquitur per Ezechielem Prophetam: *Qui ſoluit pactum, nunquid effugiet? Viuo ego, dicit Dominus: quoniam iuramentum quod ſpreuit, & pactum quod præuaricatus eſt, ponam in caput eius.* Vnde & in Euangelio ipſe Dominus & Saluator ait, quod certe B. Petrus, ſicut prędicauit, ſic à Domino accepit: *Amen dico vobis, donec trãſeat cælũ & terra, iota vnũ aut vnus apex nõ præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui autẽ vnũ de mandatis iſtis minimis ſoluerit, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorũ.* Hinc S. Auguſtinus in lib. de Serm. Dom. in monte: *Mandata*, inquit, *minima ſignificantur per vnũ apicem. Qui ergo ſoluerit, & docuerit ſic, i. e. ſecundũ hoc, quod ſoluit, non ſecundũ hoc, quod inuenit, & legitur, minimus vocabitur in regno cælorũ: & fortaſſe ideo*, ait, *non erit in regno cælorũ, vbi niſi magni eſſe non poſſunt.* Ergo quũ talis ſit, qui ſoluerit vnum de mandatis Domini minimis, qualis erit, qui ſoluerit vnũ de magnis, ſiue de maximis Domini mãdatis? Quũ .n. prohibuerit Dominus in Euãgelio iurare ſiue per terrã, ſiue per cælũ, aut per aliquid huiuſmodi, nõne magnũ, immo maximũ peccatum eſt ei, ſi quis in vanũ aſſumſerit nomen Domini Dei ſui: *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis, non peierabis, reddes autem*

Domino iuſiurandum tuum. Ego autem dico vobis, Non iurabis omnino: neque per cœlum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius, &c. *Sit autem* (ait) *ſermo veſter: eſt, eſt, non, non, quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Euangelica quidem perfectio iuramentum non recipit: ſed omnis ſermo Chriſtiani ita verus ac fidelis erit, quaſi iuramentũ quis dederit. Et propterea (ſicut exponit S. Auguſtinus) intelligitur præcepiſſe Dominum, ne iuretur: ne quiſquam, ſicut bonum, appetat iuſiurandũ, & aſſiduitate iurandi per conſuetudinem delabatur ad periurium. Proinde etiam S. Iacobus Apoſtolus, confirmans ſententiam Domini de ipſo ſacramento: *Ante omnia*, inquit, *fratres mei nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem ſermo veſter: eſt, eſt, non, non: vt non ſub iudicio decidatis. Quum autem aliquis iurauerit, conſiderandum eſt non ſolum cui, ſed per quem iurauerit, conſtrictus perinde diuini atteſtatione nominis. Atque ideo, qui iuramentum contempſerit, illum proculdubio deſpicit, per quem iurauit: illique iniuriam facit, cuius nominis credidit aduerſarius: immo non iam aduerſarius, ſed amicus.* Vnde per ſupradictũ Prophetam Ezechielem comprobans Dominus iuramentum, quod fecerat Sedechias Regi Babylonis, & irritum fecerat, ſuum magis, quàm alterius fuiſſe: *Morietur*, inquit, *in prauaricatione, qua deſpexit me. Periuri* quippe *regnum Dei non poſſidebunt*, ſicut dicit Apoſtolus, immo per Apoſtolum Dominus: qui plane beato Petro, & in ipſo ſanctæ Eccleſiæ, dedit ius ligandi atque ſoluendi: ſed vincula peccatorum, non vt ſolueret ſacramenta diuinarum ſcripturarum. Quod ipſe etiam confirmaſſe legitur S. Petrus in lib. de Ordinatione S. Clementis, vbi commendat hæc diligẽter obſeruanda omnibus Chriſtianis: *Veruntamen illud*, inquiens, *eſt, quod præ cæteris omnibus vobis cupio in commune ſeruari, vt concordiam teneatis, per quod ſolum poteſtis portum quietis intrare, & ciuitatem Regis ſummi, quæ pax nominatur. Clementem autem hunc Epiſcopum vobis ordino, & datam mihi à Domino poteſtatem ligandi & ſoluendi trado, vt de omnibus, quæcunque decreuerit in terris, hoc decretum ſit & in cœlis. Ligabit enim, quod oportet ligari, & ſoluet, quod expedit ſolui, tanquam qui ad liquidum Eccleſiæ regulam nouerit.* Ecce, qualem S. Petrus à Domino poteſtatem accepit ligandi atque ſoluendi, talem & ipſe tradidit eius ſucceſſori, ſcilicet in his, quæ oportet ligari, & expedit ſolui: non vt ſoluat aliquis Scripturam Domini, quæ non poteſt vlla virtute conuelli: quoniam firmum fundamentum Dei ſtat, ſicut Apoſtolus affirmat. Et propterea ipſe S. Petrus de talibus inſtruens B. Clementem, & per eum omnes ſucceſſores ſuos, repetit, & dicit: *Tu*, inquiens, *(vt dixi) quæ oportet ligabis: & quæ expedit, ſolues.* Ex his certè omnibus manifeſtum eſt, ſupradictum Papam Hildebrandum iniuſtè pariter, & indignè impoſuiſſe hanc notam vel Zachariæ, vel Stephano, religioſis

vtique

vtique Pontificibus Romanæ Eccleſiæ, vt alicuius horum exemplo, vel vllius ſacræ Scripturæ teſtimonio poſſet abſoluere à iuramēto, quo fidem iurauerant Regi ſuo vel Principes, vel milites Reipublicæ. *Qui* enim, *ſoluit pactum, nunquid effugiet? Viuo ego, dicit Dominus: quoniam iuramentum, quod ſpreuit, & pactum, quod præuaricatus eſt, ponam in caput eius.*

CAPITVLVM V.

SEQVITVR in ſupradicta Hildebrandi Papæ ſcriptura eiuſmodi teſtimonium, quod legitur in lib. de Ordinatione S. Clementis, B. Petrum dixiſſe ad populum: *Vt ſi pontifex Romanus alicui offenſus fuerit pro delictis ſuis, cæteri non debeant ei eſſe amici, vel eum alloqui: alioqui vnum eſſe ex illis, qui exterminare volunt Eccleſiam Chriſti, quiſquis amicus fuerit ei, qui eſt huiuſmodi.* Certè non dixit hoc beatus Petrus de quolibet Rege vel Imperatore: ſed per hæc facit quemlibet de turba populi citiùs redire ad ſatisfactionē pœnitentiæ, quando viderit ſe deſtitutum eſſe amicorum ſuorum ſocietate, colloquio & amore. Nam vt quemlibet Chriſtianum Regem prætermittamus, ecce quid pro impiiſſimo etiam Nerone ſcribit ipſe S. Petrus: *Deum timete, Regem honorificate:* ſcilicet vt in hoc timor Dei comprobetur, ſi quilibet Rex honorificetur. *Chariſſimi,* inquit, *ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi, quaſi præcellenti: ſiue Ducibus, tanquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Quia ſic voluntas Dei eſt, vt benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem: ſed ſicut ſerui Dei, omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Règem honorificate.* Et beatus quidem Apoſtolus Paulus: *Obſecro,* inquit, *primo omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum & acceptum eſt coram ſaluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Non enim poteſtas, niſi à Deo: quæ autem ſunt, ordinata ſunt à Deo ad vindictam quidem malorum, laudem verò bonorum.* Et cætera, quæ dicta ſunt ſupra. Sed alia nunc inſcripta ſunt decreta contra Regem, immo contra Dei ordinationem, vt ſi Pontifex Romanus Regi offenſus fuerit pro delictis ſuis, cæteri non debeant ei eſſe amici, vel eum alloqui: alioqui vnum eſſe ex illis, qui exterminare volunt Eccleſiā Chriſti, quiſquis amicus fuerit ei, qui eſt huiuſmodi. Nec eſt inſcriptio, quæ ſimilitudinē quandam videtur operata eſſe in agro Dominico, iuxta quod dicit Dominus in Euangelio, quoniam in diuini medio ſeminis zizania ſuperſeminauit inimicus homo. Notū eſt enim his, qui experti ſunt, præ-

cipue autem his, qui diuiſionem Eccleſiæ doluerunt, qualiter multi non ſolum laicorum, ſed Epiſcoporum atque clericorum, ſiue monachorum, *habentes* quidem *zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam* (ſicut ait Apoſtolus, ſuſpenderunt ſe, ac ſegregauerunt à communione totius orbis Eccleſiarum, quotquot communicant noſtri temporis *a* Regi Francorum, & *b* Imperatori Romanorum: ipſique exigentes à nobis, non nos ab ipſis, verentur nobis communicare vel in colloquio, vel in pacis oſculo, vel in orationis ſtudio. Proinde quum ſuperior ſermo ſatis demonſtrauerit, nimis eſſe contrarium diuinę ordinationi, pariterque eccleſiaſticæ paci, poteſtatibus non ſubiacere ſublimioribus: de cætero quæramus ſi iuſta fuerit illa offenſio Papæ aduerſus Regem, quæ iis certe diuiſit Eccleſiæ vnitatē, pro cuius ſcilicet vnitatis amore totum agimus, quicquid horum loquuti fuerimus, non pro defenſione partis alterius: quandoquidem partes in Eccleſia nolit eſſe Deus, quoniam totum Eccleſiæ corpus, cuius caput eſt Chriſtus, redemit ipſe Chriſtus. Ideoque vbi non eſt totum, quod dicitur Catholica, hoc eſt, vniuerſalis Eccleſia; ibi non eſt Chriſti, ſed malignantium Eccleſia, quæ diuiſa eſt in parte aliqua.

a Philippo.
b Henrico IV.

CAPITVLVM VI.

ECCE enim idem, de quo agitur, Papa Hildebrandt, ſuſcepit aliquando in accuſatione Regis ſcripta *c* hoſtium ſuorum, & proinde excommunicauit eum: quandoquidem ſacri Canones conſtituant, non poſſe aliquos, qui ante heſternum diem, aut nudiuſtertius inimici fuerūt, vel accuſatores, vel teſtes fieri: nec debere per ſcripta vllius accuſationem ſuſcipi, nec accuſatorem abſente aduerſario audiri. Sed Rex profectus eſt in Italiam, ſatisfacturus Romano Pontifici pro culpis, quibus ſe excommunicauerat, & quaſi priuatum regno iam effecerat, depoſitoque cultu regio, & habitu, ſupplicem ſe per omnia ac pœnitentem obtulit: nec prius omni officio humilitatis impēſo deſtitit, donec in gratiam cum Papa rediit, & ad comprobandum eccleſiaſticæ reconciliationis teſtimonium ſacram communionem corporis & ſanguinis Domini de manu Pontificis accepit: menſam cum eo adiit, ac deinde dimiſſus eſt in pace: qualem ſcilicet pacem Iudas ſimulauit, non qualem Chriſtus reliquit. Aderat enim & legatio hoſtium ſuorum, quærentium omnibus modis interrumpere initum hoc reconciliationis pactum, quibus Papa reſcripſit talibus verbis: *Ne ſollicui, inquiens, ſitis, quoniam culpabiliorem eum reddo vobis.* Certe culpabiliorem facere aliquem, præcipue autem Regem, quem præcipit Petrus Apoſtolus honorificare, hoc non eſt oues Chriſti paſcere. Culpabiliorem, inquam, facere præcipuè eum, quem pœniteat culpabilē exiſtere, hoc

c Saxonum.

re, hoc non eſt ſacerdotem Domini eſſe: cum ipſe in Euangelio Dominus dicat, gaudium fieri in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Nunquid terribile, quod & illud ſacramentum corporis Domini contemnitur, quo Rex ad altare in teſtimonium eccleſiaſticę reconciliationis communicatur? quod certè ſacramentum pietatis ſignum quoque eſt vnitatis, & vinculum charitatis. Sed *ne ſollicui*, inquit, *ſitis, quia culpabiliorē eum reddo vobis.* Et ſi Rex, qui per ſeipſum culpabilis extitit, per Papam culpabilior redditur, quis eorum maioris culpæ reus tenetur? Hoc quæſo conſiderate & tenete. Ecce autem propriè ſunt Regum quædam ornamenta, ſicut corona & purpura, atq; alia regni inſignia, à quibus Regem abſtinere ad arbitrii ſui tempus decreuit Papa, huius ſcil. intentionis gratia: vt ſic aut cõtemtibilior eſſet ipſius Regis in regno perſona, donec roboraretur regnum, quod iam parabatur in electione alterius regis, dum fuerat ipſe legitimus Rex in Italia: aut ſi non permiſſus à ſe regalia reſumeret ornamenta, certiorem perinde haberet exercendæ circa eum cauſam excommunicationis: quod videtur non eſſe officium pietatis, nec ſignum concordiæ & vnitatis. Vnde S. Papa Gregorius ſcribit ita in Homeliis, & ita docet, *vt ipſa hac ligandi & ſoluendi poteſtate ſe priuet, qui hanc pro ſuis voluntatibus, & non pro ſubiectorum moribus exercet.* Rex autem reuerſus de Italia, inuenit nouum Regem, & hoſtes multiplicatos ex abſentia ſua, ex quorũ manu abſtulit cornu Principatus ſui, diuina auxiliante gratia, pariterque annitente proniſſimo in ſe Principũ fauore, quorum Deus tetigerat corda. Iam quidem exhibuerat Romano Pontifici iuxta primatum Romanæ eccleſiæ debitum honorem & obedientiam perferendo humiliter excommunicationis ſententiam, vt deinde ſatisfaciendo conſequenter poſſet promereri reconciliationis gratiam. Sed cum ipſe hoc ageret, & totus in eo eſſet, vt eiuſdem Romani Pontificis adiutorio qui ad hoc ordinatus eſt, vt ſit princeps pacis regnum pacificaret, pariterq; Eccleſiam Chriſti in vnitatem redigeret, & ea, quæ diſperſa ſunt, in vnum congregaret: ecce in quem totam ſpem poſuerat, aduerſarium ſentiebat, vtpote qui non ſibi vel ſuo regno, ſed hoſtibus contra ſe conſulebat opemq; ferebat, vt eum aut expellerent, aut omnino perderent: quale officium non eſt eorum, de quibus à Domino dicit Propheta: *Quam ſpecioſi*, inquiens, *pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Igitur Chriſtus pax eſt, & hæreditas Eccleſiæ: pax eſt; quoniam Hieruſalem, quæ ſurſum eſt, & eſt mater omniũ noſtrûm, viſio pacis interpretatur: vnde & nihil aliud patria noſtra, niſi pax vocatur. Qui autem contra pacem facit, aduerſus Chriſtum & Eccleſiam facit. *Qui enim*, inquit, *mecum non eſt, aduerſum me eſt: & qui mecũ non colligit, diſpergit:* hoc eſt, vnitatem Eccleſiæ ſcindit: quoniam quidem

Rudolphũ Sueuiæ Ducem.

nemo niſi intra vnitatem Eccleſiæ ſaluari poterit. Præterea contra Chriſtum quoque & Eccleſiam facit, quicunque terminos patrum ſuorũ transgreſſus fuerit: hoc eſt, conſtitutiones canonum exceſſerit, qui conſtituũt, & conſtituendo deſcribunt, vt nemo rebus ſuis aut honore ſpoliatus poſſit accuſari, vocari, iudicari, ſiue damnari. Quæ quum ita ſint, & nec inter catholicos reputandi ſunt, qui ſanctorũ Patrum canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos tranſgreſſi fuerint: quomodo poterit Rex iuxta minas ſupradicti Papæ Hildebrand iudicari vel damnari? quum nec inferior aliquis poſſit accuſari, vel vocari, quamdiu ſpoliatus eſt rebus ſuis, vel aliqua parte honoris ſui. Proinde magnũ fit ſcandalum viris ſecularibus, quando vident deſpici ſacros Canones ab eccleſiaſticis dignitatibus: ideoque videtur hoc contigiſſe, vt congruus honor ac reuerentia non exhibeatur Epiſcopis, qui Superintendẽtes dicuntur ex Græca loquutione. *Deum*, inquit Apoſtolus, *timete, regem honorificate*. Alioqui puta etiam de ipſo Principe ſacerdotum eo modo ſentiſſe Regem, quo legimus ſcitè loquutum fuiſſe Domitium Oratorem: *Cur ego*, inquir, *te habeam vt Principem, quum tu me non habeas vt ſenatorem?* Et Dominus in Euangelio: *Omnia quæ vultis*, inquit, *vt faciant vobis homines, eadem & vos facite eis. Hæc enim*, ait, *lex & Prophetæ*. Sed ſæpe dictus, ac ſæpe dicendus Papa Hildebrand, Regem, quem B. Petrus Apoſtolus præcipit honorificare: hunc ille quærit ita inhonorare, vt velit omnes, ſi fieri poſſit, auertere ab eius communione. Huius rei gratia ſcripſit illud quoque capitulum, ad confirmandos animos partium ſuarum, vel ad multiplicandos homines earundem partium: *vt ſi Pontifex Romanus alicui offenſus fuerit pro delictis ſuis, ceteri non debeant ei eſſe amici, vel eum alloqui.*

CAPITVLVM VII.

HINC ducta eſt quæſtio, de qua hucuſque tractauimus: ſcilicet, ſi iuſta fuerit hæc offenſio circa Regem, vel digna Romano Pontifici, vicario S. Petri, qui dicitur à Petra, quæ eſt Chriſtus: quum id actum ſit ex inſcriptione capituli illius, vt plurimi epiſcoporum, clericorum, monachorum & laicorum ſuſpenderint ſe, ac ſegregauerint à cõmunione totius orbis Eccleſiarum quotquot communicant Regi Francorum, & Imperatori Romanorum: ita vt exeuntes à nobis, non nos ab ipſis, vereantur nobis ſociari vel in colloquio, vel in pacis oſculo, vel in orationis ſtudio. Sed pro eiuſmodi ſcribit S. Papa Gregorius in lib. de Paſtorali cura: *Quũ rector*, inquiens, *ſe ad loquendum præparat, ſub quanto cautela ſtudio loquatur, attendat: ne ſi inordinatè ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur: & quum fortaſſe ſapiens videri deſiderat, vnitatis compagem inſipienter*

pienter abſcindat. Ecce autem noſtri temporis Gregorius Papa, qui & Hildebrandt, quum aliquando os ſuum aperuit, Eccleſiam diuiſit, & præter ea, quæ dicta ſunt ſupra, propheticam ollam ab aquilone in tantum accēdit, vt per hos XVII. aut eo amplius annos, vbiq; ſint in regno Romani Imperii bella & ſeditiones, Eccleſiarum & monaſteriorum incendia & deſtructiones, & vt ſit Epiſcopus adverſus Epiſcopum, clerus aduerſus clerum, populus aduerſus populum; immo filius aduerſus patrem, & pater aduerſus filium, & frater aduerſus fratrem. Hinc ſanctus Cyprianus Epiſcopus & martyr, loquitur inter alia plurima de vnitate Eccleſiæ: *Quam ſibi*, inquiens, *pacem promittunt inimici fratrum? Quæ ſacrificia celebrare ſe credunt æmuli ſacerdotum? Secum eſſe Chriſtum, quum collecti fuerint, opinantur, qui extra Eccleſiam colliguntur? Qui enim pacem Chriſti, & concordiam rumpit, aduerſus Chriſtū facit. Qui alibi præter Eccleſiam colligit, Chriſti Eccleſiam ſpargit. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt: quia talibus, ſi etiam animas poſuerint, non erit illa fidei corona, ſed perfidiæ pœna. Vnitatem enim*, inquit, *qui non tenet, non tenet legem, non tenet patris & filij fidem: vitam non tenet, & ſalutem.* Inter hæc vide ſtudium & affectum iſtius boni paſtoris, & quantum explicuerit iſte ſanctus Cyprianus intimæ dilectionis circa miſeriam eorum, quos videt iacere in periculis, quos cernit lapſos eſſe in peccatis, quos intelligit decidiſſe à ſtabilitate fidei, & Chriſtianæ religionis, qui ſic loquitur in libro de Lapſis: *Quid faciam, dilectiſſimi fratres, fluctuans vario mentis æſtu? Quid, aut quomodo dicam? lachrymis magis, quam verbis opus eſt, ad exprimendum dolorem, quo corporis noſtri deflenda eſt plaga, quo populi aliquando numeroſi multiplex lamentanda eſt iactura. Quis enim ſic durus ac ferreus, quis ſic fraternæ charitatis oblitus, qui inter ſuorum multiformes ruinas, & lugubres ac multo ſqualore deformes reliquias conſtitutus, ſiccos oculos tenere prævaleat, nec erumpente ſtatim fletu prius gemitus ſuos lachrymis, quam voce promat? Doleo, Fratres, doleo vobiſcum, nec mihi ad leniendos dolores meos integritas propria, & ſanitas priuata blanditur, quando plus paſtor in gregis ſui vulnere vulneratur. Cum ſingulis pectus meum copulo, mœroris & funeris pondera luctuoſa participo. Cum plangentibus plango, cum deflentibus defleo, cum iacentibus iacere me credo, iaculis illius graſſantis inimici mea ſimul membra percuſſa ſunt, ſæuientes gladii per mea viſcera tranſierunt. Immunis ac liber fuiſſe à perſecutionis incurſu non poteſt animus in proſtratis fratribus, & me proſtrauit affectus.*

CAPITVLVM VIII.

HÆc beatus Cyprianus martyr loquitur, qui nimio pietatis affectu miſeriis aliorum compatitur, qui ſuper diuerſis Eccleſię periculis do-

let ac triſtatur, iuxta quod illius mulieris commota ſunt viſcera ſuper filio ſuo, quem voluit ficta mater, ſicut legitur in libro Regum, diuidi Solomonis gladio, ne vel ſibi viueret, vel propriæ matri: quod ſcilicet exemplum verus pacificus noſter Dominus Ieſus Chriſtus voluit contingere in figuram noſtri, vt ex hoc diſcernantur filii alieni gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Sic enim ſanctus Ambroſius docuiſſe legitur, vt *quandoincerta ſunt iudicia de falſis Eccleſiæ filiis, per ſpiritum diſcernantur*: quem ſcilicet ſanctum Ambroſium inducit prędictus Papa Hildebrand in ſcriptura ſua, dicens enim excommunicaſſe Theodoſiũ imperatorem pro culpa ſua quadam, vt ſic quoque ſtatuat & confirmet partium ſuarum ſchiſmata. Sed ipſe quoque ſanctus Ambroſius Eccleſiam non diuiſit, ſed ea quæ Cæſaris ſunt, Cæſari, & quæ Dei, Deo reddenda eſſe docuit: qui Theodoſium quidem imperatorem compulſum tumultu quorundam, qui ei cohærebant, vindicare Theſſalonicenſium ſcelu grauiſſimum, Eccleſiaſtica coercuit diſciplina, quem inter alia eruditionis verba alloquitur ita, ſicut in Eccleſiaſtica loquitur hiſtoria, quæ dicitur Tripertita: *Coæqualium hominum, & conſeruorum princeps es, ô Imperator: vnus autem omnium eſt Dominus, Rex omnium, & Creator, cuius nunc ſuſcipe vinculum pro cæde populi, non præcedente iudicio, perpetrata: quoniam medicina hæc eſt ſanitatis maxima.* At Imperator inquit: *Tuum opus eſt & docere, & medicamina temperare: meum vero, oblata ſuſcipere.* Tunc Ambroſius admonuit legem eum ſancire in poſterum, *vt ſententiæ Principum ſuper animaduerſione differrentur ab executoribus in diem trigeſimum, quo locus miſericordiæ, vel ſi res tuliſſet, pœnitentiæ non periret.* Paruit Imperator Theodoſius, & vinculum eius ſoluit Ambroſius. Qui etiam locorum differentiam in Eccleſia tunc docuit, quando eidem Imperatori poſt oblatum munus ad altare, iuxta quod in Conſtantinopolitana Eccleſia ſolitus erat agere, ſuſtinenti, intra cancellos ſacrorum perceptionem myſteriorum remandauit per Archidiaconum: *O Imperator, interiora loca tantum ſacerdotibus ſunt collata, quæ cæteri nec ingredi, nec contingere permittuntur: purpura namque Imperatores facit, non ſacerdotes.* Et in hoc quoq; mox egreſſus Imperator paruit, ipſamq; communem cum cæteris expectationẽ deinceps ſeruauit, admodum lætus, vtpote enutritus diuinis eruditionibus: quod vix tandem (ſicut ipſe ait) diſcere ei contigerit, quæ differẽtia ſit Imperatoris & Sacerdotis: & quod vix iam inuenerit magiſtrũ veritatis. Ecce illa excõmunicatio, quam vtilis erat Eccleſiæ pariter, atq; ipſi Imperatori Theodoſio: quæ nunc in ea, de qua agitur, Scriptura prodendi ſchiſmatis ponitur exemplo, quo ſeparentur Principes, vel milites reipublicæ, ab Imperatoris ſui conſortio ſimul & obſequio. Neq; enim tale aliquid tentauerit ille murus & turris validiſſima Eccleſiæ, Ambroſius, quando etiã pulſabatur pro ſtudio hæreticorum

Valen-

Valentiniani Imperatoris, & matris eius Iuſtinæ minis atque verberibus. Vnde & inter alia virtutũ ſuarum inſignia loquitur de eo digna memorię ſcriptura: *Venerandus*, inquiens, *Ambroſius pro catholicæ fidei vnitate, nõ cum cæteris, ſed pro cæteris mori elegit. Non enim cũ pereuntibus perire voluit: ſed vt ſaluarentur alij, ipſe ſe periculo ſæpiſſime dedit. Et cum mandaretur ei ab Imperatore, trade baſilicam, reſpondit, Nec mihi*, inquiens, *fas eſt tradere, nec tibi accipere Imperator expedit: igitur noli grauari, vt putes te in mea, quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere: noli te extollere: ſed ſi vis diutius imperare, eſto ſubditus Deo: quoniã ſcriptum eſt: Quæ Dei, Deo, quæ Cæſaris, Cæſari. Ad Imperatorẽ*, inquit, *palatia pertinent, ad ſacerdotẽ Eccleſiæ.* Satis indicant hæc vel pauca de plurimis ſancti Ambroſii dicta, vel facta, qualis & quanta in Eccleſiaſticis rebus ac diſciplinis debeat eſſe diſcretionis obſeruantia: ne per negligentiã ipſius diſcretionis matris omniũ virtutũ, aliqua oriantur ſcandala, veruntamẽ, *Væ*, inquit, *homini illi, per quem ſcandalũ venit.* Magna quidẽ ſunt ſcandala, hæreſes atq; ſchiſmata: quæ oſtendit Apoſtolus aut eadẽ eſſe, aut æqualia: *Conuenientibus*, inquit, *vobis in vnũ in Eccleſia, audio ſciſſuras eſſe, & ex parte credo. Nam oportet hæreſes eſſe. vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Hinc & beatus Gregorius in xviii. libro Moraliũ. *Alij*, inquit, *praua de Deo ſentiunt, alij recta de authoritate tenent, ſed vnitatem cum fratribus nõ tenent: illi errore fidei, iſti vero ſchiſmatis perpetratione diuiſi ſunt.* Vnde & in ipſa prima parte Decalogi vtrarumq; partiũ culpæ exprimuntur, cum diuina voce dicitur: *Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* atq; mox ſubditur: *Diliges proximũ tuum ſicut teipſũ.* Qui enim de Deo peruerſa ſentit, liquet profecto, quia Deũ nõ diligit. Qui vero de Deo recta ſentiens, à ſanctę Eccleſiæ vnitate diuiſus eſt, conſtat profecto, quia proximum non amat, quem habere ſocium recuſat. Et *ſi quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt:* ſicut ſanctus Ioannes Apoſtolus ait. Igitur magna ſunt ſcandala, hæreſes, & ſchiſmata: de quibus & dicitur in Euangelio, *quoniam mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala.* Regnum Dei hoc, eſt Eccleſia Dei; angeli Dei, hi ſunt annunciatores verbi Dei: quales fuerunt Ambroſius atque Innocentius, ſacerdotes Dei, quorum vnum introducit in ſcriptura ſua ſæpe dictus Papa Hildebrant excommunicaſſe Theodoſium Imperatorem, alterum vero Arcadium imperatorem. Quare hoc ſcripſerit, & quare in agro Dominico hoc ſeminauerit, bene quidem intelligunt, quibus adhuc cum cæteris Chriſti fidelibus integra manet Chriſtiana fraternitas: quibus circa vnitatem Eccleſiæ eſt ſyncera charitas, quà ſcilicet charitate concordat membrorum vnitas. Sicut enim in vno corpore, ait Apoſtolus, multa membra habemus, omnia autem me. b i non eundem actum habent: ita

multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Ergo noſtri non eſt propoſiti, ſingulas illius Papæ ſententias per totum deſcribere: ſed tantum ea commemorare, quæ videntur præcipue quidem poſſe ſimplices fratrum animos ad ſtudium ſchiſmatis confirmare: quæ etiam poſſunt nos ipſos inde ſcribentes, aut alios legentes, in bonum ædificare: qui dum conuertimus ſtudium noſtrum ad cognitionem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, intelligimus ſane per vnctionem ſancti Spiritus, qui docet nos de omnibus, quomodo oporteat nos conuerſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis.

CAPITVLVM IX.

SCRIPTVM eſt enim, *quod Innocentius Papa Arcadium imperatorem excommunicauerit, eo quod in depoſitione ſancti Ioannis Epiſcopi conſenſerit*: ſed vnde hoc aſſumptum ſit, nos quidem adhuc incertū tenemus: ſed hoc pro certo nouimus, quod nec in geſtis Romanorum Pontificum inuenitur, vbi geſta pariter eiuſdem Innocētii deſcribuntur: nec in libro Decretorum eius reperitur, nec in Tripertita hiſtoria, vbi plus quam alibi legimus de illius depoſitionis ſententia. Veruntamen Epiſcopi qui ipſum Ioannē depoſuerant, catholici erant: vnde Gelaſius Papa in libro contra fautores Agathi, vbi ſcribit, quod Apoſtolica ſedes more maiorum, etiam ſine vlla ſynodo præcedente, exoluendi quos ſynodus iniqua damnauerat, & damnandi, nulla exiſtente ſynodo, quos oportuit, haberet facultatem: *Sanctæ*, inquit, *memoriæ Ioannem Conſtantinopolitanum, Synodus etiam catholicorum Præſulum certè damnauerat: quem ſedes Apoſtolica etiam ſola, quia non conſenſit, abſoluit.* Dicitur autem Arcadius Imperator excommunicatus fuiſſe, eo quod conſenſerit in beati Ioannis Epiſcopi depoſitionem. Sed quamuis pari ſententia conſtringat Apoſtolus eos qui faciunt, & qui conſentiunt facientibus: tamen iuxta humanam rationem leuioris quodammodo culpæ eſt qui conſenſerit, quam qui facit. Et cum illi Præſules, qui depoſuerunt prædictum Pontificem, ſint plane catholici, iuxta ſententiā ſancti Papæ Gelaſii: Arcadius Imperator conſentiēs facientibus ipſe meruit ſpecialiter excommunicari, vel damnari? Certè multa ſunt Arcadii Imperatoris priuilegia, quæ recipit Eccleſia, vtpote ſibi valde neceſſaria, ſicut teſtatur liber Chriſtianorum Imperatorum *de fide Catholica*, ideoque non repellit eum à communione ſua.

C.Theod.lib.16 tit.1.& ſeq. Qui Codex Theodoſianus illo æuo in vſu erat ab Alarico Gotho correctus, & à Carolo M. cōfirmatus, non autē Iuſtinianeus.

Conſtituit namque cum fratre ſuo Honorio, ſupplicante Eccleſia, vt *quæcunque à parentibus ſuis Imperatoribus Chriſtianis ſtatuta ſunt diuerſis temporibus circa ſacroſanctas Eccleſias maneant inuiolata atque incorrupta, nihilque à priuilegiis immutetur: ſed omnibus qui Eccleſiis deſeruiunt, tuitio deputetur.*

L.29.C.Th. lib.16.tit.2.

Si quis

Si quis autem, inquit, *in hoc genus ſacrilegii proruperit, vt in Eccleſias catholicas irruens, ſacerdotibus & miniſtris, vel ipſi diuino cultui, locoq́; aliquid importet iniuriæ: ſi non poterit per Procuratorem prouinciæ comprehendi, dignus videlicet talis capitali ſententia puniri, ſit cunctis non ſolum liberum, ſed & laudabile, factam atrociter, ſacerdotib. aut miniſtris iniuriam veluti publicũ crimẽ perſequi.* L. 10. C de Epiſ. & cler. & L. 31. C. Theod. lib. 16 tit. 2.

Conſtituit quoq;, Eccleſia teſte, iuxta edictum priorum Imperatorum, *omnes quos clementiæ ſuæ regeret temperamentum, in tali religione verſari, quam diuum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis religio vſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat: vt ſcilicet ſecundum Apoſtolicam diſciplinam, Euangelicamq́; doctrinam patris & filii & Spiritus ſancti, vnam deitatem ſub pari maieſtate & ſub pia trinitate credamus, nihil diſſonum profana diuiſione facientes: ſed trinitatis ordinem perſonarum aſſertione, ac diuinitatis vnitatem catholica religione venerantes, reliquos autem, qui ab eorum quos commemoratio ſpecialis expreſſit, fidei communione diſſentiunt, vt manifeſtos hæreticos ab Eccleſiis expelli: neq; his penitus poſt hæc obtinendarum Eccleſiarum, Pontificumq́; facultatem permitti, vt veræ ac nitidæ fidei ſacerdotia caſta permaneant: nec poſt euidentem*, inquit, *præcepti noſtri formam malignæ locus detur aſtutiæ.* L. 2. C. Theod. eod. lib. tit. 1.

Et iterum: *Qui diuinæ*, ait, *legis ſanctionem aut neſciendo confundunt, aut negligendo violant & offendunt, ſacrilegium committunt.*

Conſtituit etiam Arcadius cum fratre ſuo Honorio, Eccleſia teſte, *vt ſi quis ſacerdotum contra quietem publicam aliquid moliri fuerit deprehenſus, ſecundum legem diuæ memoriæ Gratiani vitam agat, centum millibus ab eorũ cœtibus ſeparatus, à quorum eſt ſocietate diſcretus.*

Et poſt plurima Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtatuta: *Edictum*, inquit, *quod de vnitate per Africanas regiones clementia noſtra direxit, per diuerſa etiam loca proponi volumus, vt omnibus innoteſcat, Dei omnipotentis vnam & veram fidem catholicam, quam recta credulitas confitetur, eſſe retinendam.*

Omnes autem, inquit, *hæreticos atq; ſchiſmaticos, & ceteros catholicæ Eccleſiæ aduerſarios exterminari præcipimus primo ab aſpectu Romanæ vrbis, deinde ab omnibus Eccleſiis, vt eis nihil ex moribus, nihil ex legibus ſit commune cum catholicis: quoniam quod in religione diuina praue committitur, ad iniuriam omnium refertur.*

Neq; verò hæreticorum, inquit, *dementia, ſiue ſchiſmaticorum pertinacia conetur vlterius perpetrare, quæ reperit: neque eis illicita habere concilia, ſiue profana vſquam docere aut diſcere præcepta licitum ſit: neque antiſtites eorundem audeant fidem, quam non habent, minuere: nec miniſtros, cum ipſi non ſint miniſtri Dei, creare.*

Quoties autem, inquit, *de religione agitur, epiſcopos conuenit iudicare: in ceteris verò cauſis quæ ad vſum publici iuris pertinent, legibus oportet obtemperare.*

Conſtituit etiam idem Arcadius Imperator, cum fratre ſuo Honorio,

æque catholico Imperatore, Eccleſia ſupplicante, *vt quicquid à diuis Principibus conſtitutum eſt, vel ſi quæ ſinguli quique Antiſtites pro cauſis Eccleſiaſticis impetrarant, ſub pœna ſacrilegii æternaliter conſeruentur.* Quorũ vnus Antiſtes Romanus, ſcilicet Bonifacius, ſcripſit inter cætera ad eundem Honoriũ verbis ſupplicibus: *Ipſa*, inquiens, *Eccleſia deuotione tuam, Chriſtianiſſime Imperator, meo quidem ſermone, ſed ſuo venerabili appellat affectu, quam Chriſtus Deus noſter veſtri fidus rector & gubernator Imperii, vni deſponſata ſibi, & intactã virginem ſeruat, ne in eam aliquos patiamini inſidiantiu procellarũ fluctus illidi, & quietã faciem tempeſtatis inſolita tumore turbari, glorioſiſſime & tranquilliſſime Imperator Auguſte!* & cætera, quibus idem Papa precatur, vt à Principe hoc quoque conſtituatur: *Quatenus in vrbe Roma nunquam per ambitum Antiſtes ordinetur.* Cui inter alia reſcripſit Imperator Honorius: *Illud*, inquiens, *pietati noſtræ ſatis placuiſſe cognoſce, quod ſanctimonia veſtra ſollicita eſt de Eccleſiarum aut populi perturbatione. proinde volumus id ad cunctorum clericorum notitiam peruenire, vt ſciant omnes ab ambitionibus eſſe ceſſandum; ac ſi duo contra ſas temeritate concertantium fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus ſacerdotem: ſed illum ſolum in ſede Apoſtolica permanſurum, quem ex numero clericorum noua ordinatione diuinum iudicium, & vniuerſitatis conſenſus elegerit. Vnde id obſeruandum eſt, vt omnes tranquillam mentem, & pacificos animos ex ſerenitatis noſtræ admonitione cuſtodiant, nec aliquid ſeditioſis conſpirationibus tentare conentur. cum certum ſit nulli partium ſua ſtudia profutura.*

Tom. 3. Conſtit. Imperial. fol. 592.

CAPITVLVM X.

HÆc pauca de plurimis conſtitutionibus Eccleſiaſticis ſiue Honorii ſiue Arcadii Imperatorum (exempli gratia) deſcripſimus, vt pariter recognoſcamus, qualis & quam vtilis fuerit Eccleſiæ Arcadius, qui nunc pro condendi ſchiſmatis ſtudio inducitur fuiſſe excommunicatus ſiue damnatus! quandoquidem certis manifeſtum ſit indiciis, beatum Papam Innocentium, qui dicitur eum excommunicaſſe, Eccleſiaſticas iuxta diſciplinam ſacerdotum noſſe pariter & obſeruaſſe regulas, quarum vna vel præcipua eſt de concordia Regum atque Sacerdotum: quia *omnes res*, inquit ſanctus Leo Papa, *tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad diuinam confeſſionem pertinent, & regia & ſacerdotalis defendit authoritas.* Ipſe enim Innocentius ſcribit in XXIII. capitulo Decretorum ſuorum, de reipublicæ etiam adminiſtratoribus: *Quæſitum eſt*, inquiens, *ſuper his qui poſt baptiſmum adminiſtrauerunt, & aut tormenta ſola exercuerunt, aut etiam capitalem ſententiã protulerunt, de his* (inquit) *nihil legimus à maioribus definitũ: meminerant enim à Deo poteſtates has fuiſſe conceſſas, & propter vindictã noxiorũ gladiũ fuiſſe*

fuiſſe permiſſum, & Dei miniſtrum eſſe datum in huiuſmodi vindicem. Quomodo igitur reprehenderent factum, quod authore Deo viderent eſſe conceſſum? De his ergo ita, vt hactenus ſeruatum eſt, ſic habemus, ne aut diſciplinam euertere, aut contra authoritatē Domini venire videamur: ipſis autē in rationē reddendam geſta ſua omnia ſeruabuntur. Notate autē diligentius hæc beati Innocentii verba, quæ vel ſola videntur ſufficere contra illius Papæ Hildebrandi ſcripta, quæ ipſe non prouidebat poſſe deſtrui per ipſa ſanctorum Patrū exempla, quibus contendebat firmare partium ſuarū ſtudia. Dum enim docuit Regi Francorum contradicendum, & non communicandum eſſe, cui poteſtas à Deo conceſſa eſt hæreditaria ſucceſſione, videtur Dei ordinationi reſtitiſſe: qui etiam ipſum Dei miniſtrum cui gladius eſt permiſſus ad vindictam noxiorum, dum ſtuduit gladio aduerſariorum deiicere, non ſolum duplicauit gladium (iuxta quod in Ezechiele legitur) vel triplicauit: ſed & multiplicauit, & non ſolum diuiſit populum Chriſtianum, ſed & ſacerdotia, vt multi ſint Epiſcopi in parte iſta, plurimi autem in parte altera. Vnde & ſupradictus Papa Innocentius: *Si inſtituta*, inquit, *Eccleſiaſtica (fratres) plena fuerint vigilantia ab omnibus Dei ſacerdotibus obſeruata, ceſſabit ambitio, conquieſcet diſſenſio, hæreſes, & ſchiſmata non emergent, locum non accipiet diabolus ſæuiendi, manebit vnanimitas, iniquitas ſuperata calcabitur, veritas ſpirituali feruore flagrabit, pax prædicata labiis cum voluntate animi concordabit, implebitur & dictum Apoſtoli: Vt vnanimes vnum ſentientes permaneamus in Chriſto, nihil per contentionem nobis, neque per inanem gloriam vindicantes: non hominibus, ſed Deo noſtro ſaluatori placentes, cui honor eſt & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.*

CAPITVLVM XI.

Atqve iterum idem Innocentius Papa ſic certe in exemplum ait: *Solicitudo & triſtitia fratrum, quam ſæpe pertulimus, Imperatore præſente, cum pro pace Eccleſiarū ſæpe rogaremus, cupientes eos in noſtra recipere viſcera, qui requiſiuerunt ſanitatē, ne diu membra ab vnitate corporis haberentur aliena.* Qui etiā (vt ſupradictū eſt) loquens de miniſteriis Poteſtatum: *Quomodo maiores*, inquit, *noſtri reprehenderēt factū, quod authore Deo videretur eſſe conceſſū? De his ergo poteſtatibus, vt hactenus ſeruatum eſt, ſic habemus. ne aut diſciplinā euertere, aut contra authoritatē Domini venire videamur, quibus certe in rationē reddendā geſta ſua omnia ſeruabuntur. Nullatenus enim*, inquit, *condemnari poteſt humano examine, quē Deus ſuo iudicio reſeruauit.* Ecce quomodo talis ille Apoſtolicus, aliorumq; ſimul Apoſtolicorū conſenſus, errorē eorū, quotquot reprehendunt poteſtates à Deo ordinatas, deſtruxit: *Et ſi iterum quæ deſtruxi*, inquit, *reædifico, præuaricatorem me conſtituo.* Proinde

lectoris prudentia pariter & diligentia attendat, ſi cum Scriptura ſancta huius Innocentii, ſermo Hildebrandi Papæ conueniat, qui eum dicit Arcadium Imperatorem quaſi iudicatum excõmunicaſſe vel damnaſſe, qui etiam hoc addidit, ſcribens pro Regis Francorum deiectione, quod beatus Gregorius ita per Scripturæ ſuæ decretum conſtituerit, *vt ſi quis Regũ, ſacerdotum, iudicum, atque ſecularium perſonarum conſtitutionis ſuæ paginam agnoſcens contra eam venire tentauerit, poteſtatis honoriſq; ſui dignitate careat.* De quibus tandẽ regibus vult vt hoc intelligamus, cum nihil tale in ſcriptis illius eximii doctoris Gregorii adhuc legerim*, qui deferebat honorem cui debebat honorem, ſicut docet Apoſtolus: qui non reſiſtebat, nec reſiſtendũ docebat poteſtatibus, cum reſiſtens aliquis reſiſtat Dei ordinationi: qui præcipit reddere quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. De quibus, inquam, Regibus vult, vt propoſitum illud capitulum intelligamus? nunquid de regibus Francorum, ſiue de Imperatoribus Romanorum? Certè ſanctiſſimus ille Papa Gregorius appellat Romanos Imperatores *Dominos ſuos*, & ſe *Seruum eorum*: Reges autem Francorũ *filios ſuos*, ac ſe *patrem eorum*. Nam cum comperiſſet Simoniacam & neophytorũ hæreſes longè lateq; prorſus excreuiſſe, ſcripſit inter cætera Regibus Francorum, ſicut legitur in 3. libro de vita ipſius Gregorii Papę: *Paterno vos ſalutantes affectu petimus præcellentiſſimi filii, vt deteſtabile hoc malum Simoniacæ hæreſis ac neophytorum, de regni veſtri finibus ſtudeatis prohibere. & nulla apud vos excuſatio, nulla contra animam veſtram ſuggeſtio locum inueniat: quia facientis procul dubio culpam habet, qui quod poteſt corrigere, negligit emendare.* Et in 4. libro legitur ita ſcripſiſſe inter alia Sabiniano ſuo Conſtantinopolitano diacono, vt hoc loquatur Imperatori Mauritio: *Vnum eſt*, inquit, *quod breuiter ſuggeras sereniſſimis Dominis noſtris: quia ſi ego ſeruus eorum, vellem me in alicuius mortem miſcere, Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atq; in ſumma confuſione diuiſa eſſet. Sed quia Deum*, ait, *timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miſcere formido.* Igitur Longobardi tunc temporis pagani erãt, & inuaſores Italiæ, ac perſecutores Eccleſię: & tamen ille ſanctiſſimus Papa Gregorius, noluit pro Dei timore quicquam horum facere, quæ ſupradicta ſunt poſſe efficere: ſcilicet vt Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atq; in ſumma cõfuſione diuiſa eſſet: quamuis vel ipſe vel Eccleſia ſuſtinuerint talia ab eis illata incommoda, qualia ſcribit in 18. ſuper Ezechielem Prophetã homelia; *Quid eſt iam, rogo, quod libeat in hoc mundo? vndique luctus aſpicimus, vndiq; gemitus audimus: deſtructæ vrbes, euerſa ſunt caſtra, depopulati ſunt agri, in ſolitudinem terra redacta eſt: nullus in agris incola, penè nullus in vrbibus habitator remanſit: & ipſæ paruæ generis humani reliquiæ adhuc quotidie & ſine ceſſatione feriuntur, & finem non habent flagella cœleſtis iuſtitiæ, quia nec inter flagella directæ ſunt actiones culpæ.*

Alios

Alios in captiuitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus. Quid eſt ergo quod in hac vita libeat, fratres mei? Si & talem adhuc mundum diligimus, non iam gaudia, ſed vulnera amamus. Ipſa autem quæ aliquando mundi Domina eſſe videbatur, qualis remanſerit Roma, conſpicitis: immenſis doloribus multipliciter attrita, deſolatione ciuium, impreſſione hoſtium, frequentia ruinarum. Vbi iam ſenatus? vbi populus? Omnis ſecularium dignitatum ordo extinctus eſt in ea, & iam vacua ardet Roma. Hæc paſſa eſt à Longobardis Eccleſia, hæc paſſa eſt & Roma: hæc paſſus quoq; eſt ſanctus Gregorius Papa; qui cum facere poſſet, vt Longobardorum gens nec Regem, nec Comites haberet, atq; in ſumma confuſione diuiſa eſſet, nihil horum facere voluit, quia vir rectus ac timens Deum fuit. *Quia enim*, inquit, *Deum timeo, in morte cuiuſlibet hominis me miſcere formido.*

CAPITVLVM XIII.

SED vt magis ac magis conualeſcebat ciuilis, immò pluſquam ciuilis diſcordia, per quam noſtro queq; tempore facta ſunt prope ſimilia, qualia ſuperior ſermo demonſtrat per Longobardos acta eſſe in Romana republica, vtram miſerabilis (inquam) confuſio rerum conualeſcat facta nunc per Chriſtianos in Eccleſia: : deſcribit ille ſæpe dictus Papa Hildebrant, Regem Francorum tunc etiam, nunc Imperatorem Romanorum, *Chriſtianæ legis eſſe contemptorem, Eccleſiarum videlicet atq; Imperij deſtructorem, atq; hæreticorum authorem & conſentaneum, ac propterea à ſe eum fuiſſe excommunicatum.* Nos autem confidimus meliora de eo, & ſperamus in Deo, vt potius ſit Chriſtianæ legis amator, Eccleſiarũ & Imperii defenſor, & hæreticorum atque ſchiſmaticorum deſtructor, ſi pro contentionis ſuę & erroris perſeuerantia eorum non potuerit fieri corrector. *Omne enim quod irreprehenſibile eſt, Catholica defendit Eccleſia:* ſicut ſcribit Marcellinus Papa. Ergo poteſtas à Deo conceſſa, reprehenſione eſt plane indigna. de qua Apoſtolus, immò per Apoſtolum Dominus hanc regulam conſtituit: *Deum*, inquiens, *timete, regem honorificate, quoniam & honor regis iudicium diligit.* Sed ille Hildebrant econtra inhonorauit Regem Francorum, & accuſauit eum crimine peſſimo apud Herimannum Metenſem Epiſcopũ, intendens ipſum crimen, quo teſtificatur eſſe eum Chriſtianæ legis contemptorem, & Eccleſiarum atque imperii deſtructorem, ſimul & hæreticorum authorem, & conſentaneum peruenire ad notitiam cunctarum Eccleſiarum. Quin potius audiat omnis Eccleſia, quam magna ſit iniuſtitia, Canonum ſacroſancta transgredi ſtatuta, de quibus ad Ioannem Lariſſęum Epiſcopum ita ſcribit beatiſſimus Papa Gregorius: *Hæc*, inquiens, *conſona ſanctis patribus diffinitione ſancimus, vt qui ſacris neſcit aut contemnit*

obedire canonibus, nec ſacris adminiſtrare altaribus, nec communionem capere ſit dignus. Ecce enim ſancta Romana eccleſia fas habet iudicandi de omni Eccleſia. Sed Fabianus Papa ſcribit omnibus epiſcopis: *Nullus,* inquiens, *præſumat vnquam accuſator eſſe ſimul, & iudex, & teſtis: quoniam in omni iudicio quatuor perſonas neceſſe eſt ſemper adeſſe, id eſt iudices electos, accuſatores idoneos, defenſores congruos, atque legitimos teſtes. Iudices autem agent in æquitate, teſtes in veritate, accuſatores intentione ad amplificandam cauſam, defenſores extenuatione ad minuendam cauſam.* Quæ cum obſeruari ſoleant in ſecularibus quoque iudiciis, nonne multo magis debent obſeruari in diſpoſitionibus Eccleſiaſticis? Vnde idem qui ſupra, Fabianus Papa: *Si in rebus*, inquit, *ſecularibus ſuum cuique ius & proprius ordo ſeruandus eſt, quanto magis in Eccleſiaſticis diſpoſitionibus nulla debet induci confuſio? Quod hac obſeruatione ſeruabitur, ſi nihil poteſtati, ſed totum æquitati tribuitur.* Hoc Fabianus Papa ſcripſit & docuit, & hoc Romana eccleſia quaſi diuini Petri voce firmatum tenuit, donec ille papa Hildebrant omnia conturbauit, qui Regiam poteſtatem, quam vtpote à Deo conceſſam defendit catholica Eccleſia, multum per omnem modum inhonorauit. Regem enim, quem honorificari Apoſtolus præcipit, ipſe de peſſimo crimine accuſauit, quod non probauit. Ipſe etiam huius accuſationis teſtis extitit, quia alios teſtes non adhibuit: ipſe etiam iudex extitit, quia Regem ſe excommunicaſſe perhibuit. ſcripſit etiam (ſicut ſupra iam diximus) quod ipſe Regi fuerit offenſus. Sed huiuſmodi vel accuſatores, vel teſtes, catholica Eccleſia nõ recipit: quoniã Anacletus Papa ſic ſcripſit, & ſic docuit: *Inoffenſus*, inquiens, *accuſatorum & teſtium affectus quærendus eſt, non ſuſpectus.* Et Calliſtus Papa: *Nec accuſatores*, inquit, *nec teſtes ſuſpecti recipiantur: neque abſente eo, quem accuſare voluerit quicunq; accuſator, credatur. Similiter teſtes*, ait, *per quamcunque ſcripturam teſtimonium perferant: ſed præſentes ex his quæ viderunt & nouerunt teſtimonium dicant.* Igitur ſicut Damaſus quoque Papa ſcribit: *Accuſatores & iudices iidem non debent eſſe: ſed per ſe iudices, per ſe accuſatores, per ſe teſtes, per ſe accuſati, vnuſquiſq; in ſuo ordinabiliter ordine.* De quibus etiam inquit: *Omnibus vera ſemper fiat æquitas, quatenus accuſationis & iudicij ac teſtimonij mercedem per veritatem geſtorum conſequi valeant.* Quis autem iudicem iudicabit, qui Dei miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit, quem non ſine cauſa portare gladium Apoſtolus dicit? *Chariſſimi*, inquit, *ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiue Regi, quaſi præcellenti: ſiue Ducibus, tanquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quoniam ſic voluntas Dei eſt, vt benefacientes, & obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem: ſed ſicut ſerui Dei, omnes honorificate, fraternitatẽ diligite, Deum timete, Regem honorificate.*

ſicate. Hæc quidem poteſtas, quæ à Deo ordinata eſt, & quæ iubetur honorificari, vbi tandẽ debet iudicari? vtrũ in eccleſia, an in curia? Si in Eccleſia, fortaſſe Eccleſia ſit curia; quæ à cruore dicitur, ſicut Syluester Papa atteſtatur: *Nemo*, inquiens, *clericus, vel diaconus, vel preſbyter, propter qualibet cauſſam intret in curiã, nec ante iudicẽ cinctum cauſſam dicere præſumat: quoniã omnis* ait, *curia à cruore dicitur.* Et cũ Eccleſiaſtica prohibeant decreta ſub anathematis etiã interpoſitione, vt inferior quilibet gradus nõ præſumat ſuperiorem accuſare: quis accuſabit Regẽ quaſi præcellentem, cui (ſicut Innocentius Papa ait) *ſeruabuntur ſua geſta omnia ad reddendã Deo rationẽ?* Fabianus Papa: *Omnis*, inquit, *qui crimẽ obiicit, ſcribat ſe probaturũ: re vera ibi ſemper agatur, vbi crimen admittitur: & qui non probauerit, quod obiecit, pœnã*, inquit, *quã intulerit, patiatur.* Probet nunc ille Hildebrant aut aliquis de parte eius, Regẽ, quem nos adhuc æſtimamus vt catholicũ, probet, inquã, eum eſſe hæreticorũ authorẽ, & conſentaneũ, atq; hoc per idoneos faciat teſtes: quoniã Eccleſiaſtica iudicia non recipiunt perſonas quæ dicuntur infames: ſicut ſunt inceſtuoſi, periuri, homicidæ, & qui auferũt iniuſtè facultates Eccleſiæ, & qui fratres calũniantur, aut accuſant, & non probãt, vel qui contra innocentes Principũ animos ad iracundiã prouocãt & qui Apoſtolorũ vel patrũ ſtatuta violant, & cætera de quib. plura ſcribit Stephanus Papa. Cõtra hęc atq; alia ſacroſancta canonũ ſtatuta aliud aliquid eligere, hoc eſt certe hęreſim ſtatuere: quoniã hęreſis dicitur ab electione. Ecce autẽ, verbi gratia, Theodoricũ Regẽ nouerat Romana Eccleſia fuiſſe hæreticũ, vtpote Arrianũ: nec tamen iudicauit eum, ſed magis quæſiuit interea ſibi eũ fore pacificũ. Qui enim huiuſmodi eſt, iã iudicatus eſt: quoniam (iuxta ſancti Papæ Gelaſii ſententiã) *error, qui ſemel cũ ſuo authore damnatus eſt, in participe quolibet praua cõmunionis effectio & execrationẽ ſuggeſtat, & pœnã.* Ecce, inquã, in Arriano quoq; Rege poteſtatẽ à Deo ordinatã Eccleſia honorauit, cui ſicut legitur in decretis Symachi Papæ ſupplice magis quam iudicẽ ipſa ſe obtulit: *Sancta*, inquiens, *ſynodus apud vrbẽ Romam ex præcepto glorioſiſſimi regis Theodorici ex diuerſis regionibus congregata, curauit diſſidentes cum humilitate propoſiti ſui ad concordiam hortari, Deo in hoc parens, & ſanctæ Principis voluntati: vt non ſub occaſione diſſenſionis contingat membra diſpergi: ſed magis per manſuetudinem ſuſtineri: ſicut bonorum operis Paulus magiſter inſtruxerat dicens: Sanandos eſſe plurimos per patientiã atque doctrinã.* Similiter & Anaſtaſius Papa non iudicauit Anaſtaſium Imperatorem hæreticum, vtique & defenſorem hæreticorum: ſed ſicut Gelaſius quoque fecerat, ſuppliciter pro pace Eccleſiaſtica alloquitur eum: *Fili*, inquiens, *clementiſſime, nos ſupplicantes controuerſiam nolumus remanere in Eccleſia, vt magis vitanda ſit contentio: quoniam ſicut in Prouerbiis dicitur, Odium ſuſcitat contentio: omnis autem qui non contendit, protegit amicitiam*, & cætera.

quæ plurima loquitur pro pace Eccleſiaſtica: *quoniam ille*, inquit, *pro Chriſto fungitur legatione, qui pro pace precatur Eccleſiæ.* Chriſtus enim eſt pax noſtra: & ipſa eſt pax noſtra quoque patria, ad quam ſuſpiramus, & ad quam tendimus, ſi tamen pacifici ſumus: quoniam cœleſtis Hieruſalem, quæ eſt mater noſtra, viſio pacis interpretatur: *cuius terminos poſuit Dominus pacē*, ſicut p Pſalmiſtam dicitur, *cuius participatio eius in idipſum:* vt ſcilicet Eccleſia Dei, quæ & ciuitas Dei, vnum corpus ſit cum Chriſto, qui idipſum eſt quod æternaliter eſt: de quo Moyſi dictum eſt: *Ego ſum qui ſum.* Sed Hieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum, continet in fundamento lapidem ſummum angularem, electum, precioſum: hoc eſt, Chriſtum: vt & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificemini domus ſpiritales in ſacerdotium ſanctum, ſicut dicitur per beatū Petrum: *Quoniam vos*, inquit, *genus electum, regale ſacerdotium.* O quanta conditoris noſtri gratia, vt idipſum quod ipſe eſt, in ipſa quoq; ſit Eccleſia, qui cum ſit Rex & ſacerdos, immò Rex Regū & ſacerdos ſacerdotum, ſtatuit Eccleſiæ domeſticis huius donatiui priuilegiū, vt ſint regale ſacerdotiū. Hoc tantū merentur pacifici, qui ſunt vnanimes in Eccleſia Chriſti, in ciuitate Dei: cum abſq; omni contradictione pertineant diſcordes ad ciuitatem Diaboli; nec reſipiſcant à laqueis Diaboli, à quo tenentur captiui. De ordine autem pacis, quæ eſt ordinata concordia hominum, plurima ſcribit ſanctus Auguſtinus in XIX. libro *de Ciuitate Dei*, vnde hæc pauca quæ ſequuntur excerpſimus pro vtilitate præſentis Opuſculi.

Omnis igitur vſus rerum temporalium refertur ad fructum pacis terrenæ, in terrena ciuitate: in cœleſti autem ciuitate refertur ad fructum pacis æternæ. Quamdiu enim permiſtæ ſunt ambæ ciuitates, vtimur & nos pace Babylonis: ex qua ita per fidem populus Dei liberatur, vt apud hanc interim peregrinetur. Propter quod & Apoſtolus admonuit Eccleſiam, vt oraret pro Regibus eius, atque ſublimibus, addens & dicens: Vt quietam & tranquillam agamus vitam cum omni pietate & charitate. Et Propheta Hieremias, cum populo Dei veteri prænunciaret captiuitatem, & diuinitus imperaret, vt obedienter irent in Babyloniā, Deo ſuo etiam iſta patientia ſeruientes, monuit & ipſe, vt oraretur pro illa, dicens: Quia in eius pace eſt pax veſtra, vtique interim temporalis, quæ bonis maliſque conueniens eſt. Pax autem noſtra patria & hic eſt cum Deo per fidem, & in æternum erit cum illo per ſpeciem. Igitur terrena ciuitas, quæ non viuit ex fide, terrenam pacem appetit, quæ defigit imperandi obediendique concordiam ciuium, vt ſit eis de rebus ad mortalem vitam pertinentibus humanarum quædam compoſitio voluntatum. Ciuitas autem cœleſtis, quæ in hac mortalitate peregrinatur, & viuit ex fide, etiam iſta pace neceſſe eſt vtatur; donec ipſa, cui talis pax neceſſaria eſt, mortalitas tranſeat. Ac per hoc dum apud terrenam ciuitatem velut captiua, vitam ſuæ peregrinationis agit, iam promiſſione redemptionis, & dono

ſpiritali

ſpiritali tanquam pignore accepto, legibus terrenæ ciuitatis, quibus hæc adminiſtrantur, quæ ſuſtentandæ mortali vitæ accommodata ſunt, obtemperare non dubitat: vt quoniam communis eſt ipſa mortalitas, ſeruetur in rebus ad eam pertinentibus inter vtramque ciuitatem concordia.

Et longe ſupra in libro quarto de Ciuitate Dei, idem Auguſtinus ſcribit, commemorans, qualiter Deus terrenæ quoque ciuitatis regnum diſponit: *Deus*, inquit, *ille felicitatis author & dator, quia ſolus eſt verus Deus, ipſe dat regna terrena & bonis & malis: neque hoc temere, & quaſi fortuito, quia Deus eſt, non Fortuna: ſed pro rerum & temporum ordine occulto nobis, notiſſimo ſibi: cui tamen ordini temporum non ſubditus ſeruit, ſed eum ipſe tanquam Dominus regit, moderatorque diſponit: felicitatem vero non dat niſi bonis: hanc enim poſſunt & non habere, & habere ſeruientes: poſſunt & non habere, & regnare regnantes: quæ tamen plena in ea vita erit, vbi nemo iam ſeruiet vlli. Et ideo regna terrena & bonis ab illo dantur, & malis, ne eius cultores adhuc paruuli in prouectu animi hæc ab eo munera, quaſi magnum aliquid, concupiſcant. Et hoc eſt Sacramentum veteris Teſtamenti, vbi occultum erat nouum; quod illic promiſſa & dona terrena ſunt intelligentibus, & tunc ſpiritalibus; quamuis nondum in manifeſtatione prædicantibus, & quæ illis temporalibus rebus ſignificaretur æternitas, & quibus Dei donis eſſet vera felicitas.*

Quæ cum ita ſint, non tribuamus, inquit, *dandi regni atque imperij poteſtatem non Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum ſolis pijs: regnum vero terrenum & pijs & impijs, ſicut ei placet, cui nihil iniuſte placet: Ille enim vnus verus Deus, qui nec iudicio nec adiutorio deſerit genus humanum, quando voluit, & quantum voluit, Romanis regnum dedit, qui etiam dedit Perſis & Aſſyrijs, ſic quoque Deus regnum dedit hominibus: qui Mario, ipſe & Caio Cæſari: qui Auguſto, ipſe & Neroni: qui Veſpaſianis & patri & filio ſuauiſſimis Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo: & ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Conſtantino Chriſtiano, ipſe apoſtatæ Iuliano.*

Et poſt aliqua: *Neque vero nos*, inquit, *Chriſtianos quoſdam Imperatores ideo felices dicimus, quia & diutius imperarent, & imperantes filios morte placida reliquerunt, & hoſtes reipublicæ domuerunt, & inimicos ciues aduerſus ſe inſurgentes & cauere & opprimere potuerunt: ſed felices eos dicimus, ſi iuſte imperant, ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium non extollantur; ſed ſe homines eſſe meminerint, ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maxime dilatandum maieſtati eius famulam faciunt; ſi Deum timent, ſi diligunt, colunt: ſi plus amant illud regnum, vbi non timent habere conſortes: ſi tardius vindicant, facile ignoſcunt: ſi eandem vindictam pro neceſſitate regendæ tuendæque reipublicæ, non pro ſaturandis inimicitiarum odijs exercent: ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent: ſi quid aſpere coguntur plerunque decernere, minime lenitate & beneficiorum largitate*

compenſant: ſi luxuria tanto eis eſt caſtigatior, quanto poſſit eſſe liberior: ſi malunt cupiditatibus prauis, quam quibuſlibet gentibus imperare: & ſi hæc omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter charitatem felicitatis æternæ: ſi pro ſuis peccatis ſacrificium humilitatis, miſerationis, & orationis Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos Imperatores dicimus eſſe felices interim ſpe, poſtea re ipſa futuros, cum id quod expectamus aduenerit.

CAPITVLVM XIV.

HÆc & alia huiuſmodi ſcribit & docet ſanctus Auguſtinus Epiſcopus, vt cognoſcamus, quomodo per pacem terrenam ad cœleſtem peruenire debeamus: quomodo etiam diſpoſitor ſit, moderatorque regnorum Deus, & vnde vera felicitas contingat Chriſtianis Regibus, quos non recte agentes, iuxta quod ſupra dicitur, ita Deus in libro Sapientiæ alloquitur; *Audite reges, & intelligite: diſcite iudices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte iudicaſtis, neque cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundũ voluntatem Dei ambulaſtis, horrende & cito apparebit vobis: quoniam iudicium duriſſimum in his, qui præſunt, fiet: exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur: non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Dominus, nec reuerebitur magnitudinem cuiuſquam Deus: quoniam puſillum & magnum fecit ipſe, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. fortioribus autem fortior inſtat cruciatio. Ad vos ergo reges ſunt hi ſermones mei, vt diſcatis ſapientiam, & non excidatis. Concupiſcite ergo ſermones meos, diligite illos, & habebitis diſciplinam.* Inter hæc quæ per Solomonem dicuntur à Domino, conſiderandum eſt, quod hic quoque dicitur Regibus poteſtas data eſſe à Domino, ſicut & prædicatur ab Apoſtolo: *Quoniam omnis*, inquit, *poteſtas à Deo*, ideoque *quod irreprehenſibile eſt, catholica defendit Eccleſia*, ſicut ſcribit Marcellinus Papa: Omne enim bonum, aut Deus, aut ex Deo eſt: poteſtas autem, quoniam ex Deo eſt, vtique bona eſt: vnde & *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*, ſicut Apoſtolus ait. Non hic certe agitur de talibus, de quibus per Prophetam dicit Dominus. *Ipſi regnauerunt, & non ex me: iudices extiterunt, & non cognoui. Non cognoui*, inquit, quaſi diceret, *reprobaui*: Dei enim neſcire, hoc eſt reprobare. Verumtamen non regnauerunt ex Deo, qui regnum arripuerunt ſuperſtite adhuc Rege ſuo, qui pro patribus ſuis ſucceſſit in regnum iure hæreditario: quod fieri non poſſet niſi à Deo. Duo enim Reges, vnus poſt vnum, ſubſtituti ſunt noſtris temporibus à parte Principum, & partem regni tenuerunt.

fuerunt, & non totum: quod ſcilicet totum habet magnum pietatis myſterium in vnitate fidelium: ſed quia hoc conſilium, & hoc opus ex hominibus erat, diſſolutum eſt, quod ex Deo non erat: quoniam poſt breue temporis ſpacium ipſam quoque partem regni vterque amiſerunt: & vnus in prœlio, alter in expugnatione vnius caſtelli miſerabiliter perierunt; ſuperſtite eo, cui poteſtas data eſt à Deo; quam ſcilicet poteſtatem nec Principes nec populus partis illius diſſoluere potuerunt vllo modo: quandoquidem ipſi quoque Regi poſſint iam (donante Deo) filii ſuccedere in regnum, ſicut ipſe patribus ſuis ſucceſſit in regnum. Ergo omnis poteſtas, quæ à Deo eſt, vtique bona eſt, quam tribuit Deus bonis & malis, vt ipſi placet, cui nihil iniuſte placet. Certe Nabuchodonoſor dicitur in libro Danielis Prophetæ *Rex iniuſtus, & vltra omnem terram impius*: & tamen hic talis Nabuchodonoſor, de cuius etiam interitu multa horrenda vaticinantur per Prophetas Domini: hic, inquam, dicitur à Domino *ſeruus Dei*, non ſicut Prophetæ & omnes ſancti, qui vere ſeruiunt Domino: ſed quod in euerſione Hieruſalem Domini ſeruierit voluntati. de quo ſic legitur in Hieremia Propheta ex ſermone Domini: *Ego*, inquit, *dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor regis Babylonis, ſerui mei, inſuper & beſtias agri dedi ei, vt ſeruiant illi: & ſeruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius: gens autem & regnum, quod non ſeruierit Nabuchodonoſor regi Babylonis; & quicunque non curuauerit collum ſuum ſub iugo regis Babylonis, in gladio, & fame, & ſiti, & peſte viſitabo ſuper gentem illam*, ait *Dominus, donec conſumam eos in manu eius.* Quod ſi tanto Deus zelatus eſt zelo regiam poteſtatem in Rege iniuſto, & vltra omnē terram peſſimo, quid facturus eſt pro Rege Chriſtiano & catholico? Ipſe etiam Regi Nabuchodonoſor iurauerat Sedechias Rex Iuda, cuius ſcilicet periurium ita inſecuta eſt vltio diuina: *Viuo ego, dicit Dominus, quoniam iuramentum quod ſpreuit, & pactum quod præuaricatus eſt, ponam in caput eius: & morietur in præuaricatione, qua deſpexit me.* Ergo iuſiurandum hos habet comites, veritatem, iudicium & iuſtitiam: vt ſi iſta defecerint, nequaquam ſit iuramentum, ſed periurium. Vnde & Dominus loquitur in Hieremia propheta: *Iurabis*, inquiens, *viuit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia.* Quod dicitur, *Viuit Dominus*, in Teſtamento veteri: iuſiurandum eſt ad condemnationem mortuorum, per quos iurauerunt cultores idolorum. In nouo autem Teſtamento prohibet Dominus non iurare omnino. *Ne decidatis*, inquit, *ſub iudicio, ſi non ſecuta fuerint veritas & iuſtitia*, quæ pariter iuxta ſententiam ipſius Domini, comites ſunt iuramento.

CAPITVLVM XV.

PRo magno quidem ſalutis noſtræ myſterio iurare nos Dominus per ſeipſum pariter, & per Apoſtolum ſuum Iacobum prohibuit: quoniã videtur ſoluere Ieſum, quiſquis iuramentum ſoluerit. Vnde & ſanctus Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta: *Omnis,* inquit, *ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc iam in mundo eſt.* Qui enim *ſoluit pactum, nunquid effugiet? Viuo ego, dicit Dominus, quoniam iuramentum quod ſpreuit, & pactum quod præuaricatus eſt, ponam in caput eius: & morietur in præuaricatione, qua deſpexit me.* Ergo ſicut teſtatur Dominus per Prophetam, iuſiurandum habet comites, veritatem, iudicium, & iuſtitiam. Veritas autem Chriſtus eſt, ſimul & iuſtitia Chriſtus eſt. *Ego ſum,* inquit, *via, veritas & vita.* Sed Pſalmiſta ait, quoniam *iuſtitia & pax oſculatæ ſunt ſe, quando veritas de terra orta eſt,* Chriſtus ſcilicet natus de Maria virgine: *factus eſt* enim *nobis Ieſus Chriſtus ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio,* ſicut dictum eſt ab Apoſtolo. Igitur veritas eſt Chriſtus, iuſtitia eſt Chriſtus, pax eſt Chriſtus, imo quicquid bonum eſt, aut Chriſtus, aut à Chriſto eſt: quoniam Chriſtus Deus eſt. Sed omnes virtutum ſpecies vno iuſtitiæ continentur nomine, beato quoque Hieronymo atteſtante qui exponens illud Pſalmiſtæ: *Beati, qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore: Cum Dominus,* inquit, *& ſaluator noſter ſit Dei iuſtitia, felix eſt & beatus, qui facit iuſtitiam in omni tempore, id eſt Chriſtum: quoniam ſi iuſte agimus, concipitur in nobis iuſtitia, & pariter ex nobis iuſticia, & ſumus mater iuſticiæ. Omnis* autem *ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniã venit, & nunc iam in mundo eſt:* ſicut dicit ſanctus Ioannes Apoſtolus: ideoque *probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt.* Scripſit enim Hildebrand Papa, ſecundum quod ſupra dictum eſt, Herimanno Metenſi Epiſcopo, quod ipſe exemplo alicuius Romani Pontificis poteſtatem habuerit ſoluere à Sacramento Principes regni, immo ſoluere in eis Sacramentum, quo fidem vel pactum promiſerant Regi ſuo. Miſeremini, ô Principes regni cæleſtis, populus Dei, ſi tamen eſtis pacifici, & ſi eſtis in vnitate Eccleſiæ Dei: vos (inquam) miſeremini, immo indignemini, quod æſtimauit vos talis momẽti, vt putaret vos poſſe in hanc ſententiam adduci, vt id quod non poteſt fieri, credatis poſſe fieri. Nam Sacramentum dicitur quoq; iuſiurandum, & Sacramentum dictum eſt ab eo, quod ſit ſacrum ſignum: vt dum viſibiliter iuſiurandum agitur, inuiſibilis rei ſacrum ſignum intelligatur. *Iurabis enim,* inquit Dominus, *in veritate, in iudicio & in iuſtitia.* Quis enim poteſt hæc ſoluere, quę (ſicut Pſalmiſta ait) ſunt opera manuũ tuarum Domine?

Opera manuum eius, inquit Pſalmiſta, *veritas, & iudicium: fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſeculum ſeculi, facta in veritate & æquitate.* Opera quippe virtutis Dei ſunt veritas, iudicium & iuſtitia: & fidelia omnia mandata eius ſunt, quæ non variantur neque mutantur: quoniam confirmata in ſeculum ſæculi per humana verba nullo modo ſoluuntur, quæ verbo Dei confirmantur, facta in veritate & æquitate. Veritas enim eſt, qua dicta complentur: æquitas, qua iuſte proferuntur: iudicium vero eſt, quo vel iuſtus, vel iniuſtus, vtrique pro meritis ſuis remunerantur. Siue iudicium dicitur, iuxta quod in libro beati Iob legitur: *Nunquid qui non amat iudicium, ſanari poteſt?* Vnde ſanctus Papa Gregorius: *Amat iudicium*, inquit, *quiſquis vias ſuas ſubtiliter diſcutit, & ſecretarium cordis ingreſſus, quid Dominus ipſi tribuit, & quid ipſe Domino debeat, penſat. Tale iudicium qui non amat, nunquid ſanari poteſt? Iurabis enim*, ait Dominus, *in veritate, & in iudicio, & iuſtitia.* De quibus ſi aliquis ſolutus fuerit, & nihil horum habuerit, vel amauerit, quid tunc erit? profecto mendax & iniuſtus etiam iudicatus, quia mendax & iniuſtus. Veritas quippe loquitur in Euangelio de Diabolo: *ille*, inquiens, *homicida erat ab initio. & in veritate non ſtetit. quia veritas non eſt in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: quia mendax eſt*. ait, *& pater eius*, id eſt ipſius mendacii. Mendacium ſuum ipſe genuit, à nemine audiuit. Quomodo Deus pater genuit filium veritatem, ſic Diabolus lapſus, genuit quaſi filium mendacium. Ergo veritas eſt Dei, ſed mendacium eſt Diaboli: & quiſquis in veritate non ſteterit, ex ipſo eſt, qui mendacium primus genuit: quoniam omne mendacium ex veritate non eſt, ſicut ſanctus Ioannes ait: *Filioli*, inquit, *nemo vos ſeducat. Qui facit iuſtitiam ſanctus eſt, ſicut & Deus iuſtus eſt. Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt, quoniam ab initio Diabolus peccat. In hoc autem*, inquit, *apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli.* Quæ opera? Peccata. Ecce quæ, & cuius opera filius Dei venit diſſoluere: *Nolite*, inquiens, *putare, quia veni ſoluere legem aut Prophetas: non veni ſoluere ſed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Hoc verbum Dei loquitur ipſe, qui eſt verbũ Dei, filius Dei: *Ego*, inquiẽs, *ex meipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me pater, ipſe mihi mãdatum dedit, quid dicam & quid loquar; qui non veni legem aut Prophetas ſoluere, ſed adimplere. Qui autem ſoluerit & docuerit ſic* id eſt ſecundum quod ſoluit, non ſecundum id quod inuenit, & legit, *minimus vocabitur in regno cœlorum:* & fortaſſe ideo, ſicut ait Auguſtinus, *non erit in regno cœlorum, vbi niſi magni eſſe non poſſunt.* Dominus enim Ieſus Chriſtus ipſe eſt, quod prædicat ver-

[illegible] Dei, ideoque corpus Chriſti intelligitur etiam Euangelium Dei, doctrina Dei, ſcriptura Dei. Vnde Hieronymus in expoſitione CXLVII. Pſalmi: *Licet corpus*, inquit, *Ieſu Chriſti in myſterio poſſit accipi, ſi quando tamē ſermonem Dei audimus, & caro Chriſti, & ſanguis eius funditur noſtris auribus.* Proinde qui ſcripturam Dei ſoluit, Ieſum ſoluit: qui ſcilicet filius Dei, verbum Dei apparuit, vt ſoluat opera Diaboli: & vt eadem opera Diaboli ſoluant ſacerdotes in verbo Dei, in virtute Dei conceſſit Chriſtus filius Dei viui, qui dixit beato Petro, & in ipſo ſanctæ Eccleſiæ, vtpote ſupra petram fundatæ: *Quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque ſolueris ſuper terram erunt ſoluta & in cælis.* Verbum enim Dei eſt non alligatum, ſicut teſtatur Apoſtolus Dei, nec ſolui poterit vllo modo ſcriptura Dei, opus Dei, verbum Dei. *Nam cælum*, inquit, *& terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Igitur opera Diaboli ſunt peccata hominum, iuxta quod dicitur per Ioannem Apoſtolum: *Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt:* non carnis originem ducendo ex Diabolo, ſed imitationem, vel ſuggeſtionem peccandi ſumendo ab illo: quoniam ab initio, inquit, Diabolus peccat, de archangelo ſcilicet verſus in Diabolum, iuxta quod loquitur Dominus per Ezechielem Prophetam ſuum: *Tu*, inquiens, *Cherub extentus, & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum, ambulaſti perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te.* Omnis autem qui facit iniquitatem, & peccatum facit: ſicut idem qui ſupra, ſanctus Ioannes Apoſtolus ait: *Et ſcitis*, inquit, *quoniam apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli: omnis autem ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & iam in mundo eſt.* Ergo verbum, anima & caro vnus eſt Chriſtus in vna perſona Dei & hominis. Sed ille ſoluit Ieſum, qui vel diuinitatem eius, vel animam, vel carnem negat. Soluit & ille Ieſum, qui mandata & verba Ieſu, vel peruerſe viuendo, vel peruerſius interpretando corrumpit. Sed & ille ſoluit Ieſum, qui ſcindit vnitatem Eccleſiæ: vnus enim homo Chriſtus, caput & corpus. nam corpus eius eſt Eccleſia eius. Igitur ex Deo non ſunt, qui Dei opera, vel verba, vel Sacramenta reſcindunt. nam filius Dei verbum Dei in hoc apparuit, vt ſoluat opera Diaboli: & vt ipſius Diaboli opera ſoluant ſacerdotes in verbo Dei, in virtute Dei, conceſſit Chriſtus filius Dei. Sed Hildebrant Papa ſic ſcripſit & ſic prædicauit: *Quidam*, inquiens, *Romanus Pontifex Regem Francorum non tam pro ſuis iniquitatibus, quam pro eo quod tantæ poteſtati non erat vtilis, à regno depoſuit, & Pipinum Caroli Magni Imperatoris patrem in eius loco ſubſtituit: omnes Francigenas à iuramento fidelitatis, quam illi fecerunt, abſoluit.*

CAPI-

CAPITVLVM XVI.

MIra quidem videntur nobis quæ aſtruit: vt ſcilicet religioſus aliquis Romanus Pontifex Sacramentum fidei in aliquo abſoluere tentauerit: quia fides Dei magis quam alicuius æſtimatur, quæ alicui in eius nomine datur atque promittitur, quæ & ad inuocationem ſanctorum Dei roboratur, vt ipſi quoque ſint teſtes ſiue iudices pactæ fidei in nomine Domini. Quando autem à fide aliquis ſolutus fuerit, & fidem non habuerit, præcipue eam quam iuramento firmauerit, proculdubio mendax eſt, inſuper & periurus, qualis regnum Dei non poſſidebit: ſicut Apoſtolus ait. Ergo fides ſi titubauerit, caritas etiam ipſa langueſcit, ſicut Auguſtinus in libro de Doctrina Chriſtiana ſcribit: *Dum fides*, inquit, *titubat, diuinarum ſcripturarum authoritas vacillat*. Opus autem fidei, dilectio eſt, ſicut Apoſtolus teſtatur: *Fides*, inquiens, *quæ per dilectionem operatur*. Vnde & ſanctus Ioannes Apoſtolus: *Omnis*, inquit, *ſpiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt*: confeſſionem hoc loco non ſolum catholicæ fidei, ſed & operationis bonæ, quæ fit per caritatem, requirit: alioqui nõnulli hæretici, multi ſchiſmatici, ſed & multi falſi Chriſtiani confitentur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe: ſed confeſſionẽ ſuam factis negant, non habendo caritatem. Caritas quippe Dei filium adduxit ad carnem: & ideo negat illum in carne veniſſe, quiſquis non habet caritatẽ. Igitur opus fidei dilectio eſt, ſed Deus dilectio eſt, quam dicit Apoſtolus habitare in cordibus fideliũ: fides n. tua de Chriſto, Chriſtus eſt in corde tuo. Si fides in nobis, Chriſtus in nobis, quem ſcilicet Ieſum ſoluit, quiſquis fidem abſoluit. *Sed audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt, antiquis, Non peierabis, reddes autem Domino iuſiurandum tuum: ego autem dico vobis, non iurare omnino*. His atque aliis Dei mandatis credere, hoc eſt fidem tenere, hoc eſt Chriſtum in cordibus credentium habitare, cuius verba non poſſunt aliter fieri, quam iuxta verbũ Dei, quod eſt filius Dei: propoſuit enim ei iſtud legis mandatum, qui nondum aſcendit ad culmen Euangelicum: *Reddes*, inquiens, *Domino iuramentum tuũ. vobis aũt*, inquit, *dico*, qui non eſtis ſub lege, ſed ſub Euangelica profeſſione, *non iurare omnino. Iuſtitia autem Phariſæorum eſt, non occidere, non peierare. Sed vere dico vobis*, inquit, *niſi abundauerit iuſtitia veſt. a plus quam Scribarũ & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Quodcunq;* autem *voueris* (ſicut per Solomonem dicitur) *redde*: multoq; melius eſt non vouere, quam poſt votum promiſſa non reddere. Diſplicet enim Deo infidelis & ſtulta promiſſio, *& ſi in vacuum aliquis iurauerit, non iuſtificabitur*, ſicut ſapientia Dei loquitur in libro Eccleſiaſtico. *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis, non peierabis, reddes autem Domino iuramentum tuũ*, qui nondum aſcendiſtis ad culmen Euangelicum: vbi prohibetur omnino iuramẽtum. Deniq; nõ implentibus ea quæ antiquis in lege iubentur, maledictũ etiã proponitur;

Maledictus, inquit, *qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea. & conteſtor vobis per cœlum & terram, quod ſi non cuſtodieritis mandata Domini Dei veſtri, peribitis à facie terræ.* Quod ſi iubentur, qui ſub mandato legis ſunt quaſi ſub pædagogo, interpoſita maledictione Domino iuramentum ſuum reddere, quod, vt ſupra dictum eſt, datur ſub Sacramento veritatis, iudicii & iuſtitiæ: quid fiet de his qui conſtringũtur ſub maiori Sacramento Chriſtianæ religionis? vbi quanto ſublimior inſtitutio atque doctrina, tanto grauior exactio atque vindicta, ſi quis ſoluerit vel vnum de minimis Domini mandatis, quæ ſcripta ſunt in lege, quæ nec filius Dei venit ſoluere, ſed adimplere: apparens certe opera Diaboli ſoluere, quæ etiam conceſſit ſacerdotes in verbo Dei, in virtute Dei ſoluere? Hæc obſecro conſiderate, & ſi Angelus etiam de cœlo aliter quã Euangelizatum eſt à Deo, euangelizauerit vobis, non attendite: quia talis iuxta Apoſtolicam beati Pauli authoritatem, per quem loquitur Chriſtus, perpetuo maledictus eſt ànathemate.

Ecce enim vt ſæpe dictum eſt, *omne quod irreprehenſibile eſt, catholica Eccleſia defendit*, adeoque vel Zachariam, vel Stephanum Romanos Pontifices pro merito ſuæ religionis & virtutum defendit: quorum neuter vt certo ſcimus Francigenas à iuramento fidelitatis ſuæ, quam alicui promiſiſſent Regi, abſoluit: ſicut Hildebrand Papa ſcripſit & prædicauit, vt tali exemplo deciperentur Principes regni, quaſi ipſe poſſet abſoluere eos à ſacramento fidei, quam iurauerant Regi ſuo in nomine Domini, intendens eum perinde à regno priuari atque deponi.

CAPITVLVM XVII.

QVod cum per hos XIV. aut eo amplius annos frequenter tentatum ſit, ad effectum tamen peruenire non potuit: quoniam vt Solomon ait, *Non eſt ſapientia, non eſt fortitudo, non eſt conſilium contra Dominum.* Ergo Hildérichus non re, ſed nomine tantum regnabat: quoniam apud Maiores domus tota diſpoſitio regni, & tota poteſtas regni erat, quod ita fieri diuina diſpenſatio longe ante ordinauerat. Nam Ludouicus, ſiue Clodoueus, glorioſi Regis Dagoberti filius, diſco operiens corpus beati Dionyſii martyris, brachium eius fregit, ſtatim ſtupefactus in amentiam incidit, & non poſt multum temporis vitam cum regno finiuit: cuius præſumptio, qua in ſanctum Dei peccauerat, in poſteros quoque redundauit: quoniam, ſicut legitur in geſtis Francorum, exinde diuerſis atque peſtiferis caſibus regnum Francorum concidit. Poſtquam enim duo filii eius regni ſucceſſores, Clotarius ſcilicet, atque Hildérichus, in primæua ætate

perierunt

65

perierunt: vnus communi omnium morte defunctus, alter propter morum inſolentiam occiſus, Theodoricus tertius frater, multis aduerſitatibus & ante regnum & in regno eſt afflictus, cuius Maior domus, id eſt, Prouiſor palatii, immo violator palatii extitit quidam Ebroinus apoſtata, qui inter alia tyrannidis ſuæ & crudelitatis facinora ſanctum Leodegarium Epiſcopum & fratrem eius Gerinum diuerſis pœnis & cruciatibus interfecit, multoſque alios mactauit & oppreſſit: quo tandem occiſo, Pippinus Dux Auſtraſiæ Maior domus efficitur, qui iuxta nobilitatem pariter & religionem progenitorum ſuorum opus atque negotium piiſſimi Rectoris, & religioſiſſimi Principis exequitur. Dominus enim Arnolfus ex filia Regis Clotarii natus, quum eſſet primum Maior domus, in regno edidit nobiles & virtute præſtantes filios palatio, qui poſtea ex meritorum conſideratione factus Metenſis Eccleſiæ Epiſcopus, genuit Deo ſpiritales filios in ſacerdotio: cuius certe filius erat Anchiſus, qui de nomine Troiani Anchiſæ dicitur, appellatus: cuius item filius erat iſte (de quo ſupra dictum eſt) Pippinus, pater ſcilicet ſenioris Caroli, & auus Regis Pippini, de quo ſic inter cætera legitur in geſtis Francorum: quod vna cum conſilio & conſenſu omnium Francorum miſſa relatione ad ſedem Apoſtolicam, & authoritate percepta præcelſus Pippinus electione totius gentis ſublimatus ſit, in ſedem regni cum conſecratione Epiſcoporum, & ſubiectione Principum. Et longe ſupra ſcriptor hiſtoriæ oſtendens, quando & à quo inchoaret ille Principatus, qui dicitur Maior domus: *Tempore*, inquit, *Clotarÿ patris Dagoberti regnum Francorum regi cæptum eſt, & adminiſtrari ab his, qui Prouiſores Aulæ regiæ, vel Maiores domus eſſe videbantur; diuina hoc diſpenſante prouidentia, vt ad horum progeniem Francorum transferretur regnum: fuitq́, eo tempore Maior domus in palatio Clotarÿ Regis Arnolfus, vir (vt poſtmodum claruit) Deo amabilis, qui poſt ſeculi gloriam Chriſti ſe ſeruitio ſubdens, mirabilis in Epiſcopatu extitit.* Conſiderate nunc ordinem rerum geſtarum, & perſpicite, ſi iuxta ſcripturam Hiltebrandi Papæ aliquis Romanorum Pontificum depoſuerit à regno Regem Francorum, & Francigenas à iuramento fidelitatis, quam ei feciſſent, abſoluerit: quod ſcilicet fidei ſacramentum (ſicut ſupra probatum eſt ex teſtimonio ſacræ ſcripturæ) nemo vnquam ſoluere poterit, niſi forte quemlibet inde ſolutum facere velit mendacem ſimulatq; periurum; ac ideo condemnatum: quandoquidem ille Hildericus, de quo agitur, nihil omnino regiæ poteſtatis vel dignitatis habuiſſe deſcribatur: atq; ideo cōprobatur, quod non fuerit dominus aliquorum, ſiue rector, quoniam rex à regendo dicitur. Vt enim quemlibet regem Chriſtianum prætermittamus, ecce quomodo in Nabuchodonoſor rege iniuſto, & vl-

Maiores dom' facti Reges Frācorum.

tra omnem terram peſſimo: ecce (inquam) quomodo regiam poteſtatem in eo zelatus eſt Dominus Deus: *Gens vero, inquiens, & regnum, quod non ſeruierit Nabuchodonoſor Regi Babylonis, & quicunque non curuauerit collum ſuum ſub iugo Regis Babylonis, in gladio, & fame, & ſiti, & peſte viſitabo ſuper gentem illam, ait Dominus, donec conſumam eos in manu eius.* Ipſi etiam Regi Nabuchodonoſor iurauerat Sedechias Rex Iuda, cuius ſcilicet periurium ita inſequuta eſt vltio diuina: *Viuo ego, dicit Dominus, quoniam iuramentum, quod ſpreuit, & pactum, quod præuaricatus eſt, ponam in caput eius, & morietur in præuaricatione, qua deſpexit me. Qui enim ſoluit pactum, nunquid effugiet? dicit Dominus.*

CAPITVLVM XVIII.

Certum eſt, quia verum eſt, quod Hildebrandt Papa tentauerit ſoluere ſcripturam Domini, & mandata Domini, quæ ſunt de vnitate Eccleſiæ Chriſti, quæ ſunt etiam de ſacramento fidei. Sed firmum fundamentum Dei ſtat, & dilectio, quæ valida eſt, ſicut mons, in electis Dei integra perſeuerat: quoniã caput & corpus, quod eſt Chriſtus & Eccleſia, ab inuicẽ non diſcordat. Poterit ſane aliquis ſoluere in his, qui foris ſunt, charitatẽ, quæ nunquam certe in electis cadit; de cætero (velit, nolit) cœlum & terra prius tranſibunt, quam vel iota vnum, vel vnus apex prætereat de lege Domini, de ſcriptura Domini. Quæcunque autem ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus, ſicut docet Apoſtolus. Ecce enim poſtquam prædixerat Dominus gentem, quæ non ſeruierit Regi Babylonis, ſe viſitaturum eſſe in gladio, & fame, & peſte, per quod ſcilicet teſtimonium, ſicut & per Apoſtolum, docet poteſtatibus obediendum eſſe: poſtquam etiam prædixerat, Sedechiam Regem pro iuramento, quod ſoluerat, moriturum eſſe in præuaricatione, qua deſpexerit ſe: quoniam iuramentum Domini eſt, in cuius nomine iuratur, vbi iuſtitia, iudicium & veritas comites eſſe dicuntur. Poſt hæc (inquam) dicit Dominus per Hieremiam Prophetam, de Prophetis, immò de falſis Prophetis, hoc eſt, de falſis doctoribus: *Nolite, inquit, audire verba Prophetarum dicentium vobis: Nolite ſeruire Regi Babylonis. quia mendacium ipſi loquuntur vobis: quia non miſi eos, ait Dominus, & ipſi prophetant in nomine meo mendaciter, vt eiiciant vos, & pereatis tam vos, quam Prophetæ, qui vaticinantur vobis.* Certe omnes quotquot poteſtati, immò Dei ordinationi reſiſtunt, à regno Dei eiecti peribunt, & periuri regnũ Dei non poſſidebunt. De duabus quippe ciuitatibus pauca diximus ſupra, iuxta quod ſcribit ſanctus Auguſtinus in

libro

Libro xix. de Ciuitate Dei, de qua dicta ſunt glorioſa, vbi inter alia plurima, quæ ſunt eiuſmodi, loquitur iſta: *Quamdiu permiſtæ ſunt ambæ ciuitates, vtimur & nos pace Babylonis, ex qua ita per fidē populus Dei liberatur, vt apud hāc interim peregrinemur. Propter quod & Apoſtolus admonuit Eccleſiā, vt oraret pro Regib. eius atq; ſublimibus addens & dicens: Vt quietā & tranquillā agamus vitam cū omni pietate & caritate.* Et Propheta Hieremias quū populo Dei veteri prænunciaret captiuitatē, & diuinitus imperaret, vt obedienter irēt in Babyloniā, Deo ſuo etiā iſta patientia ſeruientes, monuit & ipſe, vt oraretur pro illa, dicens: *Quia in eius pace eſt pax veſtra.* Beatus autē populus, cuius Dominus Deus eius: & miſer populus ab iſto Deo alienatus, qualis etiā non eſt dignus, vt vel terrenæ vel cœleſtis reipublicæ ſit populus. Reſpublica enim dicitur, quod ſit res populi, ſicut ſcribit ſanctus Auguſtinus in ipſo xix. libro de Ciuitate Dei: ſed populū eſſe definit, *cœtū multitudinis iuris conſenſu, & vtilitatis cōmunione ſociatū.* Quid aūt dicat iuris cōſenſum, diſputando explicat, per hoc oſtendens geri ſine iuſtitia non poſſe rempublicā. *Vbi ergo,* inquit, *iuſtitia vera non eſt, nec ius poteſt eſſe. Quod enim iure fit, profecto iuſte fit: quod autē fit iniuſte, nec iure fieri poteſt. Non enim iura dicenda ſunt, vel putanda qualibet iniqua hominū conſtituta: quocirca vbi nō eſt vera iuſtitia iuris conſenſu ſociatus cœtus hominū non poteſt eſſe, & ideo nec populus: & ſi non populus, nec res populi: ſed qualiſcunq; multitudinis, quæ populi nomine digna non eſt. Ac per hoc ſi reſpublica res eſt populi, & populus non eſt, qui conſenſu iuris ſociatus non eſt: non eſt autē ius, vbi nulla iuſtitia eſt: procul dubio colligitur, vbi iuſtitia non eſt, non eſſe rēpublicam. Iuſtitia porro eſt ea virtus, quæ ſua cuiq; diſtribuit.* Et lōge ſupra idē Auguſtinus in libro 11. de Ciuitate Dei, introducens ſententiā vel Scipionis, vel Tullii de republica: *Sicut in fidibus,* inquit, *ac tibiis, atq; cantu ipſo ac vocibus concentus eſt quidā tenendus ex diſtinctis ſonis, quē immutatū atq; diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt, isq; concentus ex diſſimillimarū vocū moderatione concors tamē efficitur, & cōgruus ſic & ſummis, & infimis, & mediis interiectis ordinibus, vt ſonis moderata ratione, ciuitatē conſenſu diſſimillimorū dicunt concinere: & quæ Harmonia à muſicis dicitur in cātu, eā eſſe in ciuitate concordiā, arctiſſimū atq; optimū in omni republica vinculū incolumitatis, eamq; ſine iuſtitia nullo pacto eſſe poſſe. Populū autem non omnē cœtū multitudinis: ſed cœtum iuris conſenſu & vtilitatis communione ſociatum eſſe determinant, & dicunt tūc eſſe rempublicam, id eſt, rem populi, quum bene ac iuſte geritur, ſiue ab vno Rege, ſiue a paucis optimatibus, ſiue ab vniuerſo populo. Quum vero iniuſtus eſt Rex, quem Tyrannum more Græco appellant, aut iniuſti optimates, quorum conſenſum dicunt eſſe factionem: aut iniuſtus ipſe populus, cui nomen vſitatum non reperiunt, niſi etiam ipſum Tyrannum vocent. non iam dicunt vitioſam, ſicut prius fuerat diſputatū: ſed ſicut ratio ex his illis definitionibus connexa docuiſſet, omnino nullā eſſe rempublicā: quoniam non eſſet res populi, quum*

Tyrannus eā factione capeſſeret: nec ipſe populus iam populus eſſet, ſi eſſet iniuſtus, quoniam non eſſet multitudo iuris conſenſu, & vtilitatis communione ſociata, ſicut populus fuerat definitus. Igitur duæ ciuitates in ſacra ſcriptura commendantur: vna Dei, altera Diaboli. Illa per Hieruſalem ſignificatur, metropolin populi Dei: hæc per Babylonem, metropolin gentium populo Dei ſemper aduerſariam: atque ideo, quoniam Hieruſalem viſio pacis interpretatur, pax per ciues atque domeſticos Babylonis confunditur, quoniam Babylon confuſio interpretatur. Pacem (inquit Dominus) relinquo vobis, pacem meam do vobis: vnde ſi quando filij Eccleſiæ coguntur belligerare, non hoc agunt ex doctrina Chriſti, & traditione Eccleſiæ: ſed ex neceſſitate & contagio quodam Babylonis ciuitatis terrenæ, apud quam tempore mortalitatis ſuæ peregrinantur filij Hieroſolymæ. Hinc iterum Auguſtinus in ſupradicto libro de Ciuitate Dei: *Chriſtiana,* inquit, *religionis præcepta, de iuſtis probisq; moribus, ſi ſimul audirent atque curarent Reges terræ, & omnes populi principes, & omnes iudices terræ, iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus, ætas omnis capax, & vterque ſexus, & quos Baptiſta Iohannes alloquitur, exactores ipſi atque milites: tunc & terras vita præſentis ornaret ſua felicitate reſpublica, & vitæ æternæ culmen beatiſſime regnatura conſcenderet. ſed quia iſte audit, ille contemnit, pluresque vitiis male blandientibus, quam vtili virtutum aſperitati ſunt amiciores: tolerare,* inquit, *Chriſti famuli iubentur, ſiue ſint Reges, ſiue Principes, ſiue iudices, ſiue milites, ſiue prouinciales, ſiue diuites, ſiue pauperes, ſiue liberi, ſiue ſerui, vtriuſque libet ſexus, etiam peſſimam, ſi ita neceſſe eſt, flagitioſiſſimamque rempublicam, & in illa Angelorum quadam ſanctiſſima atque auguſtiſſima curia, cœleſtique republica, vbi Dei voluntas lex eſt, clariſſimum ſibi locum etiam iſta tolerantia comparare.* Quod ipſe præſtare dignetur, qui viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum,

Amen.

WALTRA-

WALTRAMI NAVMBVRGENSIS EPISCOPI

Apologiæ

LIBER II.

PRO HENRICO IV. IMPERATORE ET CLEmente III. Papa, contra Bernhardi Corbeienſis Monachi ex Hirſaugia Epiſtolam De iudicio Gregorii Papæ VII. ſuper Schiſmaticos, & de Sacramentis extra Eccleſiam vſurpatis.

CAPITVLVM I.

NOLITE plures magiſtri fieri, Fratres mei: ſcientes, quoniam maius iudicium ſumitis, ſicut dicit Iacobus Apoſtolus ex doctrina Domini & ſaluatoris noſtri. *Vos*, inquit, *nolite vocari Rabbi: vnus eſt enim magiſter veſter.* Vnde Auguſtinus in libr. qui prætitulatur de Magiſtro, diſputans, quærens & inueniens magiſtrum non eſſe, qui docet hominem ſcientiam, niſi Deum: *Magiſtros*, inquit, *plures tunc fieri exiſtime, cum diuerſa atque inter ſe aduerſa ſentiunt, cum verum idipſum dicunt omnes, & verum dicunt, ab vnius veri magiſtri magiſterio non recedunt. Qui enim*, inquit Chriſtus, *maior eſt veſtrum erit miniſter veſter. Qui enim ſe exaltauerit, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Sed cùm ipſe vnus magiſter Chriſtus, idemque Deus mutet tempora, transferat regna, tenens corda Regum in dextra ſua: legimus docuiſſe Hildebrandum Papam, quod poteſtatem ipſe habuerit ſuper Reges & ſuper regna: & poſſe id facere, quod per Deum fieri tantum dicit Pſalmiſta: *Hunc humi-*

liat, & hunc exaltat. *Nam reddite*, inquit, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo*. Quam certe regulam proprio confirmauit exemplo, dicens Petro Apoſtolo: *Vt non ſcandalizemus eos*, id eſt, ne nos Cæſari contradicentes, tumultuandi eis occaſionem præbeamus, *vade ad mare, & mitte hamũ: & eum piſcẽ, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illũ ſumens da eis pro me & te: & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Qui etiam docuit Apoſtolos Eccleſiam, non regnum diſponere, vel ordinare: quod nec ipſe legitur affectaſſe, qui fugit in montem ſolus orare, quum turbæ veniſſent rapere eum, & regem conſtituere: quoniam *quum in forma Dei eſſet, formam ſerui accipiens, venit non miniſtrari, ſed miniſtrare.* Iuxta quod etiam Paulus Apoſtolus, quum liber eſſet ex omnibus, omnium ſe ſeruum fecit, vt plures lucrifaceret. Vnde & Gregorius Papa, quum eſſet ſummus Pontifex, & virtutũ artifex, in tãtum ſe infra omnes humiliauit, vt primus ipſe in epiſtolis ſuis *Seruũ ſeruorum Dei* ſe appellauerit, & hoc humilitatis nomen ad poſteros quoq; tranſmiſerit. Qui in libro Paſtoralis curæ propoſuit de bonis ſubditis, & malis rectoribus, exemplum Saulis & Dauid: qui certe, dum cum poſſet eundem perſecutorẽ ſuum occidere, noluit occidere, eo quod eſſet Chriſtus Domini: inſuper & viros ſuos, ne conſurgerent in eum, legitur ſermonibus confregiſſe: & quia vel oram clamydis ſuæ ipſe præcidiſſet, pœnituiſſe: *Si quando*, inquit, *contra rectores vel in minimis lingua labatur, per afflictionem pœnitentiæ cor prematur: & quum Præpoſiti poteſtati aliquis detraxerit, eius iudicium, à quo ſibi prælata eſt, perhorreſcat: Quia quum in Præpoſitos*, ait, *delinquimus, eius ordinationi, qui eos nobis prætulit, obuiamus.* Et vt hoc exemplo probaret, quod ſcripto edidit, ne in Ethnicorum quidem morte ipſe dilectus Deo Gregorius, ſeſe miſcere voluit: ſed quum efficere potuerit (ſicut ipſe ſcribit) quod gens Longobardorum, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, nihil horum facere voluit, quia Deum timere ſe dicit.

CAPITVLVM II.

AT Hildebrand Papa miſcuit ſe plurimorum mortibus Chriſtianorũ, ſuccedens vbique incendia bellorum per totum pene Romanũ Imperium, vt non teneret Henrichus Rex regnum à Deo ſibi collatum, per ſucceſſiones patrum ſuorum. Qui etiam in vſum belli conduxit milites reipublicæ: quum *militantes Deo implicare ſe non debeant negotiis ſecularibus*, iuxta diſciplinam Eccleſiæ, & propter ſupplementa ſtipendiariorum, ſiue mercedis, pro qua mercede eius militauerant contra Regem, eundemque Patricium Romanorum; ſpoliauit Romanam Eccleſiã oblationibus fidelium, quibus hactenus ſolebat alere indigentiam pauperũ: qui (ſicut

ait

ait Laurentius martyr ad Decium) *ſunt theſauri æterni*, qui nunquam minuuntur & creſcunt, qui in ſingulis aſperguntur, & montibus inueniuntur, in quibus ſcilicet Eccleſiæ theſauris vere Chriſtus eſt, in quibus Chriſti fides eſt. Segregauit etiã ſibi ab Eccleſia pleroſq; Epiſcopos atq; Abbates: de republica autem pleroſq; Duces atque Comites, vt iam non ſit vnum corpus vel Eccleſiæ vel Reipublicæ, & vt non ſit *multitudinis credentium cor vnum & anima vna*, ſecundum diſciplinam Eccleſiæ: ſed ſint ſecũdum Comicum, *quot homines, tot ſententiæ*. Pro his & huiuſmodi meruit talis Hildebrand Dominus Apoſtolicus Gregorius appellari, atque in doctrina & conuerſatione catholicus inſcribi, & apud ipſum atque Epiſcopos ipſius eſſe Eccleſiã Dei, & iuſtitiã Dei. Sic enim inter multa alia ſcriptũ tenetur, in epiſtola contra Clementẽ Papam, quã reperimus ſcripſiſſe quandã infamem perſonam: *Igitur*, inquit, *quoniam* (*ſicut Apoſtolus dicit*) *corde creditur ad iuſtitiã, ore autem confeſſio fit ad ſalutem: & nos credimus, propter quod & loquimur, dominũ apoſtolicum Gregoriũ in doctrina & conuerſatione catholicũ*. Et iterũ: *Sed non prætermittendũ*, inquit, *quod Wigbertus ſe ſeruũ ſeruorũ Dei nominat mentiendo: ſanctã vero matrem Eccleſiã, id eſt, filios Dei, qui ſpiritu Dei aguntur, quorũ conuerſatio in cœlis eſt, Satanæ ſynagogã appellat*. Ecce enim Epiſcopi Hildebrandi Papæ quũ ſint proculdubio corporum pariter & animarũ homicidæ: corporum quidem, quoniã ipſi, vtpote viri ſanguinũ & doloſi, vſi ſunt manibus ſibi obſequentiũ ad necem plurimorũ: animarũ autem, quoniam occiderunt quotquot ſeparauerũt ab vnitate catholicæ Eccleſiæ: quoniã filii hominũ, dentes eorũ arma & ſagittæ, & lingua eorũ gladius acutus, quales merito dicuntur ſynagoga Satanæ. Ecce, inquam, quum tales ſint Epiſcopi Hildebrandi Papæ, ſcribitur in ſua ſuorumque parte ſancta mater Eccleſia eſſe, quum catholica, hoc eſt, vniuerſalis Eccleſia non ſit in aliquarum partium ſchiſmate: ſed in vniuerſitate fidelium per ſpiritum pacis & caritatis ad inuicem concordantium. Deſcribuntur etiam eſſe filii Dei, quum ſpecialiter in Euangelio dicantur filii Dei, qui ſunt pacifici. Deſcribuntur quoque ſpiritales eſſe, quod eſt agi ſpiritu Dei, idemq; in cœlis conuerſari: cum profecto cœlis, qui enarrant gloriã Dei, dicat in Euangelio Dominus: *Vos*, inquiens, *cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus*. Sed vt decipiant incautos miniſtri Satanæ, qui transfigurat ſe in Angelũ lucis, transfigurantur & ipſi ſicut Apoſtolus ait, velut miniſtri iuſtitiæ, in quibus ipſe, qui dicitur Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, operatur iã myſteriũ illius arrogãtiæ: *In cœlũ*, inquiens, *conſcendã, ſupra aſtra Dei exaltabo ſoliũ meũ, ſedebo in monte Teſtamenti, in lateribus Aquilonis, vnde refrigeſcit caritas multorũ: ſedebo ſuper altitudinẽ nubiũ cœleſtiũ* (*ſcil. prædicatorũ*) *& ero*, inquit, *ſimilis Altiſſimo*. Vnde inquit quidã nomine tantum

Chriſtianæ profeſſionis inflatus, vere autem carens Chriſtianæ religionis fluctibus: quum oporteret eum humiliter ſe agere, arrogantia elatus, aſſumpſit ſibi aliquid authoritatis Apoſtolicæ: & ſcribit ad omnes Eccleſias epiſtolam, in qua docere conatur eos, qui multo rectius, quam ipſe, credebant, & cohortatur omnes ad nouas inſtitutionum ſectas accommodare aurem ſuam. *Huic*, inquit, *nullam epiſtolæ ſalutationem volui præfigere, in qua illius, cui nec Aue dicendum eſt, ſcriptis reſpondebo. Qui habet aures audiendi, audiat.* Et poſt aliqua, quibus furem eſſe atque latronem deſcribit qui aſcenderit aliunde ſecundum Euangelica Domini dicta: *Caueto igitur*, inquit, *tu Chriſtiane, ne Wigberto corde vel ore dixeris vnquam Aue.* Ecce magnificus ille laudator Hildebrandi Papæ probatur inſtituiſſe ſcholam contentionis, qui noluit eſſe annunciator ſalutis, indicans in principio epiſtolæ ſuæ ſalutationē, quæ à ſalute dicitur, ſe nolle nobis præſcribere, quum præcipiat Paulus Apoſtolus fratres ſalutare ſe inuicem in oſculo ſancto: quod ſignum, inquit, ſalutationis in omni epiſtola ita ſcribo. *Vnde rogamus*, inquit, *vos fratres per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, vt non cito moueamini à veſtro ſenſu, neq; terreamini neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam, tanquam per nos miſſam. Omnibus autem, qui inuocant nomen Domini noſtri in omni loco ipſorum, & noſtro, gratia & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.* Hoc ſignum ſalutis, quæ ab Apoſtolo nobis optatur, & à Deo promittitur, ab authore propoſitæ Epiſtolæ nobis ſubtrahitur: gratia ſcilicet, qua nobis peccata donentur: pax, qua Deo reconcilientur. Vnde & ipſe venit abſque doctrina Chriſti, qui præcipit pacem primo auditoribus proponi: quoniam ſicut per Eſaiam Prophetam dicitur: *Opus iuſtitiæ eſt pax, & fructus labiorum Dei pax, & hæreditas Eccleſiæ eſt pax.* Sed contra Chriſtum & Eccleſiam facit, quiſquis contra pacem facit: de quorum numero eſſe oſtenditur, qui (vtpote fur & latro, aliunde intrans ad doctrinæ ſtudium, quam per Chriſtum, qui eſt oſtium, quo ad ſalutem intratur) negat in ipſo limine ſcripturæ ſuæ, quod velit ſuis auditoribus ſalutationem, quæ iuxta teſtimonium beati Auguſtini à ſalute dicitur, annunciare: qui adhuc contentioſius agere probatur, quando ad confirmandas ſchiſmaticorum pariter atque hæreticorum partes teſtimonia ſacræ ſcripturæ hinc inde contrahendo furatur, vt in inſidiis, & quaſi per latrocinia quædam incauti decipiantur. *Gregorius*, inquit, *Innocentius*,

& ſequaces eorum omnes fortiter improbant quodlibet ſacerdotale officium ab Eccleſia ſeparatorum.

CAPI-

CAPITVLVM III.

ECce quomodo ille miniſter Diaboli, ecce quomodo inſanit, quomodo nos ſecum in foueam perditionis mittere quærit, qui apud XIII. tantum, aut paulo plures Epiſcopos Hildebrandi Papæ ſcribit ſancta Dei eſſe ſacerdotia: cæterorum autem, qui ſunt per orbem terrarum, ſacerdotia ab Eccleſia Dei eſſe ſeparata: cum certe non ſolum Gregorii atque Innocentii teſtimonium, ſed omnium ſanctorum Patrum iudicium cōcordat cum ſententia beati Cypriani Epiſcopi, qua teſtatur in libro de vnitate Eccleſiæ, quod alienus ſit, prophanus ſit, hoſtis ſit, quod Deum patrem habere non poterit, qui non tenet vnitatem Eccleſiæ: quam conſequenter etiam deſcribit vnum ſacerdotium habere. Nam *vt vnitatem*, inquit, *manifeſtaret Dominus, vnitatis eius originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit: & quia erant vtiq; & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur, quam ſcilicet vnitatem tenere firmiter, & vindicare debemus: maxime nos*, inquit, *Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, vt Epiſcopatum quoque vnum atq; indiuiſum probemus.* Sed Hildebrand Papa ſic diuiſit etiam ſacerdotia, quemadmodum Eccleſiam Dei atque rempublicam imperii: quoniam partes inde ſegregauit ſibi. Inter ipſum namque & inter Regem Henrichum graues ortæ ſunt, atque inexorabiles diſcordiæ; Papa plurimum annitente, vt Rex deponeretur à regia poteſtate pariter & dignitate: Rege vero contra nitente, vt defenderet ſe ab hoſtium ſuorum circumuentione, qui pro parte eiuſdem Papæ certantes quærebant eum opprimere. Exinde diuiſa eſt Eccleſia, & diuiſa ſunt Eccleſiæ ſacerdotia, atque omnia ſcandalorum orta ſunt genera: exinde creuit graue & diuturnum bellum, & non ſolum ciuile bellum, ſed & pluſquam ciuile bellum: & factæ ſunt abſque diuino pariter & humano reſpectu vaſtationes Eccleſiarum, & cædes hominum: exinde etiam corruptæ ſunt diuinæ pariter & humanæ eges, ſine quibus non ſubſiſtit vel Dei Eccleſia, vel imperii reſpublica, & exinde violata eſt fides & publica & catholica: exinde etiam illa creuit iniuſtitia, vt pro veritate falſa teſtimonia, & pro fide catholica abundent periuria, vt poſtquam leges bello ſiluère coactæ, impleatur iam iſta Domini ſententia per Oſee Prophetam: *Non eſt*, inquit, *veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra: maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit:* Hæc nunc abundare & ſuperabundare, propter doctrinam Hildebrandi Papæ, qua diuiſit corpus vel Eccleſiæ, vel reipublicæ, nunquid hoc eſt Apoſtolicum eſſe? & Gregorium, id eſt, bene vigilantem eſſe? & in doctrina

&in conuerſatione catholicum eſſe ſecundum ſententiã ſcriptoris propoſitæ epiſtolæ? atque cum tali Hildebrando partes habere, & eiuſmodi, qualia ſupradicta ſunt, flagitia nutrire, fouere, vel defendere, nũquid hoc eſt filios Dei eſſe, & ſpiritales atque cœleſtes eſſe iuxta ſententiam ſcriptoris eiuſdem epiſtolæ? Abſit hoc, abſit, inquam: quoniam atteſtante Apoſtolo, *Chriſtus exhibuit ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, nec per duplicitatem rugã*: quia & per iuſtitiã eſt munda, & per ſimplicẽ intẽtionẽ tenſa. Vnde & in Cãtico canticorũ Spiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat & dicit: *Vna eſt columba mea, perfecta mea: vna eſt matris ſuæ, electa genetricis ſuæ.* Sed aduerſarii noſtri, quamuis ipſi exierint à nobis, non nos ab ipſis: tamen ſic ſolent ſe commendare dictis ac ſcriptis: *Nos catholici ſumus, nos in vnitate Eccleſiæ ſumus.* Vnde ſcriptor illius epiſtolæ appellat eos, qui ſunt in parte ſui Gregorii, catholicos: nos autem, qui fidẽ ſanctorũ Patrum tenemus, qui bonis omnib. conſentientes ſumus, qui pacem amamus, & fraternitatem diligimus, qui impendimus honorem, cui debemus honorem: qui iuxta præceptum Petri Apoſtoli, *ſubiecti ſumus omni creaturæ propter Deum, ſiue Regi tanquam præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis*: & non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis, id eſt, indiſciplinatis: qui confitemur iuxta doctrinam Pauli Apoſtoli, *bonum eſſe & acceptum coram ſaluatore Deo noſtro, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt primum omnium fiant obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate*: nos vero, qui optamus etiam cum Propheta dari capiti noſtro aquam, & oculis noſtris fontem lachrymarum, vt ploremus die ac nocte interfectos filiæ populi noſtri: nos, inquam, præiudicat ille ſcriptor, dicens nos eſſe Schiſmaticos, & hæreticos, & excommunicatos: quia regiæ poteſtati nõ reſiſtimus, & quia Clementi Papæ communicamus.

CAPITVLVM IV.

QVID *inuiolabile*, inquit, *Baptiſmi ſacramentum apud ſchiſmaticos, & hæreticos, & excommunicatos valeat, Iſidorus in Allegoriarũ libro ſuper Geneſin declarat. Quod præter arcam*, ait, *omnis caro, quam terra ſuſtentabat, diluuio conſumpta eſt: ſignificat, quia præter Eccleſiæ ſocietatem aqua baptiſmi, quum eadem ſit vis, non ſolum non valet ad ſalutem, ſed valet potius ad perniciem. Sciendum autem, quod Wigbertus arguit catholicos aſſerere illa, quæ fiunt extra Eccleſiam, ſacramenta non eſſe, nec aliud quam damnationem cuiquam conferre, aſtruens tam extra, quam intra catholicam Eccleſiam hæc omnia rata & vera exiſtere*

exiſtere, aſſumitque in teſtimonium aſſertionis ſuæ Auguſtini ſententiam in quodam tractatu in Euangelium Ioannis contra rebaptizatos editam. Ita ergo, inquit Auguſtinus, *nec foris, ſicut nec intus quiſquam, qui ex parte Diaboli eſt, poteſt vel in quoquam maculare ſacramentum, quod Chriſti eſt. Quam & nos ſententiam fideliter amplectentes reſpondemus, hoc Auguſtinum de ſolo, vnde tunc agebatur, baptiſmi dixiſſe ſacramento.* Et in fine ipſius Epiſtolæ: *Intuendum etiam*, inquit, *quod qui Wigberto vel Heinricho fauent, aut temporalis commodi reſpectu, vel humanæ gloriæ faciunt hoc intuitu: nos autem, qui iuſtam partẽ Gregorii iam a Deo aſſumpti, ſicut iuſtum eſt, defendimus, per hoc nõ homini, ſed ſoli Deo placere contendimus.*

CAPITVLVM. V.

HINC iam apparebit, qui ſint ſchiſmatici, & hæretici, atque excommunicati, quum iſte ſcribendo teſtetur, ſe ſuoſque defendere partem ſui Gregorii. Sed tunica Chriſti per totum texilis, atque cohærens reſeruatur nobis integra & inconciſſa à carnificibus Pilati: vtpote melioribus, quã qui diuidunt vnitatẽ Eccleſię, quandoquidẽ ipſi interfectores Chriſti dicant in Euangelio de integritate illius tunicæ: *Non ſcindamus illã, ſed ſortiamur de ea, cuius ſit.* Vnitatis enim ſacramentum, & concordiæ vinculum illa Chriſti tunica prætendebat, quæ ab accipiente ac poſſidente ſcindi omnino non poterat: ſed totam ſimul, & ſolidam firmitatẽ inſeparabiliter obtinebat. Vnde ſanctus Cyprianus Epiſcopus in libro de Vnitate Eccleſię: *Quis ergo*, inquit, *ſic ſceleratus, quis ſic diſcordiæ furore veſanus, vt aut credat ſcindi poſſe: aut audiat ſcindere vnitatẽ Dei, veſtẽ Domini, Eccleſiã Chriſti?* Sed quidam exeuntes à nobis dicunt & ſcribunt, ſe defendere partem ſui Gregorii, non id quod totũ eſt Chriſti, quod eſt catholica Eccleſia Chriſti. Vnde Iſidorus Epiſcopus in VIII. libro Etymologiarum: *Catholica*, inquit, *hoc eſt, vniuerſalis Eccleſia dicitur: quoniam non ſecundum conuenticula hæreticorum in aliquibus regionũ partibus coarctatur, ſed per totum orbem dilatata diffunditur.* Ideoq; fidẽ nõ habent catholicã, qui ſunt non in toto, quod redemit Chriſtus, & quod regnabit cũ Chriſto, ſed in parte aliqua maioris inde cõſequẽtes damnationis ſententiã: quotquot cõfitẽtur in ſym bolo, ſe credere ſanctã Eccleſiã catholicã, & per aliquas partiũ ſectas diu ſi nõ tenẽt vnitatẽ Eccleſiæ: quæ ſcilicet vnitas, iuxta quod legitur, multitudinis credentiũ eſſe cor vnũ & animã vnã, proprie conuenit catholicæ Eccleſiæ. Sed *per diem*, inquit, *ſol non vret te, neque luna per noctem.* Myſtice dictus ſol in Deo intelligitur, & in Eccleſia præfigurate dicta luna intelligitur. Sed tanquam à ſole vritur, qui in Chriſto ſcandalizatur, credens aliquid minus in filio, quam in patre & Spiritu ſancto: quoniam pater, & filius, &

Spiritus ſanctus vnus eſt Deus, conſubſtantialis & coæternus. Vritur autem tanquam à luna, qui ſcandalizatur in Eccleſia, credens eam eſſe in parte vna, iuxta quod & Dominus per pſeudoprophetas & falſos doctores fieri prædixit, qui dicunt: *Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic:* quum ille totũ orbem emerit, qui tantum ſanguinis ſui pretium dedit. De duobus timẽda ſunt ſcandala: quoniam & duo ſunt præcepta, in quibus tota lex pendet & Prophetæ: dilectio ſcilicet Dei, & dilectio proximi. Pax multa diligentibus legem tuã Domine, & non eſt illis ſcandalum. Sed ſcribit cõtra nos noſter aduerſarius: *Nos*, inquiens, *iuſtam partem Gregorij iam a Deo aſſumpti, ſicut iuſtum eſt, defendimus.* Vnde Auguſtinus ſcribens in tractatu Pſalmi, cap. XII. de talibus: *Eo plus*, inquit, *abundat nequitia, quo ſibi videtur abundare iuſtitia.* Et quia iuſtitia eſt in corde ipſorum, ſed falſa, ideo ait: *Non peruenerunt ad verum, quia repleti ſunt falſa.* XIV. aut eo amplius annos prælia & ſeditiones agitis.

CAPITVLVM VI.

Ecce enim vos vt ita dicam particulares Hildebrandi, per hos & ne adhuc quidem paci vel concordiæ acquieſcitis: ſed ſicut vere ait Iacobus Apoſtolus, *occiditis & zelatis, belligeratis & litigatis.* Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones in cordibus veſtris: *Nolite* inquit, *gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem. Non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens à patre luminum: ſed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia primũ quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuaſibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, iudicans ſine ſimulatione: fructus autem iuſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem. Vnde*, inquit, *bella & lites in vobis? nonne hinc?* ſcilicet ex zelo amaro & contentionibus, quæ ſunt in cordibus veſtris? Propterea quidam ex parte Hildebrandi ſcribens grandem epiſtolam pro defenſione eiuſdem ſui Gregorii, teſtatur in exordio loquutionis ſuæ, nolle auditores ſuos ſalutare: oſtendens per hoc, fraternitatem ſe non diligere, quod eſt vnitatem non amare: qui certe ſcribens vbique contra ſacramenta Chriſti & Eccleſiæ, terminauit ſcripturam ſuam eo ſcilicet condendi ſchiſmatis errore, quo cœpit: & neſciens, aut contemnens, quod fructus iuſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem, ait: *Nos, ſicut iuſtum eſt, defendimus iuſtam partem Gregorij iam à Deo aſſumpti.* Sic quippe ſacra ſcriptura Geneſis de Enoch dicit, quod illum Deus tulerit: quoniam non apparuit. Sed catholica Eccleſia comprobat hoc, & dicit, quod in libro de vnitate Eccleſiæ Cyprianus Epiſcopus ſcribit: *Vnitatem*, inquit, *qui non tenet, non tenet patris & filij fidem, vitam non tenet, & ſalutem.* Proinde quomodo

modo, ille Hildebrand catholicus extitit, qui non Eccleſiæ, ſed parti præfuit, ſicut etiam defenſor ipſius ſcribit: qui etſi Apoſtolicam ſedem ſibi vſurpauerit, nunquam tamen Romana Eccleſia illius ſponſa fuit, quam pro legitima donatione ſpiritalis dotis collatis ante beneficiis ſpoliauit, proſcidit ac dilaniauit: iuxta quod in ſecundo huius libri capitulo dictum eſt, & vere dictum eſt. Atque ideo ipſa, quæ vere erat & eſt Romana Eccleſia, quum ſit mater omnium Eccleſiarum, quæ aliquo prauo dogmate nec aliquando fefellit, nec aliqua hæreſi vnquam falli potuit: talis, inquam, ſancta mater Romana Eccleſia, quum non poſſet non miſereri filiis viſcerum ſuorum, qui per diſſenſionem Regis Henrichi & Hildebrandi Papæ trahebantur, & vtinam adhuc non traherentur ad interitum: elegit ſumma neceſſitate Wigbertum Rauennatis Eccleſiæ Epiſcopum ad paſtoralem curam Romani Pontificatus, conſentiente pariter & agente Rege Henricho, eodemque Patricio Romanæ Eccleſiæ: neceſſitas autem non habet legem. Vnde Innocentius Papa: *Quod neceſſitas*, inquit, *pro remedio reperit, ceſſante neceſſitate, debet vtique ceſſare, quod vrgebat: quia alius eſt ordo legitimus, alia vſurpatio, quam ad preſens fieri tempus impellit.* Igitur factum non eſt hæreticæ prauitatis errore, quod conſenſit Wigbertus viuenti adhuc Hildebrando ſubrogari, ſumma ſcilicet neceſſitate: quoniam conſtat, eum vixiſſe ad interitum Eccleſiæ pariter & reipublicæ: *Nam ſi Wigbertus*, inquit, *fur & hæreticus non fuiſſet, viuenti adhuc Gregorio, nullatenus ſubrogari conſenſiſſet.* Iſte magis fur eſt & hæreticus, qui furtim collectis vndique ſanctorum Patrum teſtimoniis ad confirmandas ſchiſmaticorum pariter & hæreticorum partes introiuit ad ſcribendum, & exiuit aliunde quam per oſtium, quod eſt Chriſtus: docens etiam abſque doctrina Chriſti, & loquens abſque veritate, quæ eſt Chriſtus, qualis certe dicitur Antichriſtus: *Quoniam, qui mecum*, inquit, *non eſt, contra me eſt.* Quod ſi Clemens Papa vere pius atque pacificus videtur his, qui ſunt ex contentione, vel in hoc culpabilis eſſe, quod antea Epiſcopus alterius Eccleſiæ, nunc factus eſt Pontifex Romanæ Eccleſiæ, ſciant hoc licitum eſſe ex Canonum conſtitutione, præcipue autem ex decretis Antheros Papæ, ſi non fuerit ambitus cauſa, ſed aut neceſſitate aut vtilitate: iuxta quod Petrus ſanctus & princeps Apoſtolorum, de Antiochia vtilitatis cauſa translatus eſt Romam, vt ibidem potius proficere poſſet: *Quoniam alia eſt*, inquit, *cauſſa vtilitatis & neceſſitatis, & alia auaritiæ & præſumptionis, atque propriæ voluntatis.*

CAPITVLVM VII.

VTrum autem ſit paſtor, an mercenarius, cognoſci veraciter non poteſt, ſi occaſio neceſſitatis deeſt. Vnde & inter cætera, quæ ſunt eiuſmodi, ſcribit ſanctus Gregorius in Homeliis: *Lupus*, inquiens, *ſuperueniens indicat, quo quiſque animo ſuper gregis cuſtodiam ſtabat*. Ecce enim Henrichus Rex non vt diſpergeret oues Chriſti, ſed vt congregaret eas in vnum, profectus eſt Romam: præcipue ſtudens aut cum Hildebrando redire in gratiam, aut ſi id fieri non poſſet, ſubſtituere alium Papam, qui amaret pacem, & euangelizaret pacem, quum iam per plures annos bellum vndique vaſtauerit Romanum orbem: ſed ille noluit Regem recipere, immò reſpuit eum alloqui vel videre, niſi offerret ſibi regale ſceptrum, & redderet in manus ſuas regiam poteſtatem, & honorem, & regnum: quale ſcilicet myſterium iniquitatis dicitur à Domino ſuper principem Tyri quoniam eleuatum eſt cor eius: & dixit, *Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi*. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo, ideoque vel Petrus princeps Apoſtolorum non vſurpauit ſibi ordinare aliquid de regno: ſed, *Subiecti*, inquit, *eſtote omni creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, ad laudem vero bonorum*. Ergo Rex quum obſtinatum Papæ animum non poſſet inclinare ad ſtudium pacis, alia pactionis conditione, niſi cederet regno, quod Deo ordinante obuenerat ſibi auita pariter & paterna ſucceſſione, tunc demum vſus eſt belli neceſſitate: quum etiam idem Hildebrand introitum Romanæ ciuitatis ſibi obſtruxiſſet & Romanos ad repugnandum animaſſet: qui deinde conuerſi ad ſtudium pacis, vel quod bello vndique vrgerentur, vel quod contra Patricium ſuum repugnare impium fore arbitrarentur, legationem miſerunt, rogantes ea, quæ pacis ſunt, perſiſtente Hildebrando Papa in obſtinatæ mentis intentione, qua Regem Henrichum iudicauerat dignum eſſe odio omnium: vtpote excommunicatum à ſe, ideoq; indignum eum eſſe aliquorum, qui rite colerent Deum, viſu, allocutione. Vnde quum vellet potius oues Chriſti diſpergi vel occidi, quam cum Rege pacificari, cui certe dictum eſt à Domino cum Petro Apoſtolo: *Si diligis me, paſce oues meas*, id eſt: Hac pro fratribus, quod pro te feci, qui omnes ſanguine meo redemi, ergo quum miſereretur Chriſtus ouibus ſuis, quibus noluit Hildebrand miſereri, relictis eis, fugit in Traianum: quæ ſcilicet munitio hactenus inexpugnabilis dicta eſt, vulgo domus Theodorici. Tum quidem Romana Eccleſia elegit Wigbertum ſucceſſorem illi fugitiuo, quum certe Principes *non ſint timori boni operis, ſed mali*, ſicut dicitur à Paulo Apoſtolo. Tum etiam Rex ordinatus eſt

Traiani domus Theoderici in vrbe Ticini ſi- ne Papia.

Impe-

72

Imperator ab eodem Papa Clemente, ex qua amborum ordinatione præcipue inſignis eſt annus, qui tunc erat ab incarnatione Domini MLXXXIV. Sed poſt aliquantum temporis fugiens quoque Hildebrand ex illa, qua ſe occultauerat, munitione, Salernum petiit, ibique vitam finiuit. Igitur vtrum ſit paſtor, an mercenarius, cognoſci veraciter non poteſt, ſi occaſio neceſſitatis deeſt. Vnde ſanctus Leo Papa ſcribens per Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum cæteris paſtoribus Eccleſiæ Chriſti, oſtendens ſcriptis pariter & exemplis, non debere ſacerdotes Dei vllis tribulationibus, vel ſcandalis infirmari, quo diſcedant à cura paſtorali. Nam ipſe dignus plane vicarius Petri Apoſtoli, & verus imitator eſſentialiter boni paſtoris non timuit occurrere vel Genſerico Regi Vandalorum, vel Attalæ Regi Hunnorum, infeſtiſſimis ſcilicet hoſtibus Eccleſiæ, ſimul & reipublicæ, ac proinde ſcribit idem Leo inter cætera paſtoribus Eccleſiæ: *Dicente vero*, inquit, *Domino, Beatus qui perſeuerauerit vſque in finem: vnde erat beata perſeuerantia, niſi de virtute patientiæ? Nam ſecundum Apoſtolicam prædicationem: Omnes qui voluerint in Chriſto pie viuere, perſequutionem patientur, quæ non in eo tantum computanda eſt, quod contra Chriſtianam pietatem aut ferro aut ignibus agitur, aut quibuſcunque ſuppliciis, quum perſequutorum ſæuitiam ſuppleant: ſed & diſſimilitudinem morum & contumacia inobedientium & malignarum telis linguarum, quum huiuſmodi conflictationibus omnia ſemper membra Eccleſiæ pulſentur, & nulla piorum portio à conflictatione ſit libera. Permanendum eſt ergo in opere credito & in labore ſuſcepto: conſtanter tenenda eſt iuſtitia, & benigne præſtanda clementia. Odio habeantur peccata, non homines: corripiantur tumidi, tolerentur infirmi: & quod in peccantibus ſeuerius caſtigari neceſſe eſt, non ſæuientis plectatur animo, ſed medentis; ac ſi vehementior tribulatio incubuerit, non ita expaueſcamus, quaſi illi aduerſitati propriis viribus reſiſtendo, quum & conſilium noſtrum & fortitudo ſit Chriſtus, ac ſine quo nihil poſſumus, per ipſum cuncta poſſimus: qui confirmans prædicatores Euangelij, & ſacramentorum miniſtros: Ecce ego*, inquit, *vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Et iterum: *Hæc*, inquit, *loquutus ſum vobis vt in me pacem habeatis, in hoc autem mundo tribulationem habebitis: ſed confidite, quia ego vici mundum. Quæ pollicitationes, quia ſine dubio manifeſta ſunt, nullis debemus ſcandalis infirmari, ne electione Dei videamur ingrati, cuius tam potentia ſunt adiutoria, quam vera ſunt promiſſa.*

A. 1084.

CAPITVLVM VIII.

HÆc & eiuſmodi dicta pariter,& facta beati Leonis Papæ, ſi quis diligenter attendit,conferens etiam in corde ſuo,quæ Dominus Ieſus in Euangelio fecerit & docuerit , perſpiciet plane Eccleſiam Dei nunc quoque tentari multiplicibus hæreſium erroribus,quoniam oportet hæreſes eſſe , vt & probati manifeſti fiant in vobis, dicit Paulus Apoſtolus. Ergo Hildebrand dictus Papa Romanæ Eccleſiæ diſceſſit,immo fugit ab Eccleſia,ea præcipue cauſa, vt non videret vel alloqueretur regem Henrichum: quod & fecerunt partis eius Epiſcopi, quotquot non potuerunt Epiſcopatus ſuos per vim & per bellum obtinere contra eundem Regem Henrichum, blaſphemantes in eo non ſolum hominem , creaturam Dei, ſed etiam ordinationem Dei:quoniam omiſſa ſinguli,ſiue per contentionem retenta ſua paſtorali cura refugerunt videre in memorato Rege hominem creaturam Dei, & noluerunt ſubiecti eſſe eidem Regi quaſi præcellenti,iuxta mandatum atque doctrinam Petri Apoſtoli,reſiſtentes Dei ordinationi:quoniam reſtiterunt ei,quæ à Deo eſt,poteſtati. Inde diuinis humaniſq; legibus poſthabitis , cœpit apud eiuſmodi Epiſcopos eſſe palatium atq; curia,& à facie eorum egreſſa eſt tam crudelis ſententia,vt dicant malum bonum,& bonum malum : prædicantes beatos eſſe, qui pro parte Hildebrandi faciant prælia , ſeditiones, & homicidia. *Popule meus, qui beatum te dicunt,ipſi te decipiunt,*dicit Dominus.*Beati* enim,*pacifici,quoniam vocabuntur filij Dei*, reddentes nunc interim ea quæ ſunt Cæſaris, Cæſari,donec veniat perfecta beatitudo , quando pacem meam , inquit, do vobis, quam modo hic relinquo vobis. Ecce iuxta Euangelium vel Matthæi vel Lucæ,quorum vnus regiam generationem , alter ſacerdotalem Chriſti progeniem deſcribit pro magni myſterii ratione : iuxta horũ, inquam , Euangelium credimus Adam primum , & Adam nouiſſimũ eſſe eiuſdem naturę:ideoq; poſtquam Dominus & ſaluator noſter terram noſtræ carnis aſſumpſit,ne Angelica quidem celſitudo deinde infirmitatem noſtram deſpexit:quoniam quum vel Loth vel Ioſue adorantes prius Angelos non prohiberentur adorare, Angelus Ioannẽ in Apocalypſi ſe adorare volentem compeſcuit , dicens : *Vide ne feceris,conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum.* Proinde conſiderandum eſt,vtrum peruerſiores ſint iſti, qui deſpiciunt in Rege hominem creaturam Dei,ex talibus ſcilicet factis negantes eam bonam eſſe : an illi,qui dicunt naturam Diaboli malam eſſe,quod affirmãt Priſcillianiſtæ hæretici, de quorum fœtidiſſima hæreſi ſic ſcribit Leo Papa vere dignus ſucceſſor Petri Apoſtoli;*Nihil eſt*,inquit, *ſordium in quorumcunq; ſenſibus impiorum,quod non in hoc dogma confluxerit:*

quoniam

quoniam de omni terrenarum opinionum luto multiplicem faculentiam miſcuerunt, vt ſoli totum biberent, quicquid alij ex parte guſtaſſent, qui dicunt inter catera, quod Diabolus nunquam fuerit bonus, & quod non ſit officium Dei natura eius. Sed Hildebrandt & Epiſcopi eius factis quidem negant creaturã Dei hominem bonam eſſe, quem ſcilicet hominem in tantum deſpiciunt in Rege, vt Epiſcopatus ſuos relinquentes, & curam animarum ſibi creditarum negligentes fugiant eum videre: quum vera fides, quæ eſt catholica, omnium creaturarum, ſiue ſpiritualium, ſiue corporalium, bonam confiteatur ſubſtantiam, & mali nullam eſſe naturam: ex vitio quippe voluntatis prauæ vitiatum eſt bonum, ſiue in Angelo, ſiue in homine. Hinc ſupradictus Leo Papa: *Odio*, inquit, *habeantur peccata, non homines: & quod in peccantibus ſeuerius caſtigari neceſſe eſt, non ſæuientis plectatur animo, ſed medentis. Vbi enim beneuolentia, ibi amicitia.* Sed cum diabolo amicitia non eſt habenda, cui ſemel renunciando bellum indiximus: cui ſi nũquam conſenſiſſemus, nunquam in iſtas miſerias incidiſſemus. Cum omnibus autem hominibus iubemur, quantum in nobis eſt, pacem habere: cuius pietatis ſtudium præcipimur vſque ad inimicos etiam diligendos transfundere. Inter hæc enim, quæ valde bona deſcribuntur, præcipue eſt bona creatura Dei homo: quoniam ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt homo: qui etſi male vſus ſit libero arbitrio, declinans à bono ad malum, nõ perdidit tamen mentis intellectum, vbi ad ſimilitudinem Dei factus eſt homo. Dicitur autem homo totius collectio multitudinis, quæ eſt ſub ſpecie hominis: qui ſcilicet homo diligendus eſt, non errores ipſius, non peccata ipſius. Nam dicẽs in Euangelio Dominus: *Diligite inimicos veſtros, orate pro eis, qui vos perſequuntur, benefacite eis, qui vos oderunt:* hortatur nos ad ſimilitudinem Dei. Ideoque ad unxit: *Sitis*, inquiens, *filij patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Vnde Auguſtinus in tractatu Pſalmi LXX. *Qui ergo*, inquit, *bene vult inimico ſuo, Deo ſimilis eſt. nec iſta ſuperbia ſed obedientia eſt, quoniã ad imaginem Dei facti ſumus. Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.*

CAPITVLVM IX.

HAnc vtique imaginem Hildebrand & Epiſcopi eius in Rege Hericho & oderunt & perſecuti ſunt, & poteſtatem quæ à Deo eſt, qua & ipſe adhuc regnat atq; imperat, & oderunt, & perſecuti ſunt: ideoque aſſumtis ſibi quibuſdã ſciſſuris regni conſtituerunt cõtra ordinationem Dei alium Regem, Rudolfum ſcilicet Ducem Sueuorum, ſub quo præliarẽtur bellũ ſuum: quo quærebant omnibus modis mortificare Regem Henrichum, *Rudolfus Rex in ſchiſmate.*

cupientes corpore & anima perire eum. Igitur anno ab incarnatione Domini MLXXVII. conuenerunt menſe Martio Epiſcopi & Principes, qui erant ex parte Hildebrandi Papæ, & elegerunt Regem contra Regem, circa tertiam ſcilicet hebdomadam Quadrageſimæ: quibus ſcilicet ſacroſanctis diebus iubetur Chriſtiana religio aliorum temporum negligentias diluere: & ſicut rerum, ita quoque offerre Deo decimas dierum. quando etiam præcipit Dominus per prædicatores ſuos inſonare non ſignum belli, ſed tubam prędicationis ad conuocandum in Eccleſia populum propter pœnitentiæ ſtudium. *Canite*, inquit, *tuba in Sion, ſanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes, congregate paruulos, & ſugentes vbera.* Et iterum: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum, dicit Dominus Deus.* Legitur quoq; in libro Romani ordinis, quia ordo ſcrutiniorum quarta feria, tertiæ in quadrageſima hebdomadæ propter nouæ ſcilicet regenerationis candidatum initiatur, & in ſabbato ſanctæ Paſchæ finitur, vt ſecundum formam VII. donorũ Spiritus ſancti, VII. ſcrutinia, & totidem oblationes, quas patrini vel matrinæ pro electis iubentur offerre, compleantur. Sed contra aliud nunc inſtituitur iter, quam ad baptiſmum: quoniam ſcrutinium intelligitur iter ad baptiſmum. Nam circa hanc tertiam quadrageſimæ hebdomadam canitur per ſupradictos Epiſcopos quaſi bellicum quoddam ſignum, vt congregent populum conſtituere ſibi Regem nouum. Qui certe Rodolfus cum media quadrageſima, die ſcilicet Dominica, per Sigifridum Moguntinæ Eccleſiæ archiepiſcopum ordinaretur, ſanguine multorum hominum initiatur: quoniam Moguntiæ plebis multitudo conclamans atque concurrens ad eiuſmodi ſeditionis portentum repellitur, fugatur atque occiditur: & Eccleſia, in qua facta eſt hæc ordinatio, ſanguine etiam violatur. Proinde vos, qui timetis ad iudicium Domini, attendite obſecro iudicium Domini. Poſtquam vero ille Rudolfus Rex quarto ordinationis ſuæ anno in prælio occiſus eſt, proximo dehinc anno vterq; locus, qui erat particeps & electionis & ordinationis eius, ex Dei iudicio per ignem conſumptus eſt. Nam opus illud ſpecioſum Henrichi Regis ſecundi, & Imperatoris primi, ſcilicet Babenberg, in cuius Epiſcopio * ille electus eſt, ignis conſumpſit in ſabbato ſancto paſchæ: caput autem Galliæ atque Germaniæ Moguntiam ſimiliter ignis conſumpſit infra Pentecoſten eodem anno, qui tunc erat MLXXXI. incarnationis Dominicæ. *Vbi nunc eſt Iſrael Rex tuus? dicit Dominus, & vbi ſunt iudices tui? qua dixiſti, Da mihi Regem & Principes. Ipſi quippe regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui, dicit Dominus exercituum.*

Incendia Bambergæ & Moguntia.

* *in oppido ſc. Forchaim.*

CAPI-

74

CAPITVLVM X.

PEracta vero, ſicut dictum eſt, Rudolfi Regis electione pariter & ordinatione per Epiſcopos, de qualibet dicit per Prophetã Dominus: *Manus veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri inquinati.* Peracta (inquam) electione ſimul & ſanguinea illius ordinatione, quibus interfuerant legati quoque Hildebrandi Papę, non multo poſt reuerſus eſt Henrichus Rex de partibus Italiæ, quo perrexerat ad ſatisfactionem, vel ad ſupplicandũ eidem Romano Pontificio pro pace vel Eccleſiæ vel reipublicæ. In cuius aduentu in Germaniam diſperſi ſunt inimici eius, & fugerunt à facie eius: abieruntque quidam de Epiſcopis in Saxoniam cum Rege ſuo Rudolfo, quidam autem ad montana, & ciuitates munitas, dicente Apoſtolo: *Quia principes non ſunt timori boni operis, ſed mali.* Recolite nunc Montanorum ſectam, immodicam fidei & patientiæ obſeruantiã: quia quum tẽpore perſequutionis fugiſſent quidam in mõtana, & latuiſſent in montibus, diuiſi per hoc de corpore Eccleſiæ, dicti ſunt Mõtani hæretici, ſicut in VIII. libro Etymologiarum ſcribit Iſidorus Epiſcopus. Sed Hildebrand & ſuæ partis Epiſcopi, quibus à Rege Henricho ſæpe pax oblata eſt, & minime recepta, diuiſerunt ſe ſponte ſua ab vnitate catholicæ Eccleſiæ: fugienteſq; in munitiones atque montana, reliquerũt Eccleſias ſuas abſque ſpeculatore, & oues abſque paſtore: eligentes potius fugere ad montem magnum, quem promittit Dominus per Prophetam Zachariam, coram Zorobabel Duce Iuda in planum deduci, quam aſcendere ad montem Domini, de quo factum eſt ad Eſaiam verbum Domini: *Et erit*, inquiẽs, *in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*, quales ſuſcipiunt montes pacẽ populi, & colles iuſtitiam. Vbi enim pax, ibi & iuſtitia: quoniam *iuſtitia & pax oſculatæ ſunt ſe*, ſicut dicit Pſalmiſta. Vnde ipſe; qui eſt pax noſtra, Chriſtus dicit poſt ſalutarem doctrinam inſtitutionis Euangelicæ, cui iuſtum eſt obedire: *Hæc loquutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis. Propter quod enim* (ſicut atteſtatur Auguſtinus) *totum agitur, quod Chriſtiani ſumus, ſcilicet vt in Chriſto pacem habeamus, & ſimus in vnitate corporis eius.* Hæc enim pax non habet finem temporis, & ipſa erit omnis piæ noſtræ intentionis actioniſque finis: propter hanc ſacramentis eius imbuimur, propter hanc mirabilibus eius operibus & ſermonibus erudimur, propter hanc Spiritus eius pignus accepimus, propter hanc in eum credimus & ſperamus, & eius amore, quantum donat, accendimur. Hac pace in preſſuris omnibus conſolamur, hac preſſuris omnibus liberamur, propter hanc omnem tribulationẽ fortiter ſuſtinemus, vt in hac feliciter ſine vlla tribulatione regnemus. Patria n. noſtra pax eſt, & hęreditas noſtra pax eſt.

Montani hæretici.

Per hanc, inquit idem Auguſtinus Epiſcopus, *vos ſalutamus, hanc vobis annunciamus*. Sed oderunt Hieruſalem, qui oderunt pacem, qui conſcindūt vnitatem, quibus falſo pacem pronunciantibus populo reſpondetur, quū dixerint, *Pax vobiſcum, & cum ſpiritu tuo*. Falſum enim, inquit, dicunt, & falſum audiunt, quibus dicunt, *Pax vobiſcum*, quos ſeparant à pace orbis terrarum, & quibus dicuntur: *Et cum ſpiritu tuo*. ſi in ſpiritu eorum eſſet pax, nonne vnitatem diligerent, & diſſenſionem derelinquerent? Neque vero pax eſſe poteſt vera, vbi non eſt vera concordia: quia diſiuncta ſunt corda. *Quomodo enim*, inquit, *conſors dicitur, qui ſortem iungit: ita ille concors dicendus eſt, qui corda iungit*.

CAPITVLVM XI.

SEd iam facta diuiſione Imperii ſimul & Sacerdotii ſurrexit Rex aduerſus Regem, gens aduerſus gentem, Epiſcopus contra Epiſcopum, populus contra populum. Exinde vero quantæ cædes factæ ſint hominū, quantæ deſtructiones Eccleſiarum, quanta etiam rerum confuſio exinde facta ſit in omni Eccleſia, indigere videtur tragœdia magis, quam hiſtoria. Magno ſe iudice quiſq; tuetur, dum vterque Rex iuſte arma ſe induiſſe arbitratur: Henrichus ſcilicet, quod natus & nutritus in regno ſucceſſiſſet progenitoribus ſuis in regnum ex Dei ordinatione, ac proinde accepiſſet iuxta doctrinam Apoſtoli vindicem gladium in impios atq; iuſtos vel Eccleſiæ vel reipublicę. Rudolfus autem, quod obediens eſſe debeiet Pontifici ſedis Apoſtolicæ, qui per Epiſcopos partis ſuæ prædicaſſet, eum non teneri obnoxium periurii vel perfidiæ, ſi cōtra eum arma tuliſſet, qui, vtpote excōmunicatus, Rex iam eſſe non poſſet: quum hoc ſit, inquiunt, fidei atq; fidelium in Eccleſia, occidere ſcilicet ac perſequi eos, quicunq; communicantes vel fauentes excommunicato Regi Henricho, noluerint declinare poſt partium ſuarum ſtudia. Noua & inaudita eſt prædicatio eiuſmodi, quum Eccleſia non habeat ſibi conceſſum gladium, niſi ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Iuſtitia quippe Phariſæorum eſt, non occidere, non peierare: *ſed vere dico vobis*, ait in Euangelio Dominus, *quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnū cœlorum. Cum enim dictum ſit his qui ſunt ſub lege, Domino iuramenta tua reddere: ego autem*, inquit, *vobis dico, qui eſtis ſub Euangelica perfectione, non iurare omnino, & non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexterā maxillā, præbe illi & alteram*. Ergo cum grauius ſit gladio cogere ad ſupradictarum partiū conſpirationem, quam verberibus exigere fidem, ecce ſanctus Gregorius ſcribit de eiuſmodi ad Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum: *Noua*, inquiens, *atque inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberibus exigit fidem*.

Paſtores

Paſtores etenim, ait, *facti ſumus, & non perſecutores.* Huius autem perſecutionis rabiem, quæ iam non verberibus agitur, ſed gladiis ſimul atque rapinis & deſtructionibus Eccleſiarũ ſiue ciuitatum, & incendiis villarum multo tempore authoribus Epiſcopis exercetur: huius (inquam) perſecutionis rabiem comprobat ſcriptor illius Epiſtolæ, qua ſuſcepit partem ſui Gregorii defendere: & intendit eam ſanctorũ patrum ſcriptis hinc inde fraudulenter collectis affirmare, vt gladius linguæ acerbius affligat eccleſiam, quam gladius occiſionis hactenus afflixerit eam: quoniam iuxta ſententiã quoque Auguſtini, *grauius illi cor feriunt, qui gladio lingua feriunt: & acerbius*, inquit, *ſanguinem fundunt, qui Chriſtum, quantum in ipſis eſt, in homine occidunt.* Scribit enim poſt multa, & inter multa, quibus calumniatur vel Henrichus imperator, vel Clemens Papa: *Verum qui hactenus*, inquit, *tacebat, huic reſponſurus calumniæ Papa Damaſus procedat: Qui poteſt obuiare & perturbare peruerſos, & non facit, nihil eſt aliud quam fauere eorum impietati: nec enim caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare. Leo Papa; Negligere, cum poſſis deturbare peruerſos, nihil aliud eſt, quã illis fauere: error enim cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas, quæ minime defenſatur, opprimitur. Gregorius in ſuis Moralibus. Plerunque quieti atque inconcuſſi relinquimur, ſi obuiare prauis pro iuſtitia non curamus: ſed cum ad æternæ vitæ deſideriũ animus exarſerit: ſi iam lumen intrinſecus reſpicit, ſi in ſe flammam ignis ſancti feruoris accendit, inquantum locus admittit, inquantum cauſa exigit, debemus pro defenſione iuſtitiæ noſmetipſos obiicere, & peruerſis ad iniuſta erumpentibus, etiam cum ab eis non quærimur, obuiare. Nam cum iuſtitiam, quam nos amamus, in aliis feriunt, nos nihilominus ſua percuſſione confodiunt, etiamſi venerari videantur.*

CAPITVLVM XII.

HÆc ſanctorũ Patrũ documenta, quæ conuertit ille peruerſus ad confirmanda bellorum ſtudia, nos teneamus pro defenſione pacis & veræ iuſtitiæ: quoniam iuſtitia & pax oſculatæ ſunt ſe: neque alia ſentiamus de ſupradictis cæteriſque ſanctis Patribus, niſi quæcunq; ſunt vera, quæcunque iuſta, quæcunq; ſancta, quæcunque amabilia, quæ & didiciſtis & audiuiſtis. Sed videte obſecro, & attẽdite ea qua oportet diligentia, quare intulerit ille ſupraſcripta ſanctorum patrum teſtimonia: ſcilicet, quoniã Clemens Papa ſuper his malis quæ fiunt in Eccleſia, dolet & triſtatur, quę nos patimur: quoniam ſi patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: & ſi gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Ergo cum ſit facta diuiſio in Eccleſia: illis exeuntibus à nobis, non nobis ab illis, inſcribimur tamen, & blaſphemamur ſchiſmatici eſſe, qui

ſumus in toto, non in aliquorum parte: & prædicantur illi, ac beneficantur catholici eſſe: quorum vnus audacior cæteris audet etiam ſcriptis partem ſui Gregorii defendere, & ſic inter cætera reſpondet ad dicta Clementis Papæ. *Aſſeris etiam*, inquit, *prædictus calumniator ex occaſione prædicationis catholicorum: non enim poſſumus aliquid aduerſus veritatem, ſed pro veritate, cum Apoſtolo dicentium, tam in Italico, quam Theutonico regno fieri rapinas, incendia, deſtructiones* Eccleſiarum, *gemitus & ſuſpiria orphanorum & viduarum. Huic quiddam ſimile conclamabant & Iudæi in Redemptoris noſtri occiſione: Commouit populum, docens per vniuerſam Iudæam, & incipiens à Galilæa vſque huc.*

CAPITVLVM XIII.

NOſtis vero qui Euangeliũ legiſtis, quæ Dominus Ieſus fecerit, & docuerit, quomodo ſanitates corporũ, & curationes animarũ operatus ſit: ideoque ſcribæ & Phariſæi de falſa iuſtitia præſumentes, beneficiis eius, & virtutibus inuidebant: & quæ negare nequiuerant, ſiniſtra interpretatione peruertere laborabant: & propter multa eius bona opera vſque ad mortem perſecuti ſunt eum, acclamantes eum commouiſſe populum: quoniam populus in his quæ glorioſe fiebant, admirabatur, & glorificabat Deum. Phariſæi quippe interpretantur diuiſi, quales dicit Apoſtolus habere zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam: *Quoniam ignorantes*, inquit, *Dei iuſtitiam, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem. Ecce enim aduerſarii Redemptoris noſtri calumniabantur, eum eſſe ſeductorem: iuxta quod & noſtri temporis Scribæ & Phariſæi appellant Clementem Papam calumniatorem: quia quærit ſalutem omnium, dolens fieri in Italico pariter & Theutonico regno ex prædicatione aduerſantiũ epiſcoporũ rapinas & incendia, atq; deſtructiones Eccleſiarũ, gemitus & ſuſpiria orphanorum & viduarum. *Et hoc enim*, inquit Apoſtolus Ioannes, *cognoſcimus ſpiritum veritatis & ſpiritum erroris: quia qui audit nos, ſpiritũ habet veritatis: & qui nos non audit, ſpiritũ habet erroris.* Videamus quid moniturus eſt, in quo audire illum debeamus. *Dilectiſſimi*, [illegible] quit, *diligamus inuicem.* Hoc docet præcipue, & hoc ipſum monet aſſidue, quia dilectio ex Deo eſt. Et deo qui nouit Deum, inquit, audit nos: qui autem non eſt ex Deo, non audit nos. Sed vere commouerunt populum, qui recedentes ab vnitate dilectionis, qua iubemur nos inuicem diligere, diuiſerunt vel Eccleſiæ vel Reipublicæ populũ, vt ſit populus contra populũ. Nam iſti iuxta Dominicum pariter & Apoſtolicũ præceptum.

ceptũ ſubiecti ſunt legitimo regi Henricho, vtpote Dei miniſtro, quẽ dicit Apoſtolus non ſine cauſa portare gladiũ, ſcilicet ad vindictã impiorũ: illi autem contra Dei ordinationẽ conſtituerunt ſuper ſe in Regẽ aduerſariũ, qui ſub Rege Henricho erat Dux Sueuorũ quod certe factum eſt in defenſionẽ malefactorũ: quoniam leges ſilere ſolent per tempus bellorũ. Ergo Petrus nondum intelligens quæ Dei ſunt, portat gladium, qui vltor Dominicæ iræ poſitus eſt in eum qui male operatur. *Sed conuerte eum*, inquit, *in locũ ſuum: quoniam ſi rogauero patrẽ meum; exhibebit mihi modo in auxilium plusquam* XII. *millia Angelorũ. Omnis enim*, ait, *qui gladium acceperit, gladio peribit*: vel illo gladio, quem dicit Dominus vibratum eſſe in cœlo, quanto magis in terra: vel gladio ſpiritus, qui in Dei ſcribitur armaturâ, quẽ etiã habet Eccleſia Dei, vnde & debellantur eius inimici: eodemq; gladio ſpiritus præcipiuntur filii Eccleſiæ per ſupraſcriptos patres, Damaſũ ſcilicet, atq; Leonẽ, & Gregorium, totius erroris falſitatẽ abſcindere, & peruerſos perturbare: quod inquiũt, qui negligit facere, conuincitur impietati eorũ fauere. Atteſtante enim eodem parte Gregorio, *Eccleſia ab aduerſariis ſuis perſecutionem patitur duobus modis: ſcilicet aut verbis, aut gladiis. Sed cum verbis*, inquit, *perſecutionem ſuſtinet, exercetur eius ſapientia: cum vero gladiis, exercetur eius patientia.* Ecce impugnamur non ſolum periculis bellorum, vel pugnis verborum, ſed etiam ſcriptis aduerſariorũ: & quod grauiſſimum nobis eſt, introducuntur contra nos teſtimonia ſanctarum ſcripturarũ, vt ea quibus coronauit Dominus Eccleſiam ſuam per ſanctos Patres quaſi ſcuto quodam protectionis, nunc ex parte ſint hoſtium quaſi pro quibuſdam telis: quibus tanto grauius vulneretur Eccleſia, quanto perniciosius ſolent familiares inimici in corde & corde loqui per labia doloſa. Vnde iam imminere videtur illa magna tribulatio, qualem dicit in Euangelio Dominus non fuiſſe ab initio mundi vſq; modo. *Tunc ſi quis*, inquit, *vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere. Surgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Ecce*, inquit, *prædixi vobis: ſed væ homini*, ait, *per quem ſcandalum venit.* Grauiter quidem ſcandalizamur, quod ſanctis quoque patribus, qui apud nos viuere debent in ſuis conſtitutionibus, hæc calumnia imponitur; vt per eorum doctrinã, qua loquitur nobis Chriſtus, qui eſt pax noſtra, confirmentur nunc partium ſiue bellorum ſtudia. Vnde noſter aduerſarius, apud quem non eſt veritas, nec pax, neq; iuſtitia, ſcribit poſt multiplicem teſtimoniorũ congeriem: quibus contendit nihil valere apud nos Chriſti Eccleſiæ Sacramenta, & quod ſuſpenſi ſimus ab Eccleſiaſtica communione ſecũdũ Canonum præcepta: *Sufficiant*, inquit, *hæc pauca caritati veſtræ, qui catholici vultis eſſe, quatenus has ſanctorum patrum ſententias in promptu habeatis,*

quibus & vos defendere, & veritatem impugnantes refellere valeatis. Et poſt hæc, in fine ipſius Epiſtolæ ex propriis verbis condemnans ſe, ſuosque, oſtendit nihil ipſis cum catholica hac vniuerſali Eccleſia commune eſſe: & ideo catholicos non eſſe, cum ſuſcepiſſent partem ſui Gregorii defendere. *Nos,* inquit, *qui iuſtam partem Gregorii iam à Deo aſſumpti defendimus, per hoc non homini, ſed ſoli Deo placere contendimus. Fructus vero iuſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem, ſicut Iacobus Apoſtolus teſtatur: ſed dum hæretici Deum defendere nituntur, offendunt: quanto magis, qui partem alicuius hominis defendunt? Intuendū etiam,* inquit, *quod homines qui Wigberto vel Henricho fauent, aut temporalis commodi reſpectu, vel humana gloria faciunt hoc intuitu.*

CAPITVLVM XIII.

ERubeſcimus ſane, quod facti ſumus obprobrium nimis inimicis noſtris: quod & dici non debet ſine lachrymis: quia ipſi feruentiores ſunt ad defendendam pariter & augendam partem ſui Gregorii, quam noſtri ad probandam & confirmandam vnitatem catholicæ Eccleſiæ Chriſti. Nam iuxta quod dicitur in Euangelio, moris eſſe Scribarum, & Phariſæorum & hypocritarum, quod circumeant mare & aridam, vt non tantū faciant vnum proſelytum, ſed vt totus mundus vadat poſt eos, non poſt Chriſtū: vnde & Phariſæi, qui dicuntur diuiſi, inuidebant Chriſto: ſicut legitur in Euangelio, quod turba quæ præcedebat & quæ ſequebatur euntem Hieroſolymam, ad viſionem ſcilicet pacis, laudes acclamauerit ei, *Oſanna, benedictus qui venit in nomine Domini:* & dicebant, *Videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus poſt eum abiit.* Et ille: *Cum exaltatus,* inquit, *fuero, omnia traham ad me.* Et gratias agens Deo patri, quod mitibus atq; manſuetis reuelauerit Sacramenta aduentus ſui, quæ neſcierunt Scribæ & Phariſæi: *Confiteor,* inquit, *tibi pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita pater, quoniam ſic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita ſunt à patre meo.* Ecce cum exaltatus fuerit Chriſtus, dicitur ad ſe omnia trahere, & ſibi omnia à patre ſuo tradita eſſe. Sed ille qui nō eſt in hac vniuerſitate, hoc eſt in catholica Eccleſia, ſcribit talia: *Nos,* inquit, *qui iuſtā partē Gregorii iam à Deo a[illegible] ſicut iuſtū eſt, defendim⁹: per hoc nō homini, ſed ſoli Deo placere cōtendimus.* [illegible], ſicut dictū eſt ex authoritate ſanctorū Patrū, hæretici dū defend[illegible] Deū nituntur, offendunt: quanto magis qui partē alicuius hominis defe[illegible]dunt. Vnum itaq; ſignū eſt electionis, ſoliditas caritatis: Vnde ne vel [illegible] quidē reproborū ſeducamur, quę non fiunt ex caritate ſed per [illegible]. *In hoc,* inquit Dominus, *cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionē habueritis ad inuicem.* Igitur vbi nō eſt caritas, vnde vnitur Eccleſia, ibi

non eſt iuſtitia: & vbi non eſt iuſtitia, ibi nec virtus aliqua: quoniam omnes virtutum ſpecies continentur vno iuſtitiæ nomine, cum & iuſtitia ſit lex diuina, & vinculum ſocietatis humanæ. *Intuendum etiam*, inquit, *quod omnes qui Wigberto vel Henricho fauent, aut temporalis commodi reſpectu, vel humanæ gloriæ faciunt hoc intuitu.*

CAPITVLVM XIIII.

SIcut ſcribit Gelaſius Papa: *Duo ſunt, quibus principaliter mundus hic regitur: authoritas ſacrata Pontificum, & regalis poteſtas. Chriſtus enim memor fragilitatis humanæ, quod ſuorum ſaluti congrueret, diſpenſatione magnifica temperauit: ſic actionibus propriis, dignitatibuſq; diſtinctis officia poteſtatis vtriuſq; diſcreuit, ſuos volens medicinali humilitate ſaluari, non humana ſuperbia intercipi: vt & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent; & Pontifices pro temporaliũ curſu rerũ imperialibus diſpoſitionibus vterentur, quatenus ſpiritalis actio à temporalibus diſtaret incurſibus, & Deo militans minime ſe negotiis ſecularibus implicaret: & viciſſim non ille rebus diuinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſecularibus implicatus, vt & modeſtia vtriuſq; ordinis curaretur, ne extolleretur vtroque ſuffultus, & competens qualitatibus actionũ ſpecialiter profeſſio aptaretur.* Hanc Dei diſpenſationẽ quiſquis diligenter conſiderat iuxta diuinam vtriuſque poteſtatis ordinationem, perſpiciet ſane in hoc quoq; per Hildebrandum & Epiſcopos eius magnam operatam eſſe iniquitatem: qui cum pro Pontificali dignitate non deberent vel negotiis ſæcularibus ſeſe implicare, vſurpauerunt ſibi ordinationẽ regiæ dignitatis contra Dei ordinationẽ, & contra vſum atq; diſciplinam Eccleſiæ: & quia ipſi noluerunt Henrichum regem regnare, ideirco noluit etiam ſcriptor propoſitæ epiſtolæ Regem eum appellare: ſed miro modo eum inhonorauit, quem Deus Apoſtolũ ſuum Petrum honorificare præcipit: quoniã & honor Regis iudicium diligit. Et quia nos inſtituti doctrina Apoſtoli Iudæ, non præſumimus dominationẽ ſpernere, vel maieſtatem blaſphemare, iudicamur extranei eſſe ab Eccleſiaſtica cõmunione: cum aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum reddamus poteſtati à Deo nobis prælatæ debiti honoris ſuffragium, magnam habentes impoſitam nubem teſtium, per quorum patientiam ſimul & doctrinam curramus ad propoſiti certaminis brauium. Sanctus enim Gregorius in libro de Paſtorali cura, proponit nobis exemplum Saulis atque Dauid: quomodo boni etiam atque eminentes in Eccleſia viri debeant malis quoque Rectoribus ſubditi eſſe, iuxta quod Dauid Saulum pertulit: quem videlicet infeſtiſſimum perſecutorem ſuum cum poſſet occidere, noluit occidere: inſuper & viros ſuos, ne conſurgerent in eum, ſermoni-

quibus & vos defendere, & veritatem impugnantes refellere valeatis. Et poſt hæc, in fine ipſius Epiſtolæ ex propriis verbis condemnans ſe, ſuosque, oſtendit nihil ipſis cum catholica hac vniuerſali Eccleſia commune eſſe: & ideo catholicos non eſſe, cum ſuſcepiſſent partem ſui Gregorii defendere. *Nos*, inquit, *qui iuſtam partem Gregorii iam à Deo aſſumpti defendimus, per hoc non homini, ſed ſoli Deo placere contendimus. Fructus vero iuſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem, ſicut Iacobus Apoſtolus teſtatur: ſed dum hæretici Deum defendere nituntur, offendunt: quanto magis, qui partem alicuius hominis defendunt? Intuendũ etiam*, inquit, *quod homines qui* Wigberto *vel Henricho fauent, aut temporalis commodi reſpectu, vel humana gloria faciunt hoc intuitu.*

CAPITVLVM XIII.

ERubeſcimus ſane, quod facti ſumus obprobrium nimis inimicis noſtris: quod & dici non debet ſine lachrymis: quia ipſi feruentiores ſunt ad defendendam pariter & augendam partem ſui Gregorii, quam noſtri ad probandam & confirmandam vnitatem catholicæ Eccleſiæ Chriſti. Nam iuxta quod dicitur in Euangelio, moris eſſe Scribarum, & Phariſæorum & hypocritarum, quod circumeunt mare & aridam, vt non tantũ faciant vnum proſelytum, ſed vt totus mundus vadat poſt eos, non poſt Chriſtũ: vnde & Phariſæi, qui dicuntur diuiſi, inuidebant Chriſto: ſicut legitur in Euangelio, quod turba quæ præcedebat & quæ ſequebatur euntem Hieroſolymam, ad viſionem ſcilicet pacis, laudes acclamauerit ei, *Oſanna, benedictus qui venit in nomine Domini*: & dicebant, *Videtis quia nihil profecimus, ecce mundus totus poſt eum abiit.* Et ille: *Cum exaltatus*, inquit, *fuero, omnia traham ad me.* Et gratias agens Deo patri, quod mitibus atq; manſuetis reuelauerit Sacramenta aduentus ſui, quæ neſcierunt Scribæ & Phariſæi: *Confiteor*, inquit, *tibi pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita pater, quoniam ſic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita ſunt à patre meo.* Ecce cum exaltatus fuerit Chriſtus, dicitur ad ſe omnia trahere, & ſibi omnia à patre ſuo tradita eſſe. Sed ille qui nõ eſt in hac vniuerſitate, hoc eſt in catholica Eccleſia, ſcribit talia: *Nos*, inquit, *qui iuſtã partẽ Gregorii iam à Deo aſſumpti, ſicut iuſtũ eſt, defendim⁹: per hoc nõ homini, ſed ſoli Deo placere cõtendimus.* Ergo, ſicut dictũ eſt ex authoritate ſanctorũ Patrũ, hæretici dũ defendere Deũ nituntur, offendunt: quanto magis qui partẽ alicuius hominis defendunt. Vnum itaq; ſignũ eſt electionis, ſoliditas caritatis: Vnde ne vel miraculis quidẽ reproborũ ſeducamur, quę non fiunt ex caritate ſed per elationem. *In hoc*, inquit Dominus, *cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionẽ habueritis ad inuicem.* Igitur vbi nõ eſt caritas, vnde vnitur Eccleſia, ibi

non eſt iuſtitia: & vbi non eſt iuſtitia, ibi nec virtus aliqua: quoniam omnes virtutum ſpecies continentur vno iuſtitiæ nomine, cum & iuſtitia ſit lex diuina, & vinculum ſocietatis humanæ. *Intuendum etiam*, inquit, *quod omnes qui Wigberto vel Henricho fauent, aut temporalis commodi reſpectu, vel humanæ gloriæ faciunt hoc intuitu.*

CAPITVLVM XIIII.

Sicut ſcribit Gelaſius Papa: *Duo ſunt, quibus principaliter mundus hic regitur: authoritas ſacrata Pontificum, & regalis poteſtas. Christus enim memor fragilitatis humanæ, quod ſuorum ſaluti congrueret, diſpenſatione magnifica temperauit: ſic actionibus propriis, dignitatibusq; diſtinctis officia poteſtatis vtriuſq; diſcreuit, ſuos volens medicinali humilitate ſaluari, non humana ſuperbia intercipi: vt & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporaliũ curſu rerũ imperialibus diſpoſitionibus vterentur, quatenus ſpiritalis actio à temporalibus diſtaret incurſibus, & Deo militans minime ſe negotiis ſecularibus implicaret: & viciſſim non ille rebus diuinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſecularibus implicatus, vt & modeſtia vtriuſq; ordinis curaretur, ne extolleretur vtroque ſuffultus; & competens qualitatibus actionũ ſpecialiter profeſſio aptaretur.* Hanc Dei diſpenſationẽ quiſquis diligenter conſiderat iuxta diuinam vtriuſque poteſtatis ordinationem, perſpiciet ſane in hoc quoq; per Hildebrandum & Epiſcopos eius magnam operatam eſſe iniquitatem: qui cum pro Pontificali dignitate non deberent vel negotiis ſæcularibus ſeſe implicare, vſurpauerunt ſibi ordinationẽ regiæ dignitatis contra Dei ordinationẽ, & contra vſum atq; diſciplinam Eccleſiæ: & quia ipſi noluerunt Henrichum regem regnare, iccirco noluit etiam ſcriptor propoſitæ epiſtolæ Regem eum appellare: ſed miro modo eum inhonorauit, quem Deus Apoſtolũ ſuum Petrum honorificare præcipit: quoniã & honor Regis iudicium diligit. Et quia nos inſtituti doctrina Apoſtoli Iudæ, non præſumimus dominationẽ ſpernere, vel maieſtatem blaſphemare, iudicamur extranei eſſe ab Eccleſiaſtica cõmunione: cum aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum reddamus poteſtati à Deo nobis prælatæ debiti honoris ſuffragium, magnam habentes impoſitam nubem teſtium, per quorum patientiam ſimul & doctrinam curramus ad propoſiti certaminis brauium. Sanctus enim Gregorius in libro de Paſtorali cura, proponit nobis exemplum Saulis atque Dauid: quomodo boni etiam atque eminentes in Eccleſia viri debeant malis quoque Rectoribus ſubditi eſſe, iuxta quod Dauid Saulum pertulit: quem videlicet infeſtiſſimum perſecutorem ſuum cum poſſet occidere, noluit occidere: inſuper & viros ſuos, ne conſurgerent in eum, ſermoni-

bus confregit: & quod vel oram chlamydis ſuæ abſcidiſſet, pœnituit. Quod vero hic Summus Pontifex & virtutum artifex legitur propoſuiſſe & docuiſſe, credas omnes ſanctos patres pariter & feciſſe & docuiſſe. *Boni, inquit, ſubditi ſiquando pro infirmitate ſe abſtinere vix poſſunt, vt extrema quædam atque exteriora præpoſitorum mala, ſed tamen humiliter loquantur, quaſi oram chlamydis ſilenter incidunt: quia videlicet dum prælatæ dignitati, ſaltem innoxie, & latenter derogant, quaſi regis ſuperpoſiti veſtem fœdant: ſed tamen ad ſemetipſos redeunt, ſeque vehementiſſime reprehendunt. Vnde & bene illic ſcriptum eſt: Quia poſt hæc Dauid percuſſit cor ſuum, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul.* Facta quippe præpoſitorum oris gladio ferienda non ſunt, etiam cum recte reprehendenda iudicantur. Si quando verò contra eos vel in minimis lingua labitur, neceſſe eſt vt per afflictionem pœnitentiæ corprematur, quatenus ad ſemetipſum redeat: & cum præpoſitæ poteſtati detraxerit, eius contra ſe iudicium, à quo ſibi prælata eſt, perhorreſcat. Nam cum in præpoſitos delinquimus, *Eius*, inquit, *ordinationi, qui eos nobis prætulit, obuiamus.* Vnde etiam cum longè lateque excreuiſſent Simoniacæ & Neophytorum hæreſes, idem Gregorius ſuper hac re valde ſollicitus, non minaciter, ſed ſuppliciter inde egit apud Francorum Reges: *Paterno, inquit, vos ſalutantes affectu petimus præcellentiſſimi filii, vt deteſtabile hoc malum Simoniacæ hæreſis ac Neophytorum de regni veſtri finibus ſtudeatis prohiberi, & nulla apud vos excuſatio, nulla contra animam veſtram ſuggeſtio locum inueniat: quia facientis proculdubio culpam habet, qui quod poteſt corrigere, negligit emendare.* Hæc legimus ſanctum Gregorium ſcripſiſſe & docuiſſe, & vt multos lucrificaret, ſe ſeruum omnium, præcipuè autem Regum atque Imperatorum feciſſe: ideoque videtur nobis hoc conſequens non eſſe, vt conſtituerit Reges aliquos de regno ſuo deiiciendos eſſe, ſicut ei adſcribit propoſitæ ſcriptor Epiſtolæ. *Gregorius*, inquit, *huius nominis primus, Decernimus Reges à ſuis dignitatibus cadere, & participatione corporis & ſanguinis Domini carere, qui temerario auſu præſumpſerint contra ſedis Apoſtolicæ iuſſa venire.* Certè qui eiuſmodi eſt, iam iudicatus eſt, iuxta quod & Saul à Domino reprobatus eſt: & tamen poſtquā abiecerat eum Dominus, ne regnaret ſuper Iſraël, legitur multos annos vixiſſe pariter & regnaſſe, vt ſcilicet electorum Dei patientia exerceretur, aut probaretur ſub crudeliſſimo rege, quem etiam ipſe Dauid electus à Deo in regem patientiſſime tulit & pro eo quod eſſet Chriſtus Domini, timuit occidere, cum poſſet eum, vtpote perſecutorem ſuum, occidere: qui in hoc etiam pœnituit, quod vel ſummitatem chlamydis eius abſcindere præſumpſerit. Saul verò LXXXV. ſacerdotes Domini vna die occidit: & tamen eum qui eiuſmodi erat, patientia ſanctorum ſuſtinuit. Sed Henrichus Rex nihil horum faciens, ſed Epiſcopis liberam diſpo-

nendarum

nendarum eccleſiarum poteſtatem permittens, quia noluit in manus Hildebrandi Papæ pro voluntate hoſtium ſuorum tradere regiam poteſtatē, & honorem, & regnum ſuum: ideo ſcribitur meritò pro inobedientia ſua damnatus eſſe, quaſi per hoc voluerit ius ſacerdotale ſibi ſubſternere. *Reſpondēdum eſt etiam his*, inquit, *qui ſpiritalibus ſecularia, diuinis humana præferentes, & ius ſacerdotale laicis ſubſternere volentes, conqueruntur Henrichum à Gregorio ſine exemplo damnatum.* *Sed vt querimoniæ*, inquit, *huic ſilentium imponant, inclinent aures hiſtoriis, quam ſæpè Præſules non ſolum Apoſtolici, ſed & prouinciales, in defenſione iuris Canonici Regali ſiue Imperatorio non pepercerunt nomini.* Ecce cum quanto agit ſtudio pertinaciæ, vt moueat nos à ſoliditate fidei noſtræ, quatenus introducti vel teſtimoniis ſcripturarum, vel hiſtoriis rerum, declinemus ad partem ſui Gregorii Papæ: cum is certè vtriſque abutatur, vertendo falſa interpretatione, non vera ratione. Sed nulli horum credimus mediante Deo, quales Antichriſtos dixit Ioannes Apoſtolus multos nunc eſſe in mundo: quia Paulus Apoſtolus, per quem loquitur Chriſtus, dicit, & id ſecundo repetit: *Licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Ex huius certè anathematis vinculo, nemo liber exiſtit, niſi quem nullus error inuoluit: ac proinde, ſicut ſanctus Leo Papa ſcribit: *Si omnes ſacerdotes & mundus aſſentiatur damnatis, damnatio conſentientes inuoluit, non præuaricationem conſenſus abſoluit.* Sub damnationis quidem ſententia ſunt, quotquot Euangelio non obediunt, quotquot Dei ordinationi reſiſtunt, quotquot in vnitate Eccleſiæ non ſunt: quoniam vna eſt, inquit Dominus, columba mea, perfecta mea: vna eſt fides Chriſtiana, quæ eſt catholica. Catholica autem veraciter eſt illa, quæ ab omnium perfidorum, atque ab eorum ſucceſſoribus conſortibus ſincera, pura, immaculata communione eſt diuiſa. Sed ille qui ſcribit & teſtificatur ſe in parte ſui Gregorii eſſe, & partem ipſius defendere, ille inquam talis cum ſit extra catholicā, hoc eſt vniuerſalem Eccleſiam, ſcribit apud nos, qui nolumus participes eſſe partium ſuarum, nihil valere, nihilq́ue nobis proficere Sacramenta Chriſti & Eccleſiæ, quæ ſunt baptiſma & chriſma, atque corporis & ſanguinis Domini myſteria: & ad augendum nobis terrorem, introducit contra nos teſtimonium ſancti Auguſtini: quod nos qui credimus & contitemur ſanctam Eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, retorquemus è diuerſo in eos qui amplectuntur eſſe in parte ſui Gregorii. Auguſtinus in ſermone de Blaſphemia Spiritus ſancti: *Si quenquam, ait, extra Eccleſiam ſuorum pœniteat peccatorum, & huius tanti peccati, quod alienus eſt ab Eccleſia Dei, cor impœnitens habeat, quid ei prodeſt illa pœnitentia, cum iſto ſolo verbo dicat contra Spiritum ſanctum, quod extraneus eſt ab Eccleſia: quæ accepit hoc donum, vt in ea in Spiritu*

ſancto fiat remiſſio peccatorum? Et iterum: *Cor impœnitens caueatur, nec aliter pœnitentia prodeſſe credatur, niſi vt teneatur Eccleſia, vbi remiſſio peccatorũ datur, & ſocietas ſpiritus in pacis vinculo cuſtoditur.*

CAPITVLVM XV.

HÆc ſcribit ſanctus Auguſtinus de catholica Eccleſia, vbi concordat membrorum vnitas per caritatis & pacis ſtudia. *Vnde in vno*, inquit, *eſtote, vnum eſtote, vnus eſtote: & vae illis qui oderunt vnitatem Eccleſiæ, praeſumentes in hominibus partes facere.* Ergo ſicut idem Auguſtinus ait, *Fauſtinus parti praeerat, non Eccleſiæ*: iuxta quod & Hildebrant parti ſuæ præerat, non Eccleſiæ, qualem ſcilicet partem ſcribit quidã de participibus ſuis defendere cœpiſſe. Sed Gelaſius Papa: *Quæ priuilegia*, inquit, *vniuerſalis Eccleſiæ contraria probantur, nulla ratione ſubſiſtũt pars autem longe diſtat à toto, quod eſt vniuerſale: ideoque inferior poteſt quidem errori cuilibet inuoluere aliquem, non abſoluere.* Igitur ſiue ſit ille Gregorius, ſiue Hildebrand, vel alius quiſquam: qui præeſt parti, non Eccleſiæ, non potuit Henrichũ Regem damnare: qui certe hoc ſtudet, hoc optat, & maxime laborat, vt fiat vnum corpus Eccleſiæ, quatenus perinde etiam poſſit fieri vnum corpus Reipublicæ, fuerit ſane errans, qualem deſcribit Gelaſius Papa non poſſe ſine pœna eſſe. *Si igitur*, inquit, *erranti dicta pœna fore perpetua, ſi non erranti dicta nunquam eſſe ſoluenda, quaſi errans eſſe deſtiterit, pœna quæ erranti eſt præfixa perpetua, non erranti (id eſt, aliter effecto quam cui præfixa eſt) non ſolum non poteſt eſſe perpetua, ſed nec eſſe iam pœna. Non eſt enim ipſe cui præfixa eſt: erranti enim præfixa eſt, non non erranti. Quæ enim*, inquit, *erranti præfixa perpetua eſt, & perpetuo conſtringit errantem, non errantem nõ poteſt iam tenere.* Contra hæc ſanctorum patrum teſtimonia, ſi quid aduerſarius noſter reſpondere habeat, dicat: qui ſe iactat poſſe nobis per introductas rerum hiſtorias ſilentiũ imponere: qui tanto plus nos exercet ſua locutione, quãto plus ille videtur errare: quod etiam vnum eſſe beneficium diuinæ prouidentiæ atteſtatur ſanctus Auguſtinus, vt qui foris ſunt, plurimum proſint fidelibus, non verum quod neſciunt docendo, ſed ad verum quærendum, & ad verum aperiendum catholicos excitando: ne imperitiæ noſtræ tenebris delectati dormire magis velimus, quam lucem veritatis intueri. *Sed vt hic*, inquit, *querimoniæ ſilentium imponant, inclinent aurem hiſtoriis, quam ſæpe Præſules non ſolum Apoſtolici, ſed & Prouinciales in defenſionem iuris Canonici regalis ſiue Imperatoria non pepercerunt nomini.* Et ſubiungit, quod Innocentius Papa Arcadium imperatorem ſub anathematis vinculo à fidelium conſortio ſeparauerit: quod quam verum ſit, ex his quæ in ſuperiori libro ſcripſimus, vel de Arcadio, vel de

Innocen-

Innocentio quiſq; diligens facilè peruidebit. Cum certè Innocentius Papa obſeruantiſſimè cuſtodierit cum omnibus ſanctis patribus Euangelicam hanc regulam Domini, vt redderent ea quæ ſunt Cæſaris Cæſari, cum tirè non poſſent aliter reddere Deo, quæ ſunt Dei: ideoq; iuxta quod ſuprà dictū eſt ex verbis Gelaſii Papæ ordinata eſt à Deo, ſicut ſacrata Pontificum authoritas, ita & regalis poteſtas, vt Chriſtiani Imperatores pro æterna vita indigerent Pontificibus, & Pontifices pro temporalium curſu rerum imperialibus vterentur diſpoſitionib. Poſt hæc ſcribit, quod Conſtantinus Papa Philippum anathematizauerit: quod nec in geſtis Pontificalibus, nec in hiſtoriis inuenitur: vbi tantum legitur, quod Philippus ſupradicto Papæ literas praui dogmatis direxerit. quas ille cum Apoſtolicæ ſedis concilio reſpuit. Philippus quippe præter id quod contra Iuſtinianū Imperatorem regnum adeptus eſt, hæreticus eſſe probatus eſt, qualis iam iudicatus eſt: iuxta quod etiam Gelaſius Papa ſcribit: *Noſtri*, inquiens, *maiores authore cuiuslibet inſania, ac pariter errore damnato ſufficere iudicarūt, vt quiſque aliquando huius erroris communicator exiſteret, principali ſententia damnationis eius eſſet obſtrictus.* Poſt hæc introducit hiſtoriam de Rege Hildericho, de quo ſatis dictum eſt in ſuperiori libro, apud quem nec regia poteſtas nec imperialis authoritas eſſe probatur: ideoque huius exempli controuerſia à nobis reprobatur. Sequitur autem, quod Adriano Papa iubente Carolus Deſiderium Regem cum filio eius Adalgiſo Italię regno priuauerit, & ſolus Italiam cum Francia obtinuerit. Certè Deus Romanorum præparauit regnum, vt ibi & Eccleſia & Imperiū haberet principatum: huic diuinæ ordinationi qui reſiſtit, Deo reſiſtit. Ergo Deſiderius contra Romanam rempublicam ſimul, & contra Romanam Eccleſiā pugnauit, ideoque Rex ipſe Longobardorum per tyrannidem contra Deum ſurrexit. Huius rei gratia Adrianus Papa vocauit Carolum in auxilium & defenſionem Eccleſiæ pariter & Reipublicæ, cum pater quoque ipſius Pipinus Rex iam accepiſſet Patriciatum eiuſdem Romanæ Reipublicæ. Sed Carolus cum magna difficultate vel itineris vel belli Deſiderium ſubegit, & perpetuo exilio damnauit: filiumque eius Adalgiſum, in quem ſpes paternæ tyrannidis inclinara videbatur, de Italia expulit: & Romanis atque Adriano Romanæ Eccleſiæ rectori res ſuas reſtituit, quas hoſtilis incurſio abſtulerat: ſicut liber de geſtis ipſius Caroli in[di]cat. Poſt hæc etiam ſequitur, & dicit, quod Lotharium Nicolaus Papa [a]d obediendum Canonicæ legi coegerit, & inuicta temeritate Adrianus [d]amnauerit. Certè non damnauit Lotharium Regem Adrianus, ſed [p]oſt primam & ſecundam correptionem pro crimine adulterii, quo pu[b]licè regnum maculauerat, perſiſtens adhuc in ſordibus, deliquit ipſe [i]uxta ſententiam Apoſtoli, proprio iudicio condemnatus: quoniam cum

de manu ipſius Pontificis ad comprobationem innocentiæ ſuę corpus & ſanguinē Domini reus accipere non timuiſſet, iudiciū ſibi manducauit & bibit: ideoq; Roma egreſſus, paulo poſt in ciuitate Placentia obiit. Eo etiā modo Heribertus Rex, frater Sigiberti Regis Francorū, Dei iudicio percuſſus eſt, poſtquam à ſancto Germano Parhiſienſis Eccleſię Epiſcopo propter duas ſorores, puellas ſcilicet derelictæ reginæ, quas pro legitimo coniugio acceperat in vxores, excōmunicatus eſt. Hæ ſunt Hiſtoriæ, per quas ęſtimamus induci poſſe, vt credamus Henrichū iure à Gregorio damnatum eſſe, & exhinc indignum eum eſſe regio nomine & regia poteſtate: cum non legeremus quenquam de ſanctis Patribus ſibi aliquid de regni negotiis vſurpare. *Non eſt igitur*, inquit, *nouum, vel Eccleſiaſticæ legi indebitum, Reges Apoſtolico obedire, non obedientes anathemati ſubiacere.* Certe obediens erat Rex Henrichus Apoſtolicæ authoritati, quando promiſerat ad omnia quæ iuſta eſſent, conſenſum præbere Romano Pontifici: quando etiam depoſito cultu regio, & habitu, ſupplicem per omnia, ac pœnitentem proiectis culpis ſeſe Hildebrando obtulit: nec prius omni officio humilitatis impenſo deſtitit, donec in gratiam cum Papa rediit, & ad comprobandum Eccleſiaſticæ reconciliationis teſtimonium ſacram communionem corporis & ſanguinis Domini de manu eius accepit, menſam cum ipſo Papa adiit: ac deinde dimiſſus eſt in pace, qualem ſcilicet pacem Iudas ſimulauit, non qualem Chriſtus reliquit. Nam tunc aderat & legatio Saxonum, hoſtium ſcilicet Regis, & Gregorianæ partis fautorum: & reſcripſit eis quærentibus interrumpere omnibus modis initum reconciliationis pactum. *Ne ſoliciti*, inquit, *ſitis, quoniam culpabiliorem eum reddo vobis.* Regalia ſiquidem ornamenta interdixerat Regi, & ſi poſtea vteretur eis abſque licentia ſui, iam eſſet iuſta occaſio damnandi pariter & deponendi eum, quando tranſgreſſus fuiſſet impoſitæ legis ſuæ mandatum. Tum vero electus fuerat, & ordinatus in Regem Rudolfus, iuxta quod dictum eſt ſupra, & cum hæc facta ſint ex ipſius Hildebrandi ſententia: proinde Regi Henricho aut reſumenda erant ea quæ proprie regum ſunt regalia ornamenta, aut certe amittenda erat regia poteſtas, quam acceperat ex ordinatione diuina: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris*: in quo ſcilicet mandato Domini pendet lex fraternę dilectionis. Nam Gelaſius Papa ſcribit: *Poſtquam*, inquiens, *ad verum ventum eſt eundē Regem atque Pontificem, vltra ſibi nec Imperator Pontificis nomen impoſuit, ne Pontifex regale Regiæ faſtigium vendicauit.* Sic enim ſcribit ad Anaſtaſiu Imperatorem hæreticum & defenſorem hęreticorū: Qui etſi talis fuerit, tamē nec ipſi Gelaſius nec aliorū quiſquam ſanctorū patrum, vel partem chlamydis ſuæ abſcindere præſumpſit: quoniā in his etiam qui eiuſmodi ſunt, ordinationem Dei, & poteſtatem quæ à Deo eſt, quiſq; ſanctus honorificauit.

notificauit: *Quantũ vero,* inquit, *ad ordinẽ publicæ pertinet diſciplinæ, cognoſcentes, glorioſe fili, imperiũ tibi ſuperna diſpoſitione collatũ, legibus tuis ipſi quoq; parent religioſi antiſtites, ne vel in rebus mundanis excluſæ videantur obuiare ſententiæ. Excluſa eſt quippe hæc ſententia, vt aliquis militans Deo ſecularia procuret negotia. Sic enim diſcreuit Chriſtus vtriuſq; poteſtatis officia, Regum ſcilicet atq; Pontificum, quatenus ſpiritalis actio à temporalibus diſtaret incurſibus, & Deo militans minime ſe negotiis implicaret ſecularibus: ac viciſſim non ille rebus diuinis præſidere videretur, qui eſſet implicatus negotiis ſecularibus. Fuerint hæc,* inquit, *ante aduentũ Chriſti, vt quidã figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actionibus conſtituti, pariter Reges exiſterent, pariter ſacerdotes, quod ſanctum Melchiſedech fuiſſe ſacra prodit hiſtoria: quod in ſuis quoq; Diabolus imitatus, vtpote qui ſemper quæ diuino cultui conuenirent, ſibimet tyrannico ſpiritu vendicare contendit, vt pagani Imperatores iidem & Maximi Pontifices dicerentur. Sed cum ad verũ ventum eſt eundem Regem atq; Pontificem, vltra ſibi nec Imperator Pontificis nomen impoſuit, nec Pontifex regulæ regiæ faſtigiũ vendicauit, quamuis membra ipſius (id eſt, veri Regis atque Pontificis) ſecundum participationẽ naturæ magnifice vtrunque in ſacra generoſitate ſummiſſe dicantur, vt ſimul regale genus & ſacerdotale ſubſiſtant.* Hæc quidem ſcribit Gelaſius: ſed Hildebrand & Epiſcopi eius, vendicauerunt ſibi abſque dubio faſtigium regiæ regulæ: immo vſurpauerunt ſibi officia poteſtatis vtriuſque, quoniam apud illos plane eſt regnum, aut vbi ipſi volunt, peruerſiores inde effecti præ nimia ambitus vſurpatione, vt ad neutrum horũ ſiue ad ſacerdotium ſiue ad regnum poſſint idonei exiſtere, cum vnum ex his pro ſui magnitudine diligenter quis non poſſit implere. Veruntamẽ Chriſtianus non eſt, catholicus non eſt, quiſquis Euangelio contradicit, quiſquis doctrinam Apoſtolicam ſpernit. *Reddite,* inquit, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus. Deum timete, Regem, honorificate: & ſubiecti,* inquit, *eſtote omni creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, ad laudem vero bonorum.* Igitur cum vtraque dignitas, regalis ſcilicet atque pontificalis, ſic ordinata ſit à Deo, quatenus ſpiritalis actio à temporalibus diſtet incurſibus, & Deo militans minime ſe negotiis implicet ſæcularibus: & cum non poſſint omnes res tutæ eſſe, niſi quæ ad diuinam confeſſionẽ pertinent, & regia & ſacerdotalis defendit authoritas: attendite obſecro, & videte, quomodo Hildebrant & Epiſcopi eius inter alias innumerabiles, quæ inde emerſerunt, hæreſes quæſierint, reſiſtentes miro modo Dei ordinationi, hęc duo principalia, quibus regitur mundus, extirpare, & ad nihilum ducere: cupientes etiam alios omnes Epiſcopos tales eſſe, ſicut ſunt ipſi, qui vere non ſunt Epiſcopi: & Reges eiuſmodi habere, quibus ipſi regia licentia poſ-

Pont. Max.

Hermann. Rex in ſchiſmate. ſint imperare. Ecce enim Herimannus Rex, ſucceſſor Rudolfi Regis ipſorum, talis certè fuit, & talis extitit, vt de eo verè ſecundum literam interpretari poſſimus, quod in Daniele legimus: *quia ſtabit in loco eius deſpectus, & non tribuetur ei honor regius.*

CAPITVLVM XVI.

NAM vt prætermittamus, quot modis ab Epiſcopis vel à Principibus Saxoniæ contemptui eſt habitus, qui omnes in variis voluntatibus volebant ſemper regnare: iuxta quod per Prophetam dicit Dominus, eiuſmodi Principes ſimul Reges eſſe. *Ipſi enim*, inquit, *regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.* Vt hæc inquam prætereamus: Ecce nos aliquando eundem Herimannum vidimus in caſtris Saxonum, nō Regis ſiue Principis loco militare, quem ne ad colloquia quidem Principum perſpeximus venire: & cum ſuppliciter eum interpellaremus pro imminentis periculi neceſſitate, quo iam iamq; minabatur nobis vaſtitas atq; contritio Eccleſiæ noſtræ, reſpondit ſe non poſſe vel ſibi vel nobis prodeſſe. Primi verò de Principibus erant in eiſdem caſtris Egbertus Marchio, & filii duo Ottonis Bauariæ quondam Ducis: quales dicit Dominus per Eſaiam Prophetam præualere propter peccata populorum: *Dabo*, inquiens, *pueros Principes eorum.* Cæterum curia ſiue palatium erat apud Hartuigum, dictum Magadaburgenſis Eccleſiæ Epiſcopū, ſiue apud Burcardum Halberſtatenſem Epiſcopum, vt dum Epiſcopi transferunt ſtudium atq; diſciplinā Eccleſiæ ad curiam (quæ dicitur à cruore) prædicantes bonum & iuſtum eſſe prælia & ſeditiones fieri pro ſua parte, non vereantur laici & ipſi crudelia agere. Nam iuncto Saxonum & Thuringorum atq; Sueuorum agmine, pugnatū eſt tunc in Orientali Francia contra Imperatorem Henrichum quinta iam vice: de qua ſcilicet pugna in ſequentibus dicere decreuimus, quando de Alberone Wirtziburgenſis Eccleſiæ Epiſcopo, quæ ad ipſum quoque pertinent, enarrabimus: cuius præcipuè cauſa tunc effuſus eſt ſanguis multorum in circuitu illius ciuitatis, qui ſcilicet ſanguis occiſorum clamat quodammodo ad Dominū pro vindicta tanti ſceleris. Superiore etiam tempore tentauerat idem Adalbero expugnare Epiſcopatum ſuū, quem ſub Rege ſuo Rudolfo recipere cupiebat contra Regem Henrichum: ideoque ſecundum iam prælium, atrox nimis & crudele pugnauerunt Saxones contra eundem Regem Henrichum in
1078. Orientali Francia, anno ſcilicet MLXXVIII. ab incarnatione Domini, VII. Menſis Auguſti, vbi Rudolfus Rex fugatus eſt, & Sigefridus Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus in fuga captus, & vix de ſuſpendio liberatus atque dimiſſus eſt. Wezelinus quoque Parthenopolitanæ, hoc eſt

Magadaburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus in fuga occiſus eſt:& Werinheius Merſeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus mortem vix euadens,nudus omnino dimiſſus eſt:& Adalbertus Wormacienſis Eccleſiæ Epiſcopus captus eſt & Regi Henricho oblatus:ſimul & Herimānus Magni Ducis patruus,vnus ſcilicet de Principibus in quibus non eſt ſalus. *Igitur pactum meum,dicit Dominus,fuit cum Leui vitæ & pacis:ſed væ Prophetis, qui Prophetabant de cordibus ſuis,vt interficerent animas quæ moriuntur, & viuificarent animas quæ non viuunt,mentientes populo meo credenti mandatis : propter quod,ait Dominus* , ô ſacerdotes, *& ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis.* Tertium deinde prælium factum eſt in Thuringia, M LXXX. 1080.
Anno ab incarnatione Domini,VI. Idus Februarii,quod ſcilicet prælium alterutris Regibus parum proſperè ceſſit: quoniā vnus victoria,alter Saxonia caruit: ſed eodem anno reuerſus eſt Henrichus expugnaturus Saxonum duritiam, & quartam iam contra eos inſtituit pugnam, quæ facta eſt IV. Idus Octobris,quando & Rudolfus Rex ibi occiſus eſt,quarto anno ſuæ ordinationis. Sic ille prouectæ ætatis vir amiſit vitam cum regno Saxoniç,cuius prçcipuè opera ante aliquot annos victi ſunt Saxones,cum primum cœpiſſent contra Regem Henrichum rebellare: licet maiorē exercitus iacturam acceperint victores quam victi,quod ſcilicet primū Regis Henrichi prælium contra Saxones geſtum eſt in Thuringia Anno M LXXV. ab incarnatione Domini, V. Idus Iunii. Tum quidem erat Rudolfus Dux Sueuorum,cui etiam dederat Hagna Imperatrix cum regno Burgundiæ filiam ſuam in coniugium,vt regi Henricho filio ſuo eſſet tanto fidelior,quanto affinitate ſimul & beneficiis coniunctior. Sed qui prius fuerat defenſor Imperii,atque hoſtis Saxonum, poſtea factus eſt inuaſor Imperii,atq; Rex Saxonum,vt præualerent prælia & ſeditiones eorum.

CAPITVLVM XVII.

PErempto ſiquidem Rudolfo Rege Saxonum parauit Henrichus Rex ſecundam profectionem in Italiam,ſi quo pacto poſſet flectere ad miſericordiā Hildebrandū Papam, vt pacem aliquando diligens, miſeretur vel Eccleſiæ vel Reipublicæ,quæ iam dudum fuerant in magna defectione pro imminente bellorum tempeſtate. Tunc quidem geſta ſunt, quæ ſuperius dicta ſunt vel de rebellione ac fuga Hildebrandi Papæ, vel de conſecratione Wigberdi in Pontificem ſedis Apoſtolicæ, vel ordinatione Henrichi Regis, quando factus eſt Imperator atque Auguſtus iuxta diſpoſitionem Romanæ dignitatis. Ex illo tempore nunc eſt annus octauus:& ne adhuc quidē ceſſant participes Hildebrandi ſtudere modis

omnibus,vt non habeat Romana Eccleſia Clementem Papam,neq; Reſpublica catholicum Imperatorẽ,niſi Herimanno Regi deſpectiſſimo ſuccedat alius Rex deſpectior illo:& niſi ſuccedat etiam catholico Papę Clementi aliquis hæreticus, ſicut fuiſſe monſtratur ille Caſſinenſis Abbas Sergius, qui poſt diſceſſionem Imperatoris ex Italia ſubintroductus eſt, & per ſtudia partium Hildebrandi ordinatus: cuius ſcilicet honoris rapinam non diu impunitus tenuit,quoniam in ipſo ordinationis ſuæ ingreſſu dyſenteriæ morbo ſolutus deficere cœpit, ac paulo pòſt periculoſa morte interiit; ex quo ſcilicet diuino iudicio manifeſtum eſt, qualis etiã ipſe fuerit,qui adhuc proculdubio ſubintroductus eſt,vt incendia Hildebrandi iam defuncti reſuſcitaret,& hæreſes atque ſchiſmata illius ex tanti pontificatus authoritate confirmaret. Sæpè quidem Satanas expetiuit Petrum,vt cribraret ſicut triticum:*ſed ego*,dixit Ieſus,*rogans pro te, vt non deficiat fides tua, Petre.* Petrus quippe miniſterio eſt Eccleſiæ ſuper Petrã, qui Chriſtus eſt,fundatæ: & idcirco portæ inferi non præualebunt aduerſus eam,quoniam ipſe Chriſtus ſuper ſemetipſum ædificauit eam: atque ideo nemo poteſt aliud fundamentum ponere, præterquam quod poſitum eſſe dicit ſapiens ille architectus Paulus Apoſtolus, qui eſt Chriſtus Ieſus,cum Eccleſia huius capitis ſit corpus: ex cuius vnitatis ſocietate quiſquis diſceſſerit,hunc alienum,profanum,& hoſtem eſſe, conſonãs iudicium ſanctorum Patrum diffinit. Ecce quidam Epiſcopi ſeceſſerunt in partem Hildebrandi,habentes eam pluris pretii quam vniuerſitatem catholicæ Eccleſiæ Dei. Ex quo factum eſt ſeminante inimico homine in agro Dominico multorum ſcandalorum zizania, vt in Epiſcopiis eorum fierent non iam baptiſteria,ſed homicidia: non ſacri chriſmatis conſecratio,ſed humani ſanguinis effuſio: non alia quęlibet Chriſti & Eccleſię Sacramenta,quæ ſolent fieri per Epiſcopos Dei,ſed execramenta, quæ ſolẽt fieri per miniſtros Diaboli,qui (ſicut ſanctus Cyprianus Epiſcopus ſcribit) videns idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta,excogitauit nouam fraudem, vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos: hæreſeſque inuenit, & ſchiſmata quibus ſubuerteret fidem,corrumperet veritatem,ſcinderet vnitatem. Vnde & ſupradicti ſacerdotes Hildebrandi,æſtimantes ſuo more Eccleſiam Dei aut immitem eſſe,aut non poſſe ea quæ ligata ſunt abſoluere,diſceſſerunt ab vniuerſali Eccleſia, & reliquerunt proprias quoque Eccleſias abſque paſtorali cura, ne ex occaſione ſuæ in Eccleſia perſeuerantiæ contingeret ſe videre vel alloqui Imperatorem Henricum, quem iam audiſſent perpetuo à ſuo Papa Hildebrando eſſe damnatum, quaſi tam ſacroſancti anathematis vinculum Eccleſia Dei deinceps non poſſet ſoluere,cum quilibet,etiam ſi iuſtè fuerit damnatus,& reſipiſcens poſtea,correxerit errorem

Sergius abbas Caſſin.

82

rem ſuum, conſequenter poſſit abſolui, talem à Deo acceptam poteſtatem Eccleſia habente. Eſt quidem peccatum ad mortem, non dico vt oretur pro eo, ait Ioannes Apoſtolus: & eſt peccatum non ad mortem, dico vt oretur pro eo: eſt peccatum ad mortem in eodem peccato manentibus: eſt peccatum non ad mortem, ab eodem peccato recedentibus. Sed atteſtante Gelaſio Papa nullum eſt peccatum, pro quo aut non oret Eccleſia, remittendum, aut quod data ſibi diuinitùs poteſtate deſiſtentibus ab eodem non poſſit abſoluere, vel pœnitentibus relaxare, cui dicitur, *Quæcunque dimiſeritis ſuper terram, dimiſſa erunt & in cœlis: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cœlis.* Igitur ad remittenda peccata accipit Eccleſia Spiritum ſanctum, quo ipſa congregatur in vnum: atque ideo (ſicut ait Auguſtinus) *ne ſit irremiſſibilis Spiritus blaſphemia, cor impœnitens caueatur: nec aliter prodeſſe pœnitentia credatur, niſi vt teneatur Eccleſia, vbi peccatorum remiſſio datur, & ſocietas Spiritus in pacis vinculo cuſtoditur.* Et ſuprà idē Auguſtinus in ſermone de Blaſphemia Spiritus ſancti: *Quiſquis igitur*, inquit, *reus fuerit impœnitentiæ contra Spiritum, in quo vnitas & ſocietas communionis congregatur Eccleſiæ, nunquam illi remittetur, quia hoc ſibi clauſit, vbi remittetur: & meritò damnabitur cum Spiritu, qui in ſe ipſo diuiſus eſt, diuiſus & ipſe contra Spiritum ſanctum, qui in ſeipſo diuiſus non eſt.*

CAPITVLVM XVIII.

HAc de cauſa & Clemens Papa, cui more Apoſtolico præter illa quæ extrinſecus ſunt inſtantia, quotidiana eſt ſollicitudo omnium Eccleſiarum, decreuit deſertis Eccleſiis paſtores conſtituere, ſi ipſi deſertores Epiſcopi vel admoniti nollent redire ad ſocietatem vnitatis Eccleſiæ, de ſeditioſorum quoque Epiſcoporum cauſa & damnatione præcepit Germaniæ Epiſcopis in generali Synodo agere, qui proprio (vt ait Apoſtolus) iudicio condemnati eſſent, vtpote exercentes prælia & ſeditiones, & dominationem ſpernentes, maieſtatem autem blaſphemantes, qui extuliſſent ſe ſuper altitudinem regiæ poteſtatis, & reſtitiſſent ordinationi diuinæ diſpoſitionis, transferentes regna, & negligentes ſacerdotia: qui etiā peſſimo ſuo exemplo, quo eſſent periuri, docuiſſent obedientes ſibi infideles eſſe, atq; fallaces: qui etiā, vtpote tranſgreſſores diuinarū humanarumq; legū, inſtituiſſent ſuos quoq; ſectatores diuinis humaniſq; legibus eſſe inobedientes: qui etiā, vtpote violatores Eccleſiaſticorū priuilegiorum, permiſiſſent fautores partium ſuarum rapere & diripere bona & res Eccleſiarum: vt eiuſmodi homines eſſent ſibi promptiores ad omne nefas audendum, quibus ex conſuetudine iam quaſi in naturam

verſa eſt dulcedo coniurationum, rapinarum atque homicidiorum: quales ſcil. Epiſcopi nō eſſent paſtores Eccleſiarum, ſed ductores bellorum: non cuſtodes dominicarum ouium, ſed vt graues lupi, perſecutores earū, interfectores animarum pariter & corporum, cum ipſi ad tuendas partes ſuas diu multumque vſi fuiſſent manibus impiorum ad occiſionem multorum hominum.

CAPITVLVM XIX.

SED cum tales certe fuerint Epiſcopi Saxoniæ, & defenſores Hildebrandi, ſui ſcilicet Papæ: præſumebant tamen frequentibus conciliis ſe ſuosque ſectatores iuſtificare: & Henrichum Regem, quem ipſi potiſſimū de regno Saxoniæ expulerant, damnare: eiuſdemque damnationis notam imponere Epiſcopis atque Principibus, & omnibus qui communicarent ei, & qui ſubiecti eſſent ei. Ideoq; tandem aliquando conſtitutū eſt conſentientibus vtrinq; Epiſcopis, vt cauſa longæ concertationis, quę non poſſit confici gladiis, terminaretur libris, lętantibus admodum laicis, quorum ſanguis effuſus eſt tot prœliis, quod ad hoc peruentum ſit, vt per ipſos authores belli contra Regē Henrichū decerni debeat, quod ibi iuſtitia ſit, vnde victoria fuerit: cum tale iudiciū veritatis, quod facillime ex libris agnoſcitur, non poſſit vel falli, vel fallere. Fit conuentus in loco qui dicitur Gerſtungun, XIII. Calend. Februarii, Anno ſcilicet MLXXXV. ab incarnatione Domini. Tum primo Chunradus Traiectenſis Eccleſiæ Epiſcopus: *Ecce*, inquit, *venimus, vt probemus ex teſtimonio ſanctorum Canonum, non damnatum eſſe, vel excommunicatum Regem noſtrum Henrichum: cui, ſi non poterunt prodeſſe apud vos ea quæ legitime ordinata ſunt à Deo circa honorem Regum: ſaltem hoc concedite, vt eo vtatur iure, quo ex regulis Eccleſiaſticis conceſſum eſt vel infima in Eccleſia perſona*: Et dixit ad Wezelinū Moguntinæ Eccleſiæ Epiſcopū, vt ſurgeret & legeret capitulū quoddā ex decretis Romanorū Pontificū. At ille ſurrexit, & legit, *quomodo rebus ſuis aliquis exſpoliatus, aut à ſede propria vi aut terrore pulſus non poteſt accuſari, vocari, iudicari, aut damnari, antequā omnia ſibi oblata ex integro reſtituantur, & cum omni priuilegio ſuo ius propriū reformetur, & ipſe pacifice diu ſuis fruatur honoribus, propriæ ſedi regulariter reſtitutus.* Quod & Nicænū conſtituit Conciliū, vt nemo Pontificū præſumat aliquem ſuis expoliatū rebus excommunicare aut iudicare: Ad hæc, cum obmutuiſſet Gebehardus Saltzburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, qui cauſam aduerſæ partis erat acturus, vtpote apud ſuos maxime vel ipſe ſenectute ſua, vel ſcientia ſcripturarū, ſiue eloquentia reuerendus: tum quidem intulit Werintherus Merſeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, *Vbi in Canonibus ſcriptum eſſet aliqui-*

Conuentus in Gerſtungun.

eiuſmodi

eiuſmodi de mulieribus? & Wezelinus Archiepiſcopus porrigens eis librum: *Ecce,* inquit, *ipſi legite conſequens huius rei teſtimonium, quomodo huic quoq; ſexui oporteat iuſtum iudiciũ fieri: & quomodo ne mulier quidem debeat obiectis reſpondere, donec permittatur ei rem familiarem libere diutius ordinare.* Tũ omnes aduerſæ partis Epiſcopi ita ſunt confuſi, & ita deuicti, vt non haberent quid ad hæc reſpondere poſſent, manente apud Eccleſiam Dei victoria: quoniã obſtructum eſt os loquentium iniqua. Sed hinc reſonabant laudes Deo, illinc autẽ erat murmur multus in turba de ſermone illo. Quidam enim dicebant, *Quia bonus eſt*: alii autem dicebant, *Non, ſed ſeducit turbas.* Vnde facta diſſenſione inter ipſos etiam Principes aduerſæ partis occiſus eſt ibi Thiedericus Comes, habens in coniugio ſororẽ Egberthi Marchionis: quem cum alter Thiedericus, ſuus ſcilicet cognatus, cœpiſſet defendere, occiſus eſt & ipſe. Et certe niſi fuga eripuiſſet Vdonem Hildiniſheimenſis Eccleſiæ Epiſcopum, & fratrem eius Chunradũ Comitem, ipſi pariter occubuiſſent per manus operantiũ iniquitatem: qui ambo multa poſt hæc paſſi ſunt aduerſa per prouinciales patriæ ſuæ, ſcilicet Saxoniæ, quia noluerunt reuerti ad partes factionis ſuæ. Ad extremum vero occiſus eſt Chunradus Comes in publico prælio, dum ageret ibi ſtrenuiſſimi militis officium pro Imperatore Henricho. At frater eius Vdo Epiſcopus captus, & vinculatus ab Egberto Marchione, ſuſtinuit multos & diuturnos cruciatus ſub tyrannica illius crudelitate, donec promiſiſſet Hildinisheim ciuitatem Epiſcopatus ſui, quam per multos dies idem Marchio oppugnauerat, ſe traditurum eſſe: quod tamen non fecit, licet ille tyrannus vni de datis obſidibus caput amputari præceperit. *Hildisheim.*

CAPITVLVM XX.

CElebrato (ſicut dictum eſt) conuentu Epiſcoporũ atque Principum, citius abierunt catholici à concilio malignantiũ, ne forte inciderent in manus inimicorum ſuorum: quibus enim parcerent, qui de ſuorum cæde quidem ſociorum ſeſe non abſtinuiſſent? ſed his ita geſtis, deinde indicta eſt Synodus apud Moguntiã ſecunda hebdomada poſt Paſcha ſecundum conſtitutionẽ ſedis Apoſtolicæ, vbi conuenerunt cum Imperatore legati ipſius ſacroſanctę ſedis Apoſtolicæ, Petrus ſcilicet Epiſcopus Portuenſis Eccleſiæ, & duo Cardinales Romanæ Eccleſiæ. Aderat etiam omnium Epiſcoporum conſenſus ſiue de Italia, ſiue de Gallia, in quorum alternis cordibus viuit ſpiritalis amor & gratia: de qualibus ſcribit ſanctus Cyprianus Epiſcopus: *Vnitatem,* inquiens, *tenere firmiter, & vindicare debemus maxime nos Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, vt Epiſcopatum quoq; vnũ atq; indiuiſum probemus.* Præſidebant quoq; huic Synodo

Conuentus Moguntinus. Wezelinus Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus,& Eingilberdus Treuirenſis Archiepiſcopus atq; Sigeuinus Colonienſis Archiepiſcopus. Liemarus autẽ Premenſis Archiepiſcopus,quia nõ poterat adeſſe,miſerat illuc legatos ſuos ſua vice,promittẽs,ſe ad omnia conſenſurũ quæ pertineant ad fidem catholicã,& ad pacẽ atq; vnitatẽ Eccleſiæ. Reliqui vero Epiſcopi qui illic cũ fuerunt,hi ſunt,quorũ nomina ſubſcripta ſunt: Thiedericus Virdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Henrichus Epiſcopus Leodiæ, Chunradus Epiſcopus Traiectenſis Eccleſiæ, Vdalricus Einſtatenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Meginuuardus Friſingenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Otto Epiſcopus Ratiſponæ, Ruobbertus Epiſcopus Babenburgenſis Eccleſiæ, Huozmannus Spirenſis Eccleſię Epiſcopus, Otto Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopus, Burcardus Epiſcopus de Loſanna, Sigefridus Epiſcopus ex Auguſta, Gebehardus Epiſcopus Behemẽſis de Praga, Vdo Hildinisheimenſis Eccleſię Epiſcopus, Henrichus Poderbrunnẽſis Epiſcopus, Erph Epiſcopus Monaſterii Fulcmar Mindẽſis Eccleſię Epiſcopus: Bibo Tullenſis Eccleſiæ Epiſcopus, quia per ſeipsũ adeſſe nõ potuit, per legatos ſuos, qui vice ſua intererant huic Synodo, conſenſit, & ſubſcripſit: Burcardus quoq; Baſilienſis Eccleſiæ Epiſcopus, & Otto Stratzburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, per legatos ſuos conſenſerũt & ſubſcripſerũt, qui propter hoſtes Eccleſiis ſuis crudeliter nimis imminẽtes domũ dimiſſi ſunt. Et multi ſimul Presbyteri atq; Diacones interfuerant huic Synodo, congregatæ in ciuitate Moguntia: vbi & omniũ (ſicut dictum eſt) Epiſcoporũ aderat conſenſus, ſiue de Italia, ſiue Gallia, immo de omni catholica Eccleſia, in quorũ alternis cordibus viuit ſpiritalis amor & gratia: vt ſicut vnitatem tenere firmiter & vindicare debent, maxime Epiſcopi qui in Eccleſia præſident, ita Epiſcopatum quoq; vnum atque indiuiſum probent. Multę ſiquidẽ Eccleſiæ faciunt vnam catholicã Eccleſiam: & licet plures facti ſint ſacerdotes, vnus tamen eſt Epiſcopatus propter vnam eandemq; Eccleſiã catholicam. Quam ſcilicet vnitatem qui non tenet, alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt: ſicut ex communi ſanctorum patrum iudicio diffinitum eſt. Sed aliqui Epiſcoporum exierunt ab illorum communione, quorum conuentus eſt, ſiue conſenſus ibi fuerat pro recuperanda pace vel Eccleſiæ vel reipublicæ, qui etiam ex multo tempore noluerunt vſque adhuc communicare ſedi Apoſtolicæ: ſine cuius authoritate nec ipſi quidem poſſunt alicuius Epiſcopalis officii miniſterium habere: ideoque ipſorum hæreſes & ſchiſmata ab omnibus catholicis reprobata ſunt, atque damnata, cum ipſis authoribus pariter & conſortibus externę communionis atque perfidiæ. Hi autem ſunt, qui aut fugiendo Epiſcopatus ſuos dimiſerunt, aut eos per bella maxima ſibi vindicando vſurpauerunt, ne communicarent eis qui communicãt catholico Imperatori vel ſedi.

ſedi Apoſtolicæ: Gebehardus Saltzburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Hartuigus Magadaburgẽſis Eccleſię Archiepiſcopus, Adalbero Vuirtziburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Altman Pataujenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Adalbertus Wormacienſis Eccleſiæ Epiſcopus, Burcardus Halberſtatenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Werinherus Merſeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Guntherus Citicenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Benno Miſinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Hartuingus Wirdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Herimãnus Metenſis eccleſiæ Epiſcopus, Reginhardus alter Mindenſis Eccleſiæ Epiſcopus, per ſtudia partium ſubintroductus: Wigolt alter Auguſtæ Epiſcopus, per ſtudia partium ſubintroductus: Gebehardus alter Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopus, per ſtudia partium ſubintroductus: Hẽrichus alter Poderbrunnenſis Epiſcopus, per ſtudia partium ſubintroductus, ſed ne adhuc quidem initiatus.

CAPITVLVM XXI.

ISti xv. præferentes nomen ſacerdotii ſæpe antea admoniti, nunc autem regulariter vocati, quia noluerunt ad pacem Chriſti & Eccleſiæ reuerti, ex authoritate ſedis Apoſtolicæ ſunt deiecti atq; damnati: quod (ſicut ſcribit Gelaſius Papa) nõ ſolũ Præſuli Apoſtolico facere licet: ſed cuicunq; Pontifici licet, quẽlibet locũ hæreſeos ſecundũ regulam ante damnatæ à catholica cõmunione diſcernere. Magna quidem hæreſis eſt, Dei reſiſtere ordinationi, cuius ſolius eſt poteſtas dãdi imperii: qui dat felicitatẽ in regno cœlorũ ſolis piis, regnum vero terrenum, & piis & impiis, ſicut ei placet, cui nihil iniuſte placet. *Qui enim* inquit Augſtinus *regnũ dedit Mario, ipſe & Caio Cæſari: qui Auguſto, ipſe & Neroni: qui Veſpaſianis vel patri vel filio, ſuauiſſimis Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo: & ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Conſtantino Chriſtiano, ipſe apoſtatæ Iuliano.* Magna, inquam, hæreſis eſt Dei ordinationi reſiſtere: quod conſtat ſupra ſcriptos xv. pſeudoepiſcopos feciſſe, dum deſtruere nitebantur regnum Henrichi Regis à Deo ſibi collatum, reſiſtendo ei atque repugnando vſque ad effuſionem ſanguinis multorum hominum. Ex hac crudeliſſima hæreſi multæ hæreſes & ſchiſmata emerſerunt, vt nec diuinæ nec humanæ leges quicquam nunc valeant apud illos, vel contra illos, qui inique agunt: qui dum nuſquam non erraſſe monſtrantur, ſacroſancti eſſe apud ſuos deſcribuntur, apud quos nihil ſancti vel ſacri inuiolatum tenetur. Præualuit etiam apud eos, qui eiuſmodi ſunt, periurium atque perfidia, vt hæreticorũ ſimul, catholicorumq; cõfeſſione permiſta, cuncta veræ & ſinceræ religionis ſint turbata, catholicaq; & Apoſtolica puritas

confuſa. Periuri quippe patricidis & matricidis, cæterisq́; qui non poſſidebunt regnum Dei, ab Apoſtolo comparantur: quá ſcilicet ſententiam nullus hominũ poſſe ſoluere probatur. Ideoq́; maiori damnationis ſententia Epiſcopi inuoluuntur, qui periuri eſſe declarentur, qui præcipue ex mandato Domini per Euangeliũ ſimul & ex conſtituto Canonum iurare prohibentur. Iurauerãt quippe Henricho Regi omnes ſupraſcripti Epiſcopi, abſq; his, qui ex occaſione belli Saxonici furtiue ſunt introducti: quorũ perfidiã & hæreſes atq; ſchiſmata, ſi quis diligẽter attẽdit, & diſcutit per ſingula, perſpiciet ſane nunquã ab initio naſcentis Eccleſiæ tot & tanta, ſicut nunc ſunt, fuiſſe ſcandalorum genera: quorum cum ſupra dixerimus aliqua, plura adhuc dicemus, quę per ſingulos illos pſeudoepiſcopos in Eccleſia ſint geſta, cũ ea, quę geſſerint in Republica, ſint omnibus manifeſta. Sicut enim per vnũ ſcribentẽ eorum omniũ vulgata transgreſſio eſt, qui in eandem ſchiſmatis atq; perfidiæ reciderant actionẽ, amplectendo magis atq; defendendo ſui Gregorii partem, quam catholicæ Eccleſiæ vniuerſitatem: ſic in vno eodemq́;, qui pro omnibus ſcripſerat, vel ſcribendo omnium voluntates prodiderat, cuncta quæ ad noticiam rerum ſatis abunde iudicamus ſufficere, ſtudemus fideliter exponere.

CAPITVLVM XXII.

PRimo quidem dicendum eſt, quod ſine lachrymis dici non oportet: quia mater noſtra, ſancta ſcilicet Romana Eccleſia, in tantã deſpectionem apud aduerſæ partis Epiſcopos venit, vt ſicut in Romana repub. non poteſt Rex aut Imperator eſſe, niſi quem iidem ipſi velint, qui (ſicut Gelaſius quoq; conqueritur) ſedi Apoſtolicæ poteſtatẽ primatus ſui conantur eripere, & ſibimet eam cõtra canones contendunt vſurpare. Vnde etiam quidã infamis perſonæ, qui ſcribit ſe ſuosq́; partem ſui Gregorii defendere, præſumit cõtra ſancta ſanctorum loqui, & magnificari aduerſum nomen catholicæ Eccleſiæ Dei, prædicans eam eſſe in parte ſui Gregorii, apud ſupradictos quoque pſeudoepiſcopos eſſe ſancta ſacerdotia Dei, ipſosq́; eſſe ſpirituales, atq; in cœleſtibus conuerſari, & eſſe filios Dei: cæteros autẽ excõmunicatos & hæreticos & ſchiſmaticos eſſe, quicunq; ſubiecti ſunt, vel communicant ei, qui non eſt in parte alicuius, ſed in toto, ſcilicet Imperatori Hẽricho, ſiue Wigberto, eidemq́; Pontifici Romano: apud eos denique nihil niſi ad condemnationẽ valere Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta, quæ ſunt baptiſmatis & chriſma, & corporis ac ſanguinis Domini myſteria. Ergo quibus ex cauſis, & qua neceſſitate Wigbertus Papa ſit electus, ſupra iã diximus: qui certe per eius, quę vere eſt Romana Eccleſia, conſensũ, & per ſuffragiũ Henrichi Regis, eiuſdemque

que Romani patricii eſt ordinatus. Sed Sylucrius Papa (ſicut legitur in geſtis Pontificalibus) olim per vim leuatus, & vt ſacerdotes ordinationi eius iuxta antiquũ morem vel decretum ſubſcriberent, compulit tyrãnus quidã Theodorus. Quod cũ obtinere non poſſet, licet causã hanc gladiis ageret: tamen poſt ordinationẽ ipſius Sylucrii ſubſcripſerũt ei omnes cõmuni conſenſu, propter adunationẽ videlicet religionis & pacis, ne forte ſuſtineret Eccleſia aliquod ſcandalũ ſchiſmatis. Nunc autem Romana Eccleſia & Patricius Romanorum conſenſerunt in Wigberti electionẽ: & tamen nec poſt ſeptimum annum, quo defunctus eſt Hildebrand Papa, licet Romanam Eccleſiam talem Pontificem habere, qualis catholicum corpus Eccleſiæ non diuidit: ſed integrare illud & vnire intendit, cũ in Chalcedonenſi Concilio ſtatutum ſit, vt intra tres menſes debeant Epiſcoporum ordinationes fieri, niſi fortè neceſſitas excuſabilis coegerit dilationis tempus protrahi. Ecce ad quid peruenit mater omnium Eccleſiarum, vt ſubiacere videatur iudicio peruerſorũ, quæ *ius habet de omni Eccleſia iudicandi, neq; cuiquam de eius licet iudicare iudicio*, ſicut conſtituũt decreta Canonum. Ecce Wigbertus, qui & Clemens Papa, cuius doctrina certè eſt Apoſtolica, & cuius ſcripta verè ſunt catholica, ſicut didicim' ex illa, quam tractare ſuſcepimus Epiſtola, quæ ſcriptor illius peruertere molitur interpretatione falſiſſima, ſicut probabimus in ſequenti libro: ille, inquam, Clemens Papa, inſcribitur falſo fur atque hæreticus, ab homine iniquo & doloſo. Veruntamen ſupradictus Papa Sylucrius iam beatiſſimus (ſicut legitur) factus, poſtquam reuocare noluit Antimum patriarcham hominem hæreticum, à beato Agapeto deceſſore ſuo depoſitũ pro nequitia illius, propter hoc per viſionem Auguſtæ eſt depoſitus: cui Vigilius Archidiaconus eius ſucceſſit, qui præcipuè depoſitionis ipſius cauſa extitit: qui etiam eundem Papam ſuum deportari in exiliũ fecit, vbi eum fame tribulationis, & aqua anguſtiæ (ſicut legitur) vſque ad mortem ſuſtentauit. Hæc quamvis Vigilius fecerit, nemo tamen in hanc præſumptionis audaciam prorupit, vt ipſum Romanæ Eccleſiæ Pontificem vel hæreticum vel furem deſcripſerit. De quo certè Vigilio poſtea perpeſſo multa pericula pro Eccleſia, quam ipſe magna regebat induſtria, de illo, inquam, ſcribit Arator ſubdiaconus, in Opere ſuo, quod de actibus Apoſtolorum compoſuit heroico metro:

Publica libertas Vigili ſanctiſſime Papa,
Aduenis incluſo ſoluere vincla gregi.
De gladiis rapiuntur oues paſtore miniſtro,
Inque humeris ferimur te reuocante pius.
Hoc tibi magne pater cum defero munus amoris;
Reſpice quod meruit dulua ſoluo tuis.

Sylueriꝰ Pp.

Wigbertus poſtea Clemens Pp.

CAPITVLVM XXIII.

IGITVR Clemens Papa cupiens gregem Domini,& oues Chriſti,ex rapina ac deuoratione beſtiarum agri eripere, & quod perierat quærere, quod infirmum,conſolidare, & quod ægrotum erat,ſanare: quod fractũ, alligare:& quod abiectum erat,reducere: conſtituit Apoſtolica authoritate ſupradictam Synodum fieri in regno Theutonico,apud metropolim ciuitatem Moguntiæ,vt ageretur ibi de fide Catholica & pace Eccleſiarũ atque concordia. Ideoque aderat ibi omnium conſenſus Epiſcoporum de omni Catholica Eccleſia, in quorum alternis cordibus viuit ſpiritalis amor & gratia: vt ſicut vnitatem tenere firmiter, & vindicare debent, maximè Epiſcopi,qui in Eccleſia præſident,ita Epiſcopatum quoque vnum atque indiuiſum probent. Aderat etiam Imperator Henrichus, præcipuè author huius Synodi; quia nihil tutum neque firmum poterit eſſe in his, quæ ſunt eiuſmodi,niſi defendat & probet ea regalis authoritas pro maieſtate Imperii. Sed aduerſæ partis Epiſcopi cupientes hanc indictam Synodum præoccupare, aut præuertere conuenerũt infrà hebdomadam Paſchæ in caſtello quodam Saxoniæ Quidilingeburg nomine,vbi locus eſt congregationis fœminarum Deo ſeruientium ſub canonica inſtitutione. Et vt conſpiratio eorum plus valeret, & deciperet columbæ ſimplicitatem, quàm ſerpentis aſtutia non temeraſſet:adduxerant quendam ſub ſpecie legati ſedis Apoſtolicæ, qui dictus eſt Otto Epiſcopus Oſtienſis Eccleſiæ,quum iam Clemens Papa præſideret Romanæ Eccleſiæ. Intererat etiam huic conuentui Rex Saxonum Herimannus, cui ne apud ſuos quidem tribuebatur honor regius, à quo tunc & illius Synodi cœpit tractatus. Nam memoratus Otto Epiſcopus, *Audiens ego*, inquit, *quod Rex veſter legitimum non habeat coniugium, ſed ex conſanguinitate ſociatum, iudico inter eum & vxorem eius fieri diuortium.* Huius iudicii ſententiam quum non approbaſſent aſſidentes Epiſcopi, dicentes agendæ huius rei tempus tunc non eſſe: ſecundo intulit,ſe iudicare bonum & iuſtum eſſe,vt res Eccleſiarum,quas Saxones atque Thuringi vſurpaſſent, in proprios vſus reſtituerentur,ſpoliatis Eccleſiis atque Monaſteriis,quibus fuiſſent oblatæ, ac Deo conſecratæ. Hæc quoque ſententia quum non placuiſſet Epiſcopis,vtpote timentibus offendere præſentiam noxiorum,qui pariter conuenerant ad roborandas partes coniurationis ſuæ: tunc rogabant ipſi,rogabant & alii Principes Saxoniæ,vt his atque huiuſmodi omiſſis, conſentiret cum eis ad ea,quæ cœpiſſent agere: ſe quidem conueniſſe,vt tractarent, quomodo defendere poſſent partes ac ſtudia ſui Gregorii Papæ,eiuſque anathema circa Regem Henrichum renouare,ac populo indicare, quod excommunicatus ſit omnis, & ſaluus eſſe

Quedlinburg.

non poſſit, quiſquis Henricho Regi in aliquo communicauerit. Tum ille Otto flexus eſt ad voluntatem eorum, & conſenſit: quia vento agitata arundo extitit. Damnauerunt iterum omnes, qui aderant, Epiſcopi Henrichum Regem, & iuſtificauerũt multis modis ſui Gregorii partem, agentes ipſi omnia contra regulas & inſtituta Eccleſiæ, qui non conueniſſent ad Synodum in loco celebri, in ciuitate ſcilicet Epiſcopali, qui conueniſſent in feſtis diebus Paſchæ, in diebus ſcilicet gaudii & lætitiæ: vt miſerias miſerorum augerent, vt ſeditiones ac prælia renouarent, vt etiam fidem deſtruerent. Vnde audiant ipſi iuſtificatores ſui Gregorii, & damnatores Imperatoris Henrichi, quum ipſi magis ſint damnati, vtpote deſtructores fidei; audiant (inquam) de huiuſmodi ſententiam ſancti Papæ Gelaſii: *Non tam propter religionis*, inquit, *cauſam ſtudent diſpoſitionibus publicis obuiare, ſed potius per occaſionem regiæ alligationis catholicam fidem moliuntur euertere, & tali commercio ſperata præſtare: quum ego & deceſſor meus non ſolum minime in hac parte damnationis nomen Imperatoris attigerimus, ſed inſuper poſtquam adeptus eſt regiam poteſtatem, honorificis eum literis ſalutare curauimus. Sacerdotes autem, qui præuaricatoribus ſe communicaſſe propria voce confeſſi ſunt, à communione Apoſtolica ſubmouerunt deceſſores mei: quibus ſcilicet damnatis, ſi ipſi placet miſceri, non poteſt nobis*, inquit, *imputari. à quibus ſi velit Imperator abſcedere, tanto magis à nobis non poteſt eſſe damnatus, ſed potius ad gratiam ſyncerę communionis admiſſus.* Et idem Gelaſius, oſtendens non licere cum perfidis, vel cum ſociis perfidorum habere conuentum, iuxta quod dicitur in Pſalmo: *Non ſedi in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo: Nec Eccleſiaſtici*, inquit, *moris eſt, cum his, qui pollutam habent communionem permixtamq́; cum perfidis, miſcere concilium: quoniam qui voluntarie ſectantur contagia perfidorum, ſeparati ſunt certè ab Apoſtolica ſede: ideoque*, ait, *cum talibus, & apud tales, etiam ſi eſſet neceſſe fieri, nullo poſſet Synodus prouenire.* Ergo Pius atque Vrbanus, Lucius etiam atque Symmachus, & Gregorius, Romani Pontifices, conſtituerunt ſub anathematis interpoſitione, vt prædia diuinis vſibus tradita, & cœleſtibus ſecretis dicata, nemo præſumat humanis vſibus applicare: quia ſiue alienator, ſiue venditor alicuius Eccleſiaſtici prędii magni vel exigui, cum accipiente pariter illud capiunt ille ſacrilegi. Et quum illi ſint certe iuxta diuinam ſententiam in ſuppliciũ æternum, qui ex propriis facultatibus non ſubleuant neceſſitates pauperum: quid dignum æſtimari poterit iudicio ac damnatione eorum, qui diripiũt aliena, præcipuè autem quę ſunt Dei Eccleſiarum? Ecce in ſupradicto conuentu aderant, qui multarum Eccleſiarum poſſeſſiones & prædia inuaſerant pariter, & poſſidebant: & hoc ita fieri ſacerdotes Saxoniæ conſenſerant. Qui enim his, quæ ſunt huiuſmodi, non reſtitit, ſuggeſtione qua potuit, conſenſit: quum ex authoritate diuina dicat Apoſtolus, *Non ſolum, qui*

faciunt praua, reos eſſe, ſed & qui conſentiunt facientibus. Primum quidem locum tenuit in illa malignantium Eccleſia ſupradictus Otto Hoſtienſis Epiſcopus, qui nunc à Saxonibus eorumque conſortibus dicitur Papa Vrbanus: ſuper qualium certè ambitu & promotione ſupplicat Imperatori Gelaſius Papa, immo per Gelaſium catholica Eccleſia: *Deſinant,* quæſo te, *temporibus tuis quidam per occaſionem perturbationis Eccleſiaſticæ præcipitanter ambire quæ non licent, ne & illa, quæ male appetunt, nullatenus apprehendant, & modum ſuum apud Deum hominesque non teneant.* Atque iterum ſuper eiuſmodi alloquens etiam Senatum Romanum: *Ad Senatum,* inquit, *pertinet Romanum, vt memor fidei, quam à parentibus ſuſcepiſſe ſe meminit, contagia vitet communionis externæ, ne à communione ſedis Apoſtolicæ, quod abſit, reddatur externus.* Quum enim in ordinatione ſucceſſoris ſui Clementis dicat Petrus Apoſtolus: *Hæc mea prædicationis & doctrinæ cathedra, eum qui cupit eam, & audacter expetit, non requirit: ſed ornatum moribus, & in verbis eruditum.* Ille autem ſæpè dictus Otto præcipitanter ambiuit, & inuaſit ſedem Apoſtolicam, vſus manu & auxilio peſſimorum, apud quos nec diuinatum nec humanatum valet aliquid conſtitutio legū. Symmachus Papa generali præſidens Synodo dixit: *Si quis Papa ſuperſtite, & eo inconſulto, aut ſubſcriptionem pro Romano Pontificatu commodare, aut pro alio promittere, aut ſacramentum præbere, tentauerit, aut aliquod certè ſuffragium polliceri, vel de hac cauſa priuatis cōuenticulis factis deliberare aliquid, aut decernere præſumpſerit, loci ſui dignitate, vel communione priuetur.* Ecce autem in priuatis conuenticulis agitur de Pontificatu ſedis Apoſtolicæ, quæ ſub Hildebrando certè videtur priuilegia primatus ſui amiſiſſe, quum ipſe voluerit non apud eam, quæ mater eſt omnium Eccleſiarum, ſed in parte ſuorum eſſe ius poteſtatemque iudicandi non ſolùm de vnaquaque Eccleſia, ſed de ipſa quoque Romana Eccleſia. Ideoque (ſicut Leo Papa ſcribit, & catholica Eccleſia conſentit) *priuilegium meretur omnino amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate.* Ecce enim idem Hildebrand Colonienſem Eccleſiam ſuis quoq; priuilegiis ſpoliauit, qui Hartuigo Magadaburgenſis Eccleſiæ Epiſcopo hoc conceſſit, & hoc iuſſit, vt terminos patrum tranſgrediendo, inuaderet parochiam alterius Metropolitani Epiſcopi, & ordinaret Epiſcopum quendam Reginhardum in Mindenſi Eccleſia, ad contemtum & ad iniuriam Sigiwini Colonienſis Archiepiſcopi. Hoc etiā exemplo memoratus Otto Epiſcopus Oſtiæ, Moguntinam Eccleſiam ſuis quoq; priuilegiis ſpoliauit: atque ipſe transgrediendo ſimul terminos patrum, parochiam Metropolitani Epiſcopi inuaſit: & ad contemptum atque ad iniuriam Wezelini Archiepiſcopi, Gebehardū quendam in Conſtantienſi Eccleſia Epiſcopum ordinauit, quum adhuc etiam vixiſſet Otto Epiſcopus ipſius Conſtantienſis Eccleſiæ: ſed iampridem ab ea expulſus

Vrbanus Antipapa.

ſus eſt iniurioſè, quia noluit in parte Hildebrandi eſſe, & eſſe communionis externæ. Sic verò ſanctorum Canonum regulæ cuſtodiuntur, & obſeruari mandantur vel ab Hildebrando, vel ab Ottone: pro quibus vos, qui habetis zelum amarum, occiditis & zelatis, litigatis & belligeratis, ne ſit alius Pontifex ſedis Apoſtolicæ, niſi per quem diſciplina Eccleſiæ euertatur, & qui contra authoritatem Domini venire videatur, vt iam omnibus hæreticis aditus, ianuaq; pandatur? Dicitur enim per beatum Iob, gerentem ſcilicet typum vel Chriſti, vel Eccleſiæ: *Alii terminos tranſtulerunt, diripuerunt greges, & pauerunt eos.* Vnde ſanctus pater Gregorius in XVI. Moralium: *Quos*, inquit, *aliorum nomine niſi hæreticos deſignat, qui à ſanctæ Eccleſiæ gremio extranei exiſtunt? Ipſi enim terminos transferũt, quia conſtitutiones patrum præuaricando tranſcendunt. De quibus nimirum conſtitutionibus ſcriptum eſt: Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerũt patres tui. Qui greges*, inquit, *diripiunt, & paſcunt: quia imperitos quoſq; peruerſis ad ſe perſuaſionibus trahunt, & doctrinis peſtiferis ad interficiendum nutriunt.* Atque idem Gregorius in epiſtola ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum: *Meus*, inquit, *honor eſt ſolidus vigor fratrum meorum: & tunc ego honoratus ſum, cum ſingulis quibuſq; honor debitus non negatur.* Hinc etiam & Gelaſius Papa: *Abſit hoc*, inquit, *abſit à fidelibus, hoc ſibi velle quempiam arripere, vnde videatur honorem fratrum ſuorum imminuere ex quantulacunque parte.* Sed ſicut ſuprà dictum eſt, alii terminos tranſtulerunt, & ad contemptum atque ad iniuriam Metropolitanorum quoque Epiſcoporum in parochiis Moguntiæ ſimul & Coloniæ ordinationes ſibi vſurpauerunt. Vnde Calliſtus vrbis Romæ Epiſcopus vniuerſis Epiſcopis: *Si quis Metropolitanus Epiſcopus, niſi quod ad ſuam ſolummodò pertinet parochiam propriam, ſine conſilio & voluntate omnium comprouincialium Epiſcoporum extra aliquid agere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiacebit: & quod egerit, irritum habeatur, & vacuum.* Et iterum de eadem re Calliſtus: *Nullus Primas, nullus Metropolitanus, nullusq; reliquorum Epiſcoporum alterius adeat ciuitatem, aut ad poſſeſſionẽ accedat, quæ ad eum non pertinet, & alterius Epiſcopi etiã parochia ſuper cuiuſquã diſpoſitione, niſi vocatus ab eo, cuius iuris eſſe dinoſcitur, vt quiddã ibi diſponat, vel ordinet aut iudicet, ſi ſui gradus honore potiri voluerit: ſin aliter præſumpſerit, damnabitur: & non ſolum ille, ſed cooperantes, eiq; conſentientes: quia ſicut ordinatio, ita eius & iudicatio, & aliarum rerum diſpoſitio prohibetur.* Et vt Metropolitanis ſua iura ſeruentur, ſic etiam Leo Papa inter cætera ſcribẽs loquitur: *Secundum ſanctorum patrũ canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, Metropolitanos ſingularum prouinciarũ Epiſcopos ius traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita vt à regularibus præſtitutis nulla aut negligentia aut præſumptione diſcedant.* Quæ quũ ita ſint, & alii qui dicũtur hæretici, terminos tranſtulerint, ecce apud ipſos

qui ſunt eiuſmodi, ſcribuntur eſſe ſancta Dei ſacerdotia, & apud eoſdem ſolummodò rite celebrari Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta, vt ipſi imperitos quoſque, qui ſub nomine gregum per beatum Iob deſignantur, peruerſis ad ſe perſuaſionibus trahant, & doctrinis peſtiferis ad interitū nutriant. Sed *niſi cognoueris te, ò pulchra inter mulieres: egredere, inquit Dominus, & abi poſt veſtigia gregum*, id eſt, niſi honorem tuum, quo ad ſimilitudinem Dei es condita, bene viuendo cognoueris, à conſpectu meæ contemplationis egredere, & imperitorum vitam imitare populorum, & cultores peruerſorum dogmatum, quaſi hœdos tuos paſce in tabernaculis paſtorum: hoc eſt, in conuenticulis hæreticorum. Ecce enim defenſor partium Hildebrandi ſcribit contra ſedem Apoſtolicam ſimul, & contra vniuerſalem Eccleſiam, dicens eam amiſiſſe honorem ſacerdotij, vt faciliùs poſſit decipere eos, qui credunt illius peruerſiſſimo errori: introducit teſtimonia ſanctorum patrum, Innocentij, Cœleſtini, Gregorij, Auguſtini. Innocentius Papa: *Qui honorem*, inquit, *amiſit, honorem dare non poſſe, nec vllum aliquid ab eo accepiſſe, adquieſcimus: quia nihil in dante erat, quod alius ab eo poſſet accipere. Et verum eſt certè: quia quod non habuit, dare non potuit. Damnationem vtique, quàm habuit, per prauam manus impoſitionem dedit: & qui particeps factus eſt damnati, quomodo debeat honorem accipere, inuenire non poſſum.* Hæc certè ſcribit Innocentius contra eos, qui ſunt eiuſmodi, qualis eſt ſupra memoratus Otto, vel Hartuigus, qui terminos antiquos transgreſſi ſunt per vſurpatæ ordinationis exceſſus. De quibus & Calliſtus Papa ſcribit: *Quod ſi quis, etiam Metropolitanus Epiſcopus, niſi quod ad ſuam ſolummodo pertinet parochiam propriam, ſine conſilio & voluntate omnium comprouincialium Epiſcoporum extra aliquid agere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiacebit: & quod egerit, irritum habebitur, & vacuum*: iuxta conſequens etiam Cœleſtini Papæ teſtimonium: *Si qua factæ ſunt*, inquit, *ordinationes illicitæ, remoueantur, quoniam ſtare non poſſunt.* Et quum iuxta conſonam ſanctorum Patrum diffinitionem dignus non ſit vel ſacris altaribus adminiſtrare, vel communionem capere, qui neſcit ſacris Canonibus obedire.

CAPITVLVM XXIIII.

CONSEQVENTER etiam introducit propoſitæ ſcriptor Epiſtolæ cōtra ſe ſuosq́;, qui non ſunt in communione vniuerſalis Eccleſiæ, ſed in parte ſui Gregorij, illud noſtri patris Gregorij teſtimonium, quo ſcribit ad Maximum: *Nos*, ait, *conſecrationem dicere nullo modo poſſumus, quæ ab excommunicatis hominibus eſt celebrata: quia verò ſine vllius exempli forma violaſti tantam ſacerdotij dignitatem, præcipimus, vt tu ordinatoresq́ue tui nullatenus*

nus attrectare quicquam præſumatis ſacerdotalis officii, nec vſque ad reſcriptum noſtrum ad cultum vos ſacri altaris accedere. Quod ſi contra hæc agere præſumpſeritis, anathema vobis ſit à Deo, & beato Petro Apoſtolorum principe, vt cõtemplatione iudicii veſtri, cæteris quoque catholicis Eccleſiis vltionis veſtræ præbeatur Exemplum. Hæc certè ſcribit pater noſter Gregorius contra præuaricatores Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quę defenſor ille partium ſui Gregorii introducit ad deſtruendum ſacerdotium vniuerſalis Eccleſię, quæ communicat ſedi Apoſtolicæ. Ideoque interpoſitis quibuſdam ſcriptis, quibus conatur oſtendere, nihil niſi ad condemnâtionem apud nos valere Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta, quæ ſunt baptiſma, & chriſma, atque corporis & ſanguinis Domini myſteria. Poſt hæc ſubiungit adhuc de ordinatione teſtimonium beati Auguſtini, quæ ſcilicet ordinatio ſolet per manus impoſitionem fieri: *Corporalia,* inquit, *ſacramenta, quæ portant & celebrant etiam ſegregati ab vnitate corporis Chriſti, formam poſſunt exhibere pietatis, virtus verò pietatis inuiſibilis & ſpiritualis ita in eis non poteſt eſſe: quemadmodum ſenſus non ſequitur hominis membrum, quando amputatur à corpore. Ergo quod in omnibus membris vnius corporis agit anima, hoc agit Spiritus ſanctus in tota Eccleſia. Vnum quippe corpus & vnus ſpiritus, ſicut dicit Apoſtolus. Præter hoc corpus poteſt quidem aliquis habere vel fidei, vel baptiſmatis formam: ſed non habet vitam. Niſi enim ſpiritu intus vegeteris, fruſtra foris de forma gloriaris. Si quod membrum in humano corpore præciditur, nunquid præciſum anima ſequitur? Sic homo Chriſtianus viuit in corpore Chriſti, quouſque catholicus eſt: præciſus autem, hæreticus factus eſt.* Sed ille aduerſarius noſter ſcribit nos præciſos eſſe: ſe vero ſuosque participes permanſiſſe in vnitate vniuerſalis Eccleſiæ. Abſit autem à nobis, vt nos exiſſemus ab ipſis: ſed ipſi exierunt à nobis. Sicut enim ſcribit ſanctus pater Auguſtinus in libro de vera religione: *Poſſet ſchiſmaticos area Dominica vſque ad tempus vltionis ventilatione veluti paleas ſuſtinere, niſi vento ſuperbiæ, immo leuitate ceſſiſſent, & ſeſe à nobis vltro ſeparaſſent.* Nam quod præciſi ſint de vnitate Eccleſiaſtici corporis, teſtatur ipſe, qui in fine epiſtolæ ſuæ, ad quem cuncta, quæ dicuntur, ſolent referri, profitetur, ſe partem ſui Gregorii defendere. Vnde iterum Auguſtinus in lib. de vera religione: *Sed quia,* inquit, *in hac Dominica area pro voluntate quiſq; vel palea vel frumentum eſt, tam diu ſuſtinetur peccatum aut error cuiuslibet, donec aut accuſatorem inueniat, aut prauam opinionem pertinaci animoſitate defendat. Tenenda eſt autem nobis,* ait, *Chriſtiana religio, & eius Eccleſiæ communicatio, quæ catholica eſt, & catholica nominatur non ſolum à ſuis, verùm etiã ab omnib. inimicis, velint nolint. Nam ipſi quoq; hæretici & ſchiſmatũ alumni, quando non cũ ſuis, ſed cũ extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicã vocant. Non enim poſſunt intelligi, niſi hoc eã nomine diſcernãt, quo ab vniuerſo orbe nũcupatur. Sed apud eos,* inquit, *ſolos quærẽda eſt.*

omnibus, vt non habeat Romana Eccleſia Clementem Papam, neq; Reſpublica catholicum Imperatorē, niſi Herimanno Regi deſpectiſſimo ſuccedat alius Rex deſpectior illo: & niſi ſuccedat etiam catholico Papę Clementi aliquis hæreticus, ſicut fuiſſe monſtratur ille Caſſinenſis Abbas Sergius, qui poſt diſceſſionem Imperatoris ex Italia ſubintroductus eſt, & per ſtudia partium Hildebrandi ordinatus: cuius ſcilicet honoris rapinam non diu impunitus tenuit, quoniam in ipſo ordinationis ſuæ ingreſſu dyſenteriæ morbo ſolutus deficere cœpit, ac paulo pòſt periculoſa morte interiit: ex quo ſcilicet diuino iudicio manifeſtum eſt, qualis etiā ipſe fuerit, qui adhuc proculdubio ſubintroductus eſt, vt incendia Hildebrandi iam defuncti reſuſcitaret, & hæreſes atque ſchiſmata illius ex tanti pontificatus authoritate confirmaret. Sæpè quidem Satanas expetiuit Petrum, vt cribraret ſicut triticum: *ſed ego*, dixit Ieſus, *rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, Petre.* Petrus quippe miniſterio eſt Eccleſiæ ſuper Petrā, qui Chriſtus eſt, fundatæ: & idcirco portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, quoniam ipſe Chriſtus ſuper ſemetipſum ædificauit eam: atque ideo nemo poteſt aliud fundamentum ponere, præterquam quod poſitum eſſe dicit ſapiens ille architectus Paulus Apoſtolus, qui eſt Chriſtus Ieſus, cum Eccleſia huius capitis ſit corpus: ex cuius vnitatis ſocietate quiſquis diſceſſerit, hunc alienum, profanum, & hoſtem eſſe, conſonās iudicium ſanctorum Patrum diffinit. Ecce quidam Epiſcopi ſeceſſerunt in partem Hildebrandi, habentes eam pluris precii quam vniuerſitatem catholicæ Eccleſiæ Dei. Ex quo factum eſt ſeminante inimico homine in agro Dominico multorum ſcandalorum zizania, vt in Epiſcopiis eorum fierent non iam baptiſteria, ſed homicidia: non ſacri chriſmatis conſecratio, ſed humani ſanguinis effuſio: non alia quęlibet Chriſti & Eccleſię Sacramenta, quæ ſolent fieri per Epiſcopos Dei, ſed execramenta, quæ ſolēt fieri per miniſtros Diaboli, qui (ſicut ſanctus Cyprianus Epiſcopus ſcribit) videns idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitauit nouam fraudem, vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos: hæreſeſque inuenit, & ſchiſmata quibus ſubuerteret fidem, corrumperet veritatem, ſcinderet vnitatem. Vnde & ſupradicti ſacerdotes Hildebrandi, æſtimantes ſuo more Eccleſiam Dei aut immitem eſſe, aut non poſſe ea quæ ligata ſunt abſoluere, diſceſſerunt ab vniuerſali Eccleſia, & reliquerunt proprias quoque Eccleſias abſque paſtorali cura. ne ex occaſione ſuæ in Eccleſia perſeuerantiæ contingeret ſe videre vel alloqui Imperatorem Henricum, quem iam audiſſent perpetuo à ſuo Papa Hildebrando eſſe damnatum, quaſi tam ſacroſancti anathematis vinculum Eccleſia Dei deinceps non poſſet ſoluere, cum quilibet, etiam ſi iuſtè fuerit damnatus, & reſipiſcens poſtea, correxerit errorem

Sergius abbas Caſſin.

rem ſuum,conſequenter poſſit abſolui, talem à Deo acceptam poteſtatem Eccleſia habente. Eſt quidem peccatum ad mortem, non dico vt oretur pro eo, ait Ioannes Apoſtolus: & eſt peccatum non ad mortem, dico vt oretur pro eo: eſt peccatum ad mortem in eodem peccato manentibus: eſt peccatum non ad mortem, ab eodem peccato recedentibus. Sed atteſtante Gelaſio Papa nullum eſt peccatum, pro quo aut non oret Eccleſia, remittendum, aut quod data ſibi diuinitùs poteſtate deſiſtentibus ab eodem non poſſit abſoluere, vel pœnitentibus relaxare, cui dicitur, *Quæcunque dimiſeritis ſuper terram, dimiſſa erunt & in cœlis: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, ſoluta erunt & in cœlis.* Igitur ad remittenda peccata accipit Eccleſia Spiritum ſanctum, quo ipſa congregatur in vnum: atque ideo (ſicut ait Auguſtinus) *ne ſit irremiſſibilis Spiritus blaſphemia, cor impœnitens caueatur: nec aliter prodeſſe pœnitentia credatur, niſi vt teneatur Eccleſia, vbi peccatorum remiſſio datur, & ſocietas Spiritus in pacis vinculo cuſtoditur.* Et ſuprà idē Auguſtinus in ſermone de Blaſphemia Spiritus ſancti: *Quiſquis igitur,* inquit, *reus fuerit impœnitentiæ contra Spiritum, in quo vnitas & ſocietas communionis congregatur Eccleſiæ, nunquam illi remittetur, quia hoc ſibi clauſit, vbi remittetur: & meritò damnabitur cum Spiritu, qui in ſe ipſo diuiſus eſt, diuiſus & ipſe contra Spiritum ſanctum, qui in ſe ipſo diuiſus non eſt.*

CAPITVLVM XVIII.

HAc de cauſa & Clemens Papa, cui more Apoſtolico præter illa quæ extrinſecus ſunt inſtantia, quotidiana eſt ſollicitudo omnium Eccleſiarum, decreuit deſertis Eccleſiis paſtores conſtituere, ſi ipſi deſertores Epiſcopi vel admoniti nollent redire ad ſocietatem vnitatis Eccleſiæ, de ſeditioſorum quoque Epiſcoporum cauſa & damnatione præcepit Germaniæ Epiſcopis in generali Synodo agere, qui proprio (vt ait Apoſtolus) iudicio condemnati eſſent, vtpote exercentes prælia & ſeditiones, & dominationem ſpernentes, maieſtatem autem blaſphemantes, qui extuliſſent ſe ſuper altitudinem regiæ poteſtatis, & reſtitiſſent ordinationi diuinæ diſpoſitionis, transferentes regna, & negligentes ſacerdotia: qui etiā peſſimo ſuo exemplo, quo eſſent periuri, docuiſſent obedientes ſibi infideles eſſe, atq; fallaces: qui etiā, vtpote tranſgreſſores diuinarū humanarumq; legū, inſtituiſſent ſuos quoq; ſectatores diuinis humaniſq; legibus eſſe inobedientes: qui etiā, vtpote violatores Eccleſiaſticorū priuilegiorum, permiſiſſent fautores partium ſuarum rapere & diripere bona & res Eccleſiarum: vt eiuſmodi homines eſſent ſibi promptiores ad omne nefas audendum, quibus ex conſuetudine iam quaſi in naturam

verſa eſt dulcedo coniurationum, rapinarum atque homicidiorum: quales ſcil. Epiſcopi nõ eſſent paſtores Eccleſiarum, ſed ductores bellorum: non cuſtodes dominicarum ouium, ſed vt graues lupi, perſecutores earũ, interfectores animarum pariter & corporum, cum ipſi ad tuendas partes ſuas diu multumque vſi fuiſſent manibus impiorum ad occiſionem multorum hominum.

CAPITVLVM XIX.

SED cum tales certe fuerint Epiſcopi Saxoniȩ, & defenſores Hildebrandi, ſui ſcilicet Papæ: præſumebant tamen frequentibus conciliis ſe ſuosque ſectatores iuſtificare: & Henrichum Regem, quem ipſi potiſſimũ de regno Saxoniæ expulerant, damnare: eiuſdemque damnationis notam imponere Epiſcopis atque Principibus, & omnibus qui communicarent ei, & qui ſubiecti eſſent ei. Ideoq; tandem aliquando conſtitutũ eſt conſentientibus vtrinq; Epiſcopis, vt cauſa longæ concertationis, quȩ non poſſit confici gladiis, terminaretur libris, lȩtantibus admodum laicis, quorum ſanguis effuſus eſt tot prælìis, quod ad hoc peruentum ſit, vt per ipſos authores belli contra Regẽ Henrichũ decerni debeat, quod ibi iuſtitia ſit, vnde victoria fuerit: cum tale iudiciũ veritatis, quod facillime ex libris agnoſcitur, non poſſit vel falli, vel fallere. Fit conuentus in loco qui dicitur Gerſtungun, XIII. Calend. Februarii, Anno ſcilicet MLXXXV. ab incarnatione Domini. Tum primo Chunradus Traiectenſis Eccleſiæ Epiſcopus: *Ecce*, inquit, *venimus, vt probemus ex teſtimonio ſanctorum Canonum, non damnatum eſſe, vel excommunicatum Regem noſtrum Henrichum: cui, ſi non poterunt prodeſſe apud vos ea quæ legitime ordinata ſunt à Deo circa honorem Regum: ſaltem hoc concedite, vt eo vtatur iure, quo ex regulis Eccleſiaſticis conceſſum eſt vti vel infimæ in Eccleſia perſonæ*: Et dixit ad Wezelinũ Moguntinæ Eccleſiæ Epiſcopũ, vt ſurgeret & legeret capitulũ quoddã ex decretis Romanorũ Pontificũ. At ille ſurrexit, & legit, *quomodo rebus ſuis aliquis exſpoliatus, aut à ſede propria vi aut terrore pulſus non poteſt accuſari, vocari, iudicari, aut damnari, antequã omnia ſibi oblata ex integro reſtituantur, & cum omni priuilegio ſuo iure propriũ reformetur, & ipſe pacifice diu ſuis fruatur honoribus, propriæ ſedis regulariter reſtitutus.* Quod & Nicænũ conſtituit Conciliũ, vt nemo Pontificũ præſumat aliquem ſuis expoliatũ rebus excommunicare aut iudicare: Ad hæc, cum obmutuiſſet Gebehardus Saltzburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, qui cauſam aduerſæ partis era acturus, vtpote apud ſuos maxime vel ipſe ſenectute ſua, vel ſcientia ſcripturarũ, ſiue eloquentia reuerendus: tum quidem intulit Werintherũ Merſeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, *Vbi in Canonibus ſcriptum eſſet aliqui*

Conuentus in Gerſtungun.

eiuſmodi de mulieribus? & Wezelinus Archiepiſcopus porrigens eis librum: *Ecce*, inquit, *ipſi legite conſequens huius rei teſtimonium, quomodo huic quoq; ſexui oporteat iuſtum iudiciũ fieri: & quomodo ne mulier quidem debeat obiectis reſpondere, donec permutatus ei rem familiarem libere diutius ordinare.* Tũ omnes aduerſæ partis Epiſcopi ita ſunt confuſi, & ita deuicti, vt non haberent quid ad hæc reſpondere poſſent, manente apud Eccleſiam Dei victoria: quoniã obſtructum eſt os loquentium iniqua. Sed hinc reſonabant laudes Deo, illinc autẽ erat murmur multus in turba de ſermone illo. Quidam enim dicebant, *Quia bonus eſt*: alii autem dicebant, *Non, ſed ſeducit turbas.* Vnde facta diſſenſione inter ipſos etiam Principes aduerſæ partis occiſus eſt ibi Thiederichus Comes, habens in coniugio ſororẽ Egberthi Marchionis: quem cum alter Thiedericus, ſuus ſcilicet cognatus, cœpiſſet defendere, occiſus eſt & ipſe. Et certe niſi fuga eripuiſſet Vdonem Hildiniſheimenſis Eccleſiæ Epiſcopum, & fratrem eius Chunradũ Comitem, ipſi pariter occubuiſſent per manus operantiũ iniquitatem: qui ambo multa poſt hæc paſſi ſunt aduerſa per prouinciales patriæ ſuæ, ſcilicet Saxoniæ, quia noluerunt reuerti ad partes factionis ſuæ. Ad extremum vero occiſus eſt Chunradus Comes in publico prælio, dum ageret ibi ſtrenniſſimi militis officium pro Imperatore Henricho. At frater eius Vdo Epiſcopus captus, & vinculatus ab Egberto Marchione, ſuſtinuit multos & diuturnos cruciatus ſub tyrannica illius crudelitate, donec promiſiſſet Hildinisheim ciuitatem Epiſcopatus ſui, quam per multos dies idem Marchio oppugnauerat, ſe traditurum eſſe: quod tamen non fecit, licet ille tyrannus vni de datis obſidibus caput amputari præceperit. *Hildisheim.*

CAPITVLVM XX.

Celebrato (ſicut dictum eſt) conuentu Epiſcoporũ atque Principum, citius abierunt catholici à concilio malignantiũ, ne forte inciderent in manus inimicorum ſuorum: quibus enim parcerent, qui de ſuorum cæde quidem ſociorum ſeſe non abſtinuiſſent? ſed his ita geſtis, deinde indicta eſt Synodus apud Moguntiã ſecunda hebdomada poſt Paſcha ſecundum conſtitutionẽ ſedis Apoſtolicæ, vbi conuenerunt cum Imperatore legati ipſius ſacroſanctę ſedis Apoſtolicæ, Petrus ſcilicet Epiſcopus Portuenſis Eccleſiæ, & duo Cardinales Romanæ Eccleſiæ. Aderat etiam omnium Epiſcoporum conſenſus ſiue de Italia, ſiue de Gallia, in quorum alternis cordibus viuit ſpiritalis amor & gratia: de qualibus ſcribit ſanctus Cyprianus Epiſcopus: *Vnitatem*, inquiens, *tenere firmiter, & vindicare debemus maxime nos Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, vt Epiſcopatum quoq; vnũ atq; indiuiſum probemus.* Præſidebant quoq; huic Synodo

Conuentus Moguntinus.

Wezelinus Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, & Eingilberdus Treuirenſis Archiepiſcopus atq; Sigeuinus Colonienſis Archiepiſcopus. Liemarus autē Premenſis Archiepiſcopus, quia nō poterat adeſſe, miſerat illuc legatos ſuos ſua vice, promittēs, ſe [illegible] omnia conſenſurū quæ pertineant ad fidem catholicā, & ad pacē atq; vnitatē Eccleſiæ. Reliqui vero Epiſcopi qui illic cū fuerunt, hi ſunt, quorū nomina ſubſcripta ſunt: Thiederichus Virdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Henrichus Epiſcopus Leodiæ, Chunradus Epiſcopus Traiectenſis Eccleſiæ, Vdalricus Einſtatenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Meginuuardus Friſingenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Otto Epiſcopus Ratiſponæ, Ruobbertus Epiſcopus Babenburgenſis Eccleſiæ, Huozmannus Spirenſis Eccleſię Epiſcopus, Otto Conſtanſienſis Eccleſiæ Epiſcopus, Burcardus Epiſcopus de Loſanna, Sigefridus Epiſcopus ex Auguſta, Gebehardus Epiſcopus Behemēſis de Praga, Vdo Hildinisheimēſis Eccleſię Epiſcopus, Henrichus Poderbrunnēſis Epiſcopus, Erph Epiſcopus Monaſterii Folcmar Mindēſis Eccleſię Epiſcopus: Bibo Tullenſis Eccleſiæ Epiſcopus, quia per ſeipsū adeſſe nō potuit, per legatos ſuos, qui vice ſua intererant huic Synodo, conſenſit, & ſubſcripſit: Burcardus quoq; Baſilienſis Eccleſiæ Epiſcopus, & Otto Stratzburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, per legatos ſuos conſenſerūt & ſubſcripſerūt, qui propter hoſtes Eccleſiis ſuis crudeliter nimis imminētes domū dimiſſi ſunt. Et multi ſimul Presbyteri atq; Diacones interfuerant huic Synodo, congregatæ in ciuitate Moguntia: vbi & omniū (ſicut dictum eſt) Epiſcoporū aderat conſenſus, ſiue de Italia, ſiue Gallia, immo de omni catholica Eccleſia, in quorū alternis cordibus viuit ſpiritalis amor & gratia: vt ſicut vnitatem tenere firmiter & vindicare debent maxime Epiſcopi qui in Eccleſia pręſident, ita Epiſcopatum quoq; vnum atque indiuiſum probent. Multę ſiquidē Eccleſiæ faciunt vnam catholicā Eccleſiam: & licet plures facti ſint ſacerdotes, vnus tamen eſt Epiſcopatus propter vnam eandemq; Eccleſiā catholicam. Quam ſcilicet vnitatem qui non tenet, alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt: ſicut ex communi ſanctorum patrum iudicio diffinitum eſt: Sed aliqui Epiſcoporum exierunt ab illorum communione, quorum conuentus eſt, ſiue conſenſus ibi fuerat pro recuperanda pace vel Eccleſiæ vel reipublicæ, qui etiam ex multo tempore noluerunt vſque adhuc communicare ſedi Apoſtolicæ: ſine cuius authoritate nec ipſi quidem poſſunt alicuius Epiſcopalis officii miniſterium habere: ideoque ipſorum hæreſes & ſchiſmata ab omnibus catholicis reprobata ſunt, atque damnata, cum ipſis authoribus pariter & conſortibus externę communionis atque perfidiæ. Hi autem ſunt, qui aut fugiendo Epiſcopatus ſuos dimiſerunt, aut eos per bella maxima ſibi vindicando vſurpauerunt, ne communicarent eis qui communicāt catholico Imperatori vel

ſedi

ſedi Apoſtolicæ: Gebehardus Saltzburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Hartuigus Magadaburgẽſis Eccleſię Archiepiſcopus, Adalbero Vuirtziburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Altman Pataurenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Adalbertus Wormacienſis Eccleſiæ Epiſcopus, Burcardus Halberſtatenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Werinherus Merſeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Guntherus Citicenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Benno Miſinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Hartuingus Wirdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Herimãnus Metenſis eccleſiæ Epiſcopus, Regiuhardus alter Mindenſis Eccleſiæ Epiſcopus, per ſtudia partium ſubintroductus: Wigolt alter Auguſtæ Epiſcopus, per ſtudia partium ſubintroductus: Gebehardus alter Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopus, per ſtudia partium ſubintroductus: Hẽrichus alter Poderbrunnenſis Epiſcopus, per ſtudia partium ſubintroductus, ſed ne adhuc quidem initiatus.

CAPITVLVM XXI.

ISti xv. præferentes nomen ſacerdotii ſæpe antea admoniti, nunc autem regulariter vocati, quia noluerunt ad pacem Chriſti & Eccleſiæ reuerti, ex authoritate ſedis Apoſtolicæ ſunt deiecti atq; damnati: quod (ſicut ſcribit Gelaſius Papa) nõ ſolũ Præſuli Apoſtolico facere licet: ſed cuicunq; Pontifici licet, quẽlibet locũ hæreſeos ſecundũ regulam ante damnatæ à catholica cõmunione diſcernere. Magna quidem hæreſis eſt, Dei reſiſtere ordinationi, cuius ſolius eſt poteſtas dãdi imperii: qui dat felicitatẽ in regno cœlorũ ſolis piis, regnum vero terrenum, & piis & impiis, ſicut ei placet, cui nihil iniuſte placet. *Qui enim* inquit Augſtinus *regnũ dedit Mario, ipſe & Caio Cæſari: qui Auguſto, ipſe & Neroni: qui Veſpaſianis vel patri vel filio, ſuauiſſimis Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo: & ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Conſtantino Chriſtiano, ipſe apoſtatæ Iuliano.* Magna, inquam, hæreſis eſt Dei ordinationi reſiſtere: quod conſtat ſuprascriptos xv. pſeudoepiſcopos feciſſe, dum deſtruere nitebantur regnum Henrichi Regis à Deo ſibi collatum, reſiſtendo ei atque repugnando vſque ad effuſionem ſanguinis multorum hominum. Ex hac crudeliſſima hæreſi multæ hæreſes & ſchiſmata emerſerunt, vt nec diuinæ nec humanæ leges quicquam nunc valeant apud illos, vel contra illos, qui inique agunt: qui dum nuſquam non erraſſe monſtrantur, ſacroſancti eſſe apud ſuos deſcribuntur. apud quos nihil ſancti vel ſacri inuiolatum tenetur. Præualuit etiam apud eos, qui eiuſmodi ſunt, periurium atque perfidia. vt hæreticorũ ſimul, catholicorumq; cõfeſſione permiſta, cuncta veræ & ſinceræ religionis ſint turbata, catholicaq; & Apoſtolica puritas

confuſa. Periuri quippe patricidis & matricidis, cæteriſq́; qui non poſſidebunt regnum Dei, ab Apoſtolo comparantur: quá ſcilicet ſententiam nullus hominũ poſſe ſoluere probatur. Ideoq́; maiori damnationis ſententia Epiſcopi inuoluuntur, qui periuri eſſe declarentur, qui pręcipue ex mandato Domini per Euangeliũ ſimul & ex conſtituto Canonum iurare prohibentur. Iurauerát quippe Henricho Regi omnes ſupraſcripti Epiſcopi, abſq; his, qui ex occaſione belli Saxonici furtiue ſunt introducti: quorũ perfidiã & hæreſes atq; ſchiſmata, ſi quis diligẽter attẽdit, & diſcutit per ſingula, perſpiciet ſane nunquã ab initio naſcentis Eccleſiæ tot & tanta, ſicut nunc ſunt, fuiſſe ſcandalorum genera: quorum cum ſupra dixerimus aliqua, plura adhuc dicemus, quę per ſingulos illos pſeudoepiſcopos in Eccleſia ſint geſta, cũ ea, quę geſſerint in Republica, ſint omnibus manifeſta. Sicut enim per vnũ ſcribentẽ eorum omniũ vulgata tranſgreſſio eſt, qui in eandem ſchiſmatis atq; perfidiæ reciderant actionẽ, amplectendo magis atq; defendendo ſui Gregorii partem, quam catholicæ Eccleſiæ vniuerſitatem: ſic in vno eodemq;, qui pro omnibus ſcripſerat, vel ſcribendo omnium voluntates prodiderat, cuncta quæ ad noticiam rerum ſatis abunde iudicamus ſufficere, ſtudemus fideliter exponere.

CAPITVLVM XXII.

PRimo quidem dicendum eſt, quod ſine lachrymis dici non oportet: quia mater noſtra, ſancta ſcilicet Romana Eccleſia, in tantã deſpectionem apud aduerſæ partis Epiſcopos venit, vt ſicut in Romana repub. non poteſt Rex aut Imperator eſſe, niſi quem iidem ipſi velint, qui (ſicut Gelaſius quoq; conqueritur) ſedi Apoſtolicæ poteſtatẽ primatus ſui conantur eripere, & ſibimet eam cõtra canones contendunt vſurpare. Vnde etiam quidã infamis perſonæ, qui ſcribit ſe ſuoſq́; partem ſui Gregorii defendere, præſumit cõtra ſancta ſanctorum loqui, & magnificari aduerſum nomen catholicæ Eccleſiæ Dei, prædicans eam eſſe in parte ſui Gregorii, apud ſupradictos quoque pſeudoepiſcopos eſſe ſancta ſacerdotia Dei, ipſoſq́; eſſe ſpirituales, atq; in cœleſtibus conuerſari, & eſſe filios Dei: cæteros autẽ excõmunicatos & hæreticos & ſchiſmaticos eſſe, quicunq; ſubiecti ſunt, vel communicant ei, qui non eſt in parte alicuius, ſed in toto, ſcilicet Imperatori Hẽricho, ſiue Wigberto, eidemq́; Pontifici Romano: apud eos denique nihil niſi ad condemnationẽ valere Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta, quæ ſunt baptiſmatis & chriſma, & corporis ac ſanguinis Domini myſteria. Ergo quibus ex cauſis, & qua neceſſitate Wigbertus Papa ſit electus, ſupra iã diximus: qui certe per eius, quę vere eſt Romana Eccleſia, conſenſũ, & per ſuffragiũ Henrichi Regis, eiuſdemque

que Romani patricii eſt ordinatus. Sed Syluerius Papa (ſicut legitur in geſtis Pontificalibus) olim per vim leuatus, & vt ſacerdotes ordinationi eius iuxta antiquū morem vel decretum ſubſcriberent, compulit tyrānus quidā Theodorus. Quod cū obtinere non poſſet, licet cauſā hanc gladiis ageret: tamen poſt ordinationē ipſius Syluerii ſubſcripſerūt ei omnes cōmuni conſenſu, propter adunationē videlicet religionis & pacis, ne forte ſuſtineret Eccleſia aliquod ſcandalū ſchiſmatis. Nunc autem Romana Eccleſia & Patricius Romanorum conſenſerunt in Wigberti electionē: & tamen nec poſt ſeptimum annum, quo defunctus eſt Hildebrand Papa, licet Romanam Eccleſiam talem Pontificem habere, qualis catholicum corpus Eccleſiæ non diuidit: ſed integrare illud & vnire intendit, cū in Chalcedonenſi Concilio ſtatutum ſit, vt intra tres menſes debeant Epiſcoporum ordinationes fieri, niſi forte neceſſitas excuſabilis coegerit dilationis tempus protrahi. Ecce ad quid peruenit mater omnium Eccleſiarum, vt ſubiacere videatur iudicio peruerſorū, quæ *ius habet de omni Eccleſia iudicandi, neq; cuiquam de eius licet iudicare iudicio*, ſicut conſtituūt decreta Canonum. Ecce Wigbertus, qui & Clemens Papa, cuius doctrina certè eſt Apoſtolica, & cuius ſcripta verè ſunt catholica, ſicut didicimꝰ ex illa, quam tractare ſuſcepimus Epiſtola, quæ ſcriptor illius peruertere molitur interpretatione falſiſſima, ſicut probabimus in ſequenti libro: ille, inquam, Clemens Papa, inſcribitur falſo fur atque hæreticus, ab homine iniquo & doloſo. Veruntamen ſupradictus Papa Syluerius iam beatiſſimus (ſicut legitur) factus, poſtquam reuocare noluit Antimum patriarcham hominem hæreticum, à beato Agapeto deceſſore ſuo depoſitū pro nequitia illius, propter hoc per viſionem Auguſtæ eſt depoſitus: cui Vigilius Archidiaconus eius ſucceſſit, qui præcipuè depoſitionis ipſius cauſa extitit: qui etiam eundem Papam ſuum deportari in exiliū fecit, vbi eum fame tribulationis, & aqua anguſtiæ (ſicut legitur) vſque ad mortem ſuſtentauit. Hæc quamuis Vigilius fecerit, nemo tamen in hanc præſumptionis audaciam prorupit, vt ipſum Romanæ Eccleſiæ Pontificem vel hæreticum, vel furem deſcripſerit. De quo certè Vigilio poſtea perpeſſo multa pericula pro Eccleſia, quam ipſe magna regebat induſtria, de illo, inquam, ſcribit Arator ſubdiaconus, in Opere ſuo, quod de actibus Apoſtolorum compoſuit heroico metro:

Publica libertas Vigili ſanctiſſime Papa,
Aduenis incluſo ſoluere vincla gregi.
De gladiis rapiuntur oues paſtore miniſtro,
Inquē humeris ferimur te reuocante pius.
Hoc tibi magne pater cum defero munus amoris,
Reſpice quod meruit debita ſoluo tuus.

Syluerius Pp.

Wigbertus poſtea Clemens Pp.

CAPITVLVM XXIII.

IGITVR Clemens Papa cupiens gregem Domini,& oues Chriſti,ex rapina ac deuoratione beſtiarum agri eripere, & quod perierat quærere, quod infirmum,conſolidare, & quod ægrotum erat,ſanare: quod fractũ, alligare,& quod abiectum erat,reducere: conſtituit Apoſtolica authoritate ſupradictam Synodum fieri in regno Theutonicò,apud metropolim ciuitatem Moguntiæ,vt ageretur ibi de fide Catholica & pace Eccleſiarũ atque concordia. Ideoque aderat ibi omnium conſenſus Epiſcoporum de omni Catholica Eccleſia,in quorum alternis cordibus viuit ſpiritalis amor & gratia: vt ſicut vnitatem tenere firmiter, & vindicare debent, maximè Epiſcopi,qui in Eccleſia præſident,ita Epiſcopatum quoque vnum atque indiuiſum probent. Aderat etiam Imperator Henrichus, præcipuè author huius Synodi; quia nihil tutum neque firmum poterit eſſe in his, quæ ſunt eiuſmodi,niſi defendat & probet ea regalis authoritas pro maieſtate Imperii. Sed aduerſæ partis Epiſcopi cupientes hanc indictam Synodum præoccupare,aut præuertere,conuenerũt infrà hebdomadam Paſchæ in caſtello quodam Saxoniæ Quidilingeburg nomine,vbi locus eſt congregationis fœminarum Deo ſeruientium ſub canonica inſtitutione. Et vt conſpiratio eorum plus valeret,& deciperet columbæ ſimplicitatem, quàm ſerpentis aſtutia non temeraſſet: adduxerant quendam ſub ſpecie legati ſedis Apoſtolicæ, qui dictus eſt Otto Epiſcopus Oſtienſis Eccleſiæ,quum iam Clemens Papa præſideret Romanæ Eccleſiæ. Intererat etiam huic conuentui Rex Saxonum Herimannus, cui ne apud ſuos quidem tribuebatur honor regius, à quo tunc & illius Synodi cœpit tractatus. Nam memoratus Otto Epiſcopus, *Audiens ego*,inquit,*quod Rex veſter legitimum non habeat coniugium, ſed ex conſanguinitate ſociatum, iudico inter eum & vxorem eius fieri diuortium.* Huius iudicii ſententiam quum non approbaſſent aſſidentes Epiſcopi, dicentes agendæ huius rei tempus tunc non eſſe: ſecundo intulit,ſe iudicare bonum & iuſtum eſſe,vt res Eccleſiarum,quas Saxones atque Thuringi vſurpaſſent, in proprios vſus reſtituerentur,ſpoliatis Eccleſiis atque Monaſteriis,quibus fuiſſent oblatæ, ac Deo conſecratæ. Hæc quoque ſententia quum non placuiſſet Epiſcopis,vtpote timentibus offendere præſentiam noxiorum,qui pariter conuenerant ad roborandas partes coniurationis ſuæ: tunc rogabant ipſi,rogabant & alii Principes Saxoniæ,vt his atque huiuſmodi omiſſis, conſentiret cum eis ad ea,quæ cœpiſſent agere: ſe quidem conueniſſe,vt tractarent, quomodo defendere poſſent partes ac ſtudia ſui Gregorii Papæ,eiusque anathema circa Regem Henrichum renouare,ac populo indicare, quod excommunicatus ſit omnis, & ſaluus eſſe

Quedlinburg.

non

non poſſit, quiſquis Henricho Regi in aliquo communicauerit. Tum ille Otto flexus eſt ad voluntatem eorum, & conſenſit: quia vento agitata arundo extitit. Damnauerunt iterum omnes, qui aderant, Epiſcopi Henrichum Regem, & iuſtificauerũt multis modis ſui Gregorii partem, agentes ipſi omnia contra regulas & inſtituta Eccleſiæ, qui non conueniſſent ad Synodum in loco celebri, in ciuitate ſcilicet Epiſcopali, qui conueniſſent in feſtis diebus Paſchæ, in diebus ſcilicet gaudii & lætitiæ: vt miſerias miſerorum augerent, vt ſeditiones ac prælia renouarent, vt etiam fidem deſtruerent. Vnde audiant ipſi iuſtificatores ſui Gregorii, & damnatores Imperatoris Henrichi, quum ipſi magis ſint damnati, vtpote deſtructores fidei; audiant (inquam) de huiuſmodi ſententiam ſancti Papæ Gelaſii: *Non tam propter religionis*, inquit, *cauſam ſtudent diſpoſitionibus publicis obuiare, ſed potius per occaſionem regiæ alligationis catholicam fidem moliuntur euertere, & tali commercio ſperata præſtare: quum ego & deceſſor meus non ſolum non mihi in hac parte damnationis nomen Imperatoris attigerimus, ſed inſuper poſtquam adeptus eſt regiam poteſtatem, honorificis eum literis ſalutare curauimus. Sacerdotes autem, qui præuaricatoribus ſe communicaſſe propria voce confeſſi ſunt, à communione Apoſtolica ſubmouerunt deceſſores mei: quibus ſcilicet damnatis, ſi ipſi placet miſceri, non poteſt nobis*, inquit, *imputari a quibus ſi velit Imperator abſcedere, tanto magis à nobis non poteſt eſſe damnatus, ſed potius ad gratiam ſynceræ communionis admiſſus.* Et idem Gelaſius, oſtendens non licere cum perfidis, vel cum ſociis perfidorum habere conuentum, iuxta quod dicitur in Pſalmo: *Non ſedi in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo: Nec Eccleſiaſtici*, inquit, *moris eſt, cum his, qui pollutam habent communionem permixtamq; cum perfidis, miſcere concilium: quoniam qui voluntariè ſectantur contagia perfidorum, ſeparati ſunt certè ab Apoſtolica ſede: ideoque*, ait, *cum talibus, & apud tales, etiamſi eſſet neceſſe fieri nulla poſſet Synodus prouenire.* Ergo Pius atque Vrbanus, Lucius etiam atque Symmachus, & Gregorius, Romani Pontifices, conſtituerunt ſub anathematis interpoſitione, vt prædia diuinis vſibus tradita, & cœleſtibus ſecretis dicata, nemo præſumat humanis vſibus applicare: quia ſiue alienator, ſiue venditor alicuius Eccleſiaſtici prędii magni vel exigui, cum accipiente pariter iudicatur eſſe ſacrilegi. Et quum illi ſint certè iuxta diuinam ſententiam in ſupplicium æternum, qui ex propriis facultatibus non ſubleuant neceſſitates pauperum: quid dignum æſtimari poterit iudicio ac damnatione eorum, qui diripiũt aliena, præcipuè autem quę ſunt Dei Eccleſiarum? Ecce in ſupradicto conuentu aderant, qui multarum Eccleſiarum poſſeſſiones & prædia inuaſerant pariter, & poſſidebant: & hoc ita fieri ſacerdotes Saxoniæ conſenſerant. Qui enim his, quæ ſunt huiuſmodi, non reſtitit, ſuggeſtione qua potuit, conſenſit: quum ex authoritate diuina dicat Apoſtolus, *Non ſolum, qui*

faciunt praua, reos eſſe, ſed & qui conſentiunt facientibus. Primum quidem locum tenuit in illa malignantium Eccleſia ſupradictus Otto Hoſtienſis Epiſcopus, qui nunc à Saxonibus eorumque conſortibus dicitur Papa

Vrbanus Antipapa.

Vrbanus: ſuper qualium certè ambitu & promotione ſupplicat Imperatori Gelaſius Papa, immo per Gelaſium catholica Eccleſia: *Deſinant, quæſo te, temporibus tuis quidam per occaſionem perturbationis Eccleſiaſticæ præcipitanter ambire quæ non licent, ne & illa, quæ male appetunt, nullatenus apprehendant, & modum ſuum apud Deum hominesque non teneant.* Atque iterum ſuper eiuſmodi alloquens etiam Senatum Romanum: *Ad Senatum,* inquit, *pertinet Romanum, vt memor fidei, quam à parentibus ſuſcepiſſe ſe meminit, contagia vitet communionis externæ, ne à communione ſedis Apoſtolicæ, quod abſit, reddatur externus.* Quum enim in ordinatione ſucceſſoris ſui Clementis dicat Petrus Apoſtolus: *Hæc mea prædicationis & doctrinæ cathedra, eum qui cupit eam, & audacter expetit, non requirit: ſed ornatum moribus, & in verbis eruditum.* Ille autem ſæpè dictus Otto præcipitanter ambiuit, & inuaſit ſedem Apoſtolicam, vſus manu & auxilio peſſimorum, apud quos nec diuinarum nec humanarum valet aliquid conſtitutio legũ. Symmachus Papa generali præſidens Synodo dixit: *Si quis Papa ſuperſtite, & eo inconſulto, aut ſubſcriptionem pro Romano Pontificatu commodare, aut pro alio promittere, aut ſacramentum præbere, tentauerit, aut aliquod certè ſuffragium polliceri, vel de hac cauſa priuatis cõuenticulis factis deliberare aliquid, aut decernere præſumpſerit, loci ſui dignitate, vel communione priuetur.* Ecce autem in priuatis conuenticulis agitur de Pontificatu ſedis Apoſtolicæ, quæ ſub Hildebrando certè videtur priuilegia primatus ſui amiſiſſe, quum ipſe voluerit non apud eam, quæ mater eſt omnium Eccleſiarum, ſed in parte ſuorum eſſe ius poteſtatemque iudicandi non ſolùm de vnaquaque Eccleſia, ſed de ipſa quoque Romana Eccleſia. Ideoque (ſicut Leo Papa ſcribit, & catholica Eccleſia conſentit) *priuilegium meretur omnino amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate.* Ecce enim idem Hildebrand Colonienſem Eccleſiam ſuis quoq; priuilegiis ſpoliauit, qui Hartuigo Magadaburgenſis Eccleſiæ Epiſcopo hoc conceſſit, & hoc iuſſit, vt terminos patrum tranſgrediendo, inuaderet parochiam alterius Metropolitani Epiſcopi, & ordinaret Epiſcopum quendam Reginhardum in Mindenſi Eccleſia, ad contemtum & ad iniuriam Sigiwini Colonienſis Archiepiſcopi. Hoc etiã exemplo memoratus Otto Epiſcopus Oſtiæ, Moguntinam Eccleſiam ſuis quoq; priuilegiis ſpoliauit: atque ipſe transgrediendo ſimul terminos patrum, parochiam Metropolitani Epiſcopi inuaſit: & ad contemptum atque ad iniuriam Wezelini Archiepiſcopi, Gebehardũ quendam in Conſtantienſi Eccleſia Epiſcopum ordinauit, quum adhuc etiam vixiſſet Otto Epiſcopus ipſius Conſtantienſis Eccleſiæ: ſed iampridem ab ea expulſus

ſus eſt iniurioſè, quia noluit in parte Hildebrandi eſſe, & eſſe communionis externæ. Sic verò ſanctorum Canonum regulæ cuſtodiuntur, & obſeruari mandantur vel ab Hildebrando, vel ab Ottone: pro quibus vos, qui habetis zelum amarum, occiditis & zelatis, litigatis & belligeratis, ne ſit alius Pontifex ſedis Apoſtolicæ, niſi per quem diſciplina Eccleſiæ euertatur, & qui contra authoritatem Domini venire videatur, vt iam omnibus hæreticis aditus, ianuaq; pandatur? Dicitur enim per beatum Iob, gerentem ſcilicet typum vel Chriſti, vel Eccleſiæ: *Alii terminos tranſtulerunt, diripuerunt greges, & pauerunt eos.* Vnde ſanctus pater Gregorius in XVI. Moralium: *Quos*, inquit, *aliorum nomine niſi hæreticos deſignat, qui à ſancta Eccleſiæ gremio extranei exiſtunt? Ipſi enim terminos transferũt, quia conſtitutiones patrum præuaricando tranſcendunt. De quibus nimirum conſtitutionibus ſcriptum eſt: Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerũt patres tui. Qui greges*, inquit, *diripiunt, & paſcunt: quia imperitos quoſq; peruerſis ad ſe perſuaſionibus trahunt, & doctrinis peſtiferis ad interficiendum nutriunt.* Atque idem Gregorius in epiſtola ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum: *Meus*, inquit, *honor eſt ſolidus vigor fratrum meorum: & tunc ego honoratus ſum, cum ſingulis quibuſq; honor debitus non negatur.* Hinc etiam & Gelaſius Papa: *Abſit hoc*, inquit, *abſit à fidelibus, hoc ſibi velle quempiam arripere, vnde videatur honorem fratrum ſuorum imminuere ex quantulacunque parte.* Sed ſicut ſuprà dictum eſt, alii terminos tranſtulerunt, & ad contemptum atque ad iniuriam Metropolitanorum quoque Epiſcoporum in parochiis Moguntiæ ſimul & Coloniæ ordinationes ſibi vſurpauerunt. Vnde Calliſtus vrbis Romæ Epiſcopus vniuerſis Epiſcopis: *Si quis Metropolitanus Epiſcopus, niſi quod ad ſuam ſolummodò pertinet parochiam propriam, ſine conſilio & voluntate omnium comprouincialium Epiſcoporum extra aliquid agere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiacebit: & quod egerit, irritum habeatur, & vacuum.* Et iterum de eadem re Calliſtus: *Nullus Primas, nullus Metropolitanus, nulluſq; reliquorum Epiſcoporum alterius adeat ciuitatem, aut ad poſſeſſionẽ accedat, quæ ad eum non pertinet, & alterius Epiſcopi etiã parochia ſuper cuiuſquã diſpoſitione, niſi vocatus ab eo, cuius iuris eſſe dinoſcitur, vt quiddã ibi diſponat, vel ordinet aut iudicet, ſi ſui gradus honore potiri voluerit: ſin aliter præſumpſerit, damnabitur: & non ſolum ille, ſed cooperantes, eiq; conſentientes: quia ſicut ordinatio, ita eius & iudicatio, & aliarum rerum diſpoſitio prohibetur.* Et vt Metropolitanis ſua iura ſeruentur, ſic etiam Leo Papa inter cætera ſcribẽs loquitur: *Secundum ſanctorum patrũ canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, Metropolitanos ſingularum prouinciarũ Epiſcopos ius traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita vt à regularibus præſtitutis nulla aut negligentia aut præſumptione diſcedant.* Quæ quũ ita ſint, & alii qui dicũtur hæretici, terminos tranſtulerint, ecce apud ipſos

nus attrectare quicquam præſumatis ſacerdotalis officii, nec vſque ad reſcriptum noſtrum ad cultum vos ſacri altaris accedere. Quod ſi contra hæc agere præſumpſeritis, anathema vobis ſit à Deo, & beato Petro Apoſtolorum principe, vt cõtemplatione iudicii veſtri, cæteris quoque catholicis Eccleſiis vltionis veſtræ præbeatur Exemplum. Hæc certè ſcribit pater noſter Gregorius contra præuaricatores Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quę defenſor ille partium ſui Gregorii introducit ad deſtruendum ſacerdotium vniuerſalis Eccleſię, quæ communicat ſedi Apoſtolicæ. Ideoque interpoſitis quibuſdam ſcriptis, quibus conatur oſtendere, nihil niſi ad condemnâtionem apud nos valere Chriſti & Eccleſiæ ſacramenta, quæ ſunt baptiſma, & chriſma, atque corporis & ſanguinis Domini myſteria. Poſt hæc ſubiungit adhuc de ordinatione teſtimonium beati Auguſtini, quæ ſcilicet ordinatio ſolet per manus impoſitionem fieri: *Corporalia,* inquit, *ſacramenta, quæ portant & celebrant etiam ſegregati ab vnitate corporis Chriſti, formam poſſunt exhibere pietatis, virtus verò pietatis inuiſibilis & ſpiritalis ita in eis non poteſt eſſe: quemadmodum ſenſus non ſequitur hominis membrum, quando amputatur à corpore. Ergo quod in omnibus membris vnius corporis agit anima, hoc agit Spiritus ſanctus in tota Eccleſia. Vnum quippe corpus & vnus ſpiritus, ſicut dicit Apoſtolus. Præter hoc corpus poteſt quidem aliquis habere vel fidem, vel baptiſmatis formam: ſed non habet vitam. Niſi enim ſpiritu intus vegeteris, fruſtra foris de forma gloriaris. Si quod membrum in humano corpore præciditur, nunquid præciſum anima ſequitur? Sic homo Chriſtianus viuit in corpore Chriſti, quouſque catholicus eſt: præciſus autem, hæreticus factus eſt.* Sed ille aduerſarius noſter ſcribit nos præciſos eſſe: ſe vero ſuoſque participes permanſiſſe in vnitate vniuerſalis Eccleſiæ. Abſit autem à nobis, vt nos exiſſemus ab ipſis: ſed ipſi exierunt à nobis. Sicut enim ſcribit ſanctus pater Auguſtinus in libro de vera religione: *Poſſet ſchiſmaticos area Dominica vſque ad tempus vltionis ventilatione velut paleas ſuſtinere, niſi vento ſuperbiæ, immo leuitate ceſſiſſent, & ſeſe à nobis vltro ſeparaſſent.* Nam quod præciſi ſint de vnitate Eccleſiaſtici corporis, teſtatur ipſe, qui in fine epiſtolæ ſuæ, ad quem cuncta, quæ dicuntur, ſolent referri, profitetur, ſe partem ſui Gregorii defendere. Vnde iterum Auguſtinus in lib. de vera religione: *Sed quia,* inquit, *in hac Dominica area pro voluntate quiſq; vel palea vel frumentum eſt, tam diu ſuſtinetur peccatum aut error cuiuslibet, donec aut accuſatorem inueniat, aut prauam opinionem pertinaci animoſitate defendat. Tenenda eſt autem nobis,* ait, *Chriſtiana religio, & eius Eccleſiæ communicatio, quæ catholica eſt, & catholica nominatur non ſolum à ſuis, verùm etiã ab omnib. inimicis, velint nolint. Nam ipſi quoq; hæretici & ſchiſmatũ alumni, quando non cũ ſuis, ſed cũ extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicã vocant. Non enim poſſunt intelligi, niſi hoc eã nomine diſcernãt, quo ab vniuerſo orbe nũcupatur. Sed apud eos,* inquit, *ſolos quærẽda eſt*

vera religio, qui Chriſtiani, catholici, vel orthodoxi nominantur: id eſt, integritatis cuſtodes, & recta ſectantes. Hæc enim Eccleſia catholica per totum orbẽ valide lateque diffuſa vtitur ad profectus ſuos omnibus orantibus, vnctione Spiritus ſancti docente de omnibus. Præter hanc Eccleſiam quicunq; eſt, Spiritum ſanctũ vtique non habet, ideoq; per prauam manus impoſitionẽ damnatio ei offertur, qui absque dono Spiritus ſancti ordinatur. Quod in ſupra memoratorũ quoque Epiſcoporum, vt non dicam conſecrationibus, ſed execrationibus factũ eſſe probatur, qui contra ſacros canones ſpiritu Dei conditos, in alienis parochiis ordinationes celebrauerunt, qui etiam contra conſenſum ſimul, & contra diſciplinam catholicæ Eccleſiæ priuata ſibi conuenticula conſtituerunt, qualium certe conuenticula ſiue ordinationes damnauit ſemper, atque damnabit omnis Eccleſia ſanctorum, ne præualeat aduerſus eam pars iniquorum. Vnde etiam Gelaſius: *Quod inceſſabiliter*, inquit, *repetendum eſt, ſicut firmum eſſe nullus ambigit Chriſtianus, omnes complices, ſectatores, communicatores damnatæ ſemel prauitatis pars ſorte cenſeri: ita conſors erit & pœna, quiſquis communicauerit alicui Eccleſiaſticarum regularũ transgreſſori.* Nullus enim Primas, nullus enim Metropolitanus, nullusque reliquorum Epiſcoporum, alterius Epiſcopi adeat parochiã, vt ibi diſponat, vel ordinet, aut iudicet quicquam: ſin aliter præſumpſerit, damnabitur: ſicut Calliſtus Papa ſcribit, & omnis Eccleſia ſanctorũ cõſentit. Quod & factum eſt de Hartuigo Magadaburgẽſi Epiſcopo: quia Sigiuuinus Colonienſis Epiſcopus damnauit eum, conſentiente in idipſum cõprouincialiũ Epiſcoporum iudicio, poſtquam nullo modo potuit adduci, vt ſatisfacere vellet Eccleſiæ pro iniuſta ordinatione cuiuſdam Reginhardi in epiſcopatu Mindenſi. Prætendebat autem ille Hartuigus poteſtatem ſui Gregorii Papæ, qua talem ſibi poſſet concedere ordinationem iuxta authoritatem ſedis Apoſtolicæ: ideoq; ſibi curæ non eſſe ſuper aliquorũ vel vocatione, vel damnatione. Ecce apponit peccatũ ſuper peccatum, & iuſtæ damnationi addit pariter eccleſiaſticæ vocationis & regularis diſciplinæ contemptũ. Igitur præter illam damnationẽ, damnatus eſt etiam idem Hartuigus cum cæteris ſupraſcriptis Epiſcopis in Moguntiacenſi Synodo, iubente id fieri Apoſtolica ſede, quum nollent reuerti ad pacem & concordiam catholicæ Eccleſiæ.

CAPITVLVM XXV.

SED ex his omnibus Epiſcopis, qui vel damnati fuerant, vel depoſiti, vnus tantum, ſcilicet Benno Miſinenſis Epiſcopus, venit ad ſedem Apoſtolicam, pro errore ſuo petiturus veniam, quam & promeruit accipere, iuxta quod ipſa mater omniũ Eccleſiarũ Romana Eccleſia ſoleat

ſe appel-

ſe appellantibus, quicquid pietatis eſt, ſemper offerre: quia *ſicut in contumacia perſiſtentibus conuenit nos eſſe ſeueros* (ait ſanctus Papa Gregorius) *ſic iterum humiliatis & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus.* Ergo Clemens Papa pœnitentem benigne ſuſcepit, & confeſſum pro errore ſuo honorifice tractauit, abeuntemq; cũ litteris Apoſtolicæ ſedis ad Henrichũ Imperatorem miſit, quem & ipſe libenter accipiens correctum dimiſit libere abire in epiſcopatũ ſuũ. Sed illa ſatisfactio vtinã fuerit pura, ſyncera atq; catholica: quoniã ſicut ſcribit Leo Papa, *ſaluberrimũ eſt, & ſpiritalis medicinæ vtilitate plenũ vt quicunq; ſe correctos videri volunt, errorẽ ſuũ, & ipſos erroris authores damnari à ſe fateantur ſine ambiguitate, vt nullum Eccleſiæ membrum peremptis ſenſibus prauæ intentionis poſſit violari talium ſocietate.* Nam certum eſt, eundem Epiſcopum Bennonẽ nihil deinceps viriliter egiſſe cum prouincialibus pſeudoepiſcopis, vel cum Principibus Saxoniæ pro conuentione & ſtudio pacis Eccleſiaſticæ, quales dicuntur à Domino per Eſaiam Prophetam *ſpeculatores cæci, canes muti, non volentes latrare:* quoniam ſicut Gelaſius Papa ſcribit: *Præuaricatoribus vtique conſentit, quisquis ſuggeſtione, qua poteſt, non reſiſtit: & qui alios ab errore non reuocat, ſeipſum*, inquit, *errare demonſtrat.* Cæterum præuaricatores Eccleſiaſticæ legis Epiſcopi, qui in ſupradicta Synodo ſunt depoſiti, & omni Eccleſiaſtica dignitate priuati, ſententiam depoſitionis ſuæ à ſede Apoſtolica prolatam paruipendunt: & ſuperbiæ ſpiritu inflati, non ſolum vetitum ſibi officium auſu temerario vſurpant, ſed etiam ſecundum Canones conceſſam ſedi Apoſtolicæ poteſtatem conantur eripere, & ſibimet eam contra Canones contendunt vſurpare: ideoque frequentibus conuenticulis pariter & ſcriptis firmauerunt ſibi hunc ſermonem nequam, vt non poſſit Romana Eccleſia alium habere Papam, niſi ſit ex parte ſui Gregorii, qui velit reſiſtere Henricho Regi, immo diuinæ ordinationi, qui etiam velit ſedem Apoſtolicam inuadere contra Wigbertum Pontificem ipſius Romanæ Eccleſiæ. Sed velint nolint partes aduerſariorum, ecce ſacri Canones conſtituerunt totius Eccleſiæ appellationes deferri ad examen ſedis Apoſtolicæ, ab ipſa vero nuſquam prorſus appellari debere, ſanxerunt: ac per hoc illam de tota Eccleſia iudicare, ipſam vero ad nullius iudicium commeare, nec de eius iudicio iudicari præceperunt: neque ſententiam illius oportere diſſolui conſtituerunt, cuius potius ſequenda decreta mandarunt. Quod ſi ita eſt, immo quia ita eſt, debuerunt procul dubio aduerſariæ partis Epiſcopi aut conſentire cum ſede Apoſtolica pro pace & vnitate Eccleſiæ: aut merito condemnari, vtpote transgreſſores iudicii ſedis Apoſtolicæ. In hoc enim vtrique conſenſerunt & Wigbertus & Rex Henrichus, atq; totius Eccleſiæ aſſenſus, vt quisquis reſiſtat paci vel Eccleſię vel Reipublicę, ſit eis ſicut ethnicus

& publicanus. *Beati*, inquit, *pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur*. Sed diſcordes Epiſcopi, quales dicuntur filii Diaboli, qui alios docent, quare ſemetipſos non docent, dicentes iuxta authoritatem Patrum debere nos timere ligari vel iniuſtè, & excommunicatis non communicare? Vnde (ſicut Gelaſius Papa ſcribit) prorſus in quamlibet ſe partem, cauſationemq́; conuertunt, manifeſtè veritatis ita laqueis ſuffocantur, vt ſuis ipſi verbis poſſint, actionibusq́; concludi, nec niſi ſolam perniciem obſtinatæ perfidiæ reſiduam ventilare. Ecce enim quorum vulgata tranſgreſſio eſt, per vnum ſcribentem proponũt nobis ſanctorum Patrum teſtimonia, quæ ſunt circa eos, qui iungunt ſe excommunicatis communione aliqua. *Quod autem*, inquit, *excommunicatis non ſit communicandum, audiamus ſanctum Caliſtum Papam: Excommunicatos à ſacerdotibus nullus recipiat ante vtriusq; partis examinationem iuſtam, nec eis in oratione aut cibo vel potu aut oſculo communicet, nec Aue eis dicat*. Vrbanus Papa: *Valde timenda eſt ſententia Chriſti, licet iniuſtè aliquem liget, quod tamen ſummoperè præuidere debet.* Gregorius in Homeliis: *Vtrum iuſtè aut iniuſtè obliget paſtor, paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt, ne is qui ſubeſt, & quum iniuſtè forſitan ligatur, ipſam obligationis ſuæ ſententiam ex alia culpa mereatur. Paſtor ergo vel abſoluere indiſcretè timeat, vel ligare. Is autem, qui ſub manu paſtoris eſt, ligari timeat, vel iniuſte, nec paſtoris iudicium temerè reprehendat: ne & ſi iuſte ligatus eſt, ex ipſa tumidæ reprehenſionis ſuperbia culpa, quæ non erat, fiat.* Idem Gregorius Presbyteris, Diaconis, Nobilibus, & populo Iadetæ: *Peruenit ad me quoſdam veſtrorum ignorantia vel neceſſitate deceptos, his qui ab Apoſtolica ſede culpa (ſicut noſtis) exigente communione priuati ſunt, communicaſſe, quoſdam verò ſalubri diſcretione protegente Domino ſuſpendiſſe: & quantum de conſtantibus gaudeo, tantum de deuiantibus ingemiſco: quoniam ſacræ communionis myſteria, quæ ad ſalutionem nobis diuina pietate conceſſa ſunt, in detrimentum animæ ſuæ magis receperunt. Et quia ſic (vt vobis omnipotens Deus innoteſcat) vehementer charitati veſtræ, & medullitus ex toto compatior paterno affectu; obteſtor atq; ſuadeo, vt ab illicita ſe quiſq; communione ſuſpendat: & quos Apoſtolica ſedes in cõſortio communionis ſuæ non recipit, omnino refugiat, ne inde reus ante conſpectũ æterni iudicis, vnde poterat ſaluari, conſiſtat.* Idem Ianuario Epiſcopo Sardiniæ: *Eis vero, qui ab eccleſiaſtica cõmunione ſunt ſuſpenſi, nullus religioſius ſecundũ Canonũ præcepta iungatur: ſed nec illis cõmunicandum eſt, qui cõmunicant excommunicatis.* Gelaſius cõtra fautores Acatii: *Nihil nobis comune cum hominib. cõmunionis externæ, nec prætendat quiſquam, quod alicui forſitan euidentiori non cõmunicaſſet, vel cõmunicare videatur heretico. Quid enim iuuat, ſi illi communicet: & his tamen cõmunione iungatur, qui ab illius non ſunt communione diuerſi? Quid profuit, quod videri volebat illi palam nõ cõmunicare, cui per ſuos complices nectebatur?* Hęc quidem ſanctorũ Patrum teſtimonia amplectimur, ea qua dignũ

eſt, veneratione: ſed nimium, nimiumq́ue non expaueſcimus ea pro huius temporis confuſione, quando hæreticorum ſimul, catholicorumq́; confeſſione permiſta, cuncta veræ & ſynceræ religionis turbantur, catholicaque & Apoſtolica puritas confunditur. Ecce enim Hartuigus Magadaburgenſis Epiſcopus, qui ſemel ac ſecundo damnatus eſt (ſicut verè ſuprà diximus) ipſe videns diutius nō poſſe contra Imperatorem Epiſcopatum ſuum repugnando ſibi vindicare, ſimulabat cum eo pactum pacis facere, & ſupplicem ſe ac deuotum ei offerre. Qui etiam, vt facilius promereri poſſet Epiſcōpatum ab Imperatore, promittebat cunctos Principes, qui adhuc eſſent cum eo diſcordes, in gratiam eius reducere. At Imperator præ nimio amore pacis, non conſiderans, quia lupos in ouile ouium intromittere, hoc non ſit conſuluiſſe Eccleſiæ vel Reipublicæ, acceptis iuramentis ſuper promiſſæ fidei firmitate, reddidit ei iniuſtè Epiſcopatum abſque ſynodali conuentione, & abſque cōſenſu ſedis Apoſtolicæ. Quod factum eſt quarto anno poſtquā iuſtè depoſitus eſt ſynodali iudicio. Tum verò ille Hartuigus nactus occaſionem, qua poſſet habere liberum hinc inde introitum ſimul & exitum, cœpit redire ad conſuetæ factionis exercitum, & traducere Epiſcopos & Principes totius regni ad partem ſui Papæ Gregorii: & vt auctius reſuſcitaret ac nutriret ipſius incendia Hildebrandi iamdiu defuncti, primo quidem per clandeſtina colloquia, deinde per contracta vndecunque poterat conuenticula ſermonem intulit de excommunicatione Imperatoris; de iniuſta (vt ipſe dicebat) ſucceſſione Wigberti ad Pontificatum Apoſtolicæ ſedis: valde autem periculoſum fore cum eiuſmodi hominibus communionem aliquam habere: Imperatori verò promiſſam fidem & promiſſum ſeruitium libenter conſeruare, ſi velit publicè confiteri, ſe vinculo anathematis ligatum eſſe, & inde ſolui per participes ſui Gregorii Papæ: ſi etiam velit Wigbertum deponere, alioquin ſe pœnitere, quod vel viderit hominem excommunicatum, cui nunquam debeat communicare aliquis fidelium. Hæc ſæpius memorando, ſollicitabat animos plurimorum, quum iam poſſet fieri pax Eccleſiarum: niſi ipſe Hartuig, iuxta nomen ſuum, durum eis renouaſſet bellum. Ergo plurimi etiam Epiſcoporum, qui damnauerant in Synodo eundem Hartuigum, & in damnatione eius ſubſcripſerant, iuxta Apoſtolicæ ſedis decretum, ipſi non ſolùm in communionem eum abſque ſynodali conuentione receperunt: ſed etiam aliqui eorum contra Imperatorem ſimul, & contra ſedem Apoſtolicam cum eo conſpirauerunt, vt iam ex multitudine præuaricationis illorum, qui eiuſmodi ſunt Epiſcoporum, iuſtificata quodammodo videatur leuitas Græcorum, *apud quos* (ſicut Gelaſius Papa ſcribit) *facilis & inculpabilis putatur eſſe permiſtio, quod apud eos nulla ſit veri falſiq́; diſcretio: & cū velint omnibus re-*

Hartuigus epiſc. Magdeburg.

Hartwich.

probis eſſe communes, in nulla monſtrentur probitate conſiſtere. Hinc hæreticorum ſimul catholicorumq́ue confeſſione permiſta, cuncta veræ & ſynceræ religionis turbantur, catholicaq́ue & Apôſtolica puritas confunditur. Gelaſius: *Aut catholici*, inquit, *aut hæretici erant, de quibus illa paſſim latrocinia deteſtanda ſæuiebant. Si hæretici, prodi, diſcuti, & legitimè conuinci modis omnibus debuerant, vel ſuis confeſſionibus, vel aliorum vocibus confutari.* Sed mirentur alii, quod de illo quoque Hartuigo verè ſecundum literam poſſit intelligi hæc per Eſaiam Prophetam ſententia Domini: *Nunquid iſte eſt vir, qui conturbauit terram, qui concuſſit regna, qui poſuit orbem deſertũ, & vrbes eius deſtruxit? Tu enim*, inquit, *terram tuam diſperdidiſti. tu populum tuum occidiſti.* Hæc (inquam) mirentur alii in hoc, de quo nunc agitur, viro: nos autem miramur in illo, quod tam ſtultus paſtor potuit tot ſacerdotes, & tantum populũ poſt ſe in perniciem trahere, vtpote qui nullius ferè eſt literatoriæ eruditionis, vel ſcientiæ: niſi quod iam myſteriũ illius ſtulti paſtoris (hoc eſt, Antichriſti) operatur in illo, de quo ad Zachariam Prophetam dicitur à Domino: *Adhuc*, inquit, *ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti, quia ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra qui derelicta non viſitabit, diſperſum non requiret, & contritum non ſanabit, & id quod ſtat, non enutriet, & carnes pinguiũ comedet, hoc eſt, virtutes ſanctorum, & in ſuæ corpus malitiæ traiiciet.* Ecce enim contigit in diebus illis Imperatorem celebrare apud Mogontiam natiuitatem Domini, vbi aderant cum eo aliquot Epiſcopi, & quidam de Principibus regni. Aderat etiam ibi ille Hartuigus, cui tunc non ſolùm communicauit quiſq; præſens Epiſcopus, clerus & populus, ſed etiam Ruothardus, qui ante aliquot mẽſes poſt obitum Wezelini ordinatus eſt Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, ceſſit ei in ordine, & officio ſuo, & conſenſit indigno modo, vt ad initia nocturnalium lectionũ ſolitas benedictiones faceret in tam celebri conuentu, & in tam celebri nocte natiuitatis Domini. Sic verò, ſi nunc promulgatrix eſt, aut exequutrix ſanctorum Canonum Moguntina quoq; Eccleſia, non attendens, ſiue paruipendẽs quid geſtum ſit in ea, & quid geſſerit ipſa, quomodo ille Hartuigus iudicatus & damnatus ſit in ea. Pro huiuſmodi ſcribit Gelaſius Papa contra fautores Acatii: *Hæc eſt*, inquiens, *illa miſtura, hæc eſt illa confuſio, quæ per totum hoc regnum inter catholicam hæreticamq́; communionem nulla eſt diſcretio. Ideoq́; ſicut quiſquis*, ait, *ab hac colluuione cunctorum ſeparatus, eſt ſyncera communionis, & ideo catholicus comprobatur: ita quiſquis illius deteſtandi commercij particeps inuenitur, quantum à ſyncera communione, tantum à catholica atq; Apoſtolica remotus eſt confeſſione.*

Ruothardus Moguntin.

CAPITVLVM XXVI.

ECCE proponunt nobis aduerſarii pro ſuæ partis confirmatione, vt

debeamus

debeamus timere ligari vel iniuſtè: ſed qui alios docent, ſemetipſos non docent. Igitur conuincit veritas, iuſtitia & iudicium, quia iuſtè damnatus eſt ille Hartuigus iuxta meritum ſuum. Vnde & Dominus dicit ei per Malachiam Prophetam, & cæteris, qui irritum fecerunt pactum Leui, pactum ſcilicet vitæ & pacis: *Maledicam*, inquiens, *benedictionibus veſtris, & maledicam eis, quoniam legem meam ſuper cor non poſuiſtis.* Poſt illos autem dies, quibus hæc, quæ diximus, facta ſunt Moguntiæ, concelebrata eſt etiam Coloniæ per eundem Hartuigum ordinatio Adalheidæ Reginæ. Sed & ſi Herimannus Colonienſis Epiſcopus pro affectu cōſanguinitatis, qua proximè attingebat eum, non eſt recordatus damnationis, qua deceſſor eius Sigiwinus damnauerat eum: tamen Colonienſis Eccleſia, quæ vtiq; damnationi eius conſenſerat, communionem eius vitare debuerat: quoniam nihil intereſt, verum ei aliquis communicet, qui eiuſmodi eſt: ſiue illi iungatur communione, qui diuerſus non eſt ab illius hæretici communione. *Sic*, inquit Gelaſius, *ſic paſſim omnia licitè fieri à quocunque videntur, & nullum diſcrimen rerum, nulla examinatio Eccleſiæ poſtulatur, ſed vbique hæretici intromittuntur, & nemo reſultat: ſed velut muta pecora in captionem ducta, ſubditis voluntatibus perfidiam ſectantur.* Iam verò apparet, quantam perniciem generet, quod ſacri Canones negliguntur, quod imperiti, indigni, ſimoniaci, neophyti, Eccleſiis præficiuntur: quales quum nō poſſint ſcientia & doctrina, atque aliis operibus bonis innoteſcere, præſumūt ſceleribus oſtendere ſe aliquid eſſe vel poſſe, & inter cætera extollunt ſe contra regiam poteſtatem, immò contra Dei ordinationem: & qui, vtpote militantes Deo, non debuerant ſe vel negotiis ſecularibus implicare, vſurpant ſibi regnum ordinare & regere, qui debuerant Eccleſiarum rectores eſſe, & ſeſe exemplum humilitatis omnibus præmonſtrare. Sic enim diſcreuit Chriſtus vtriuſque poteſtatis officia, Regum ſcilicet atque Pontificum, quatenus ſpiritalis actio à temporalibus diſtaret incurſibus, & Deo militans minime ſe negotiis implicaret ſecularibus: ac viciſſim nō ille rebus diuinis præſidere videretur, qui eſſet implicatus negotiis ſecularibus. Vnde idem, qui hæc ſcripſit, Gelaſius, conſequenter diſcernit quoque iudicia Eccleſiæ à regiis diſpoſitionibus: *Quo*, inquit, *more, quo ritu aliquis damnatorum prætenditur abſolutus, quum nec à Pontificibus legitime, & Eccleſiaſticis legibus fuerit expeditus, nec à ſeculari poteſtate potuerit præter Eccleſiæ tramitem prorſus abſolui. Quantum enim ad religionem pertinet, non niſi Apoſtolica ſedis iuxta Canones debetur totius ſumma iudicij: quantum autem ad ſeculi poteſtatem, ille à Pontificibus, & præcipuè à beati Petri vicario debet cognoſcere, quæ diuina ſunt, non eadem iudicare: nec ſibi hoc quiſquam potentiſſimus ſeculi, qui tamen Chriſtianus eſt, vendicare præſumit.* Et idem Gelaſius contra Acatium, immo contra omnem Epiſcopum, qui aliquid e-

iuſmodi vſurpat ſibi contra ſedis Apoſtolicæ decretum : *Quum conſtet, ſemper ſedis Apoſtolicæ iudicio huiuſmodi perſonas aut diſcuſſas eſſe, vel purgatas: aut ſic ab aliis, quibus competebat, Epiſcopis abſolutas : vt tamen abſolutio earum ex ſedis Apoſtolicæ conſenſione penderet; vbi vtrumque defuerit, nec diſcuſſionem legitimam, nec purgationem firmam, ac per hoc receptionem conſtat fuiſſe indebitam. Ecce interim in his*, inquit, *cauſa veſtra nutat & labitur: & ſi hæc ſola ſit, prorſus tota ſubruitur.* Nobis autem auſi ſunt Canonum facere mentionem, contra quos ſemper ambitionibus, ſemper illicitis effeciſſe exceſſibus monſtrantur, immo ſi cauſa eadem latius inquiratur, tantæ illic tragœdiæ, tanti reperiuntur errores, vt ſi ipſi ſint iudices, qui eadem perpetrarunt, quum euidenter fuerint confutati, à ſui damnatione non temperent..

CAPITVLVM XXVIII.

IGITVR non licet alicui Chriſtiano occidere quenquam, immo nec odiſſe: quoniam iuſtitia Phariſæorum eſt non occidere, non peierare: ſed, *Amen dico vobis*, ait Dominus, *quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquã Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et ad Noe atque ad filios eius: *Qui effuderit*, inquit, *ſanguinem hominis; pro ſanguine eius effundetur ſanguis illius. Anima quippe omnis carnis eſt in ſanguine.* Ideoque etiam, quiſquis per ſcandalum, ſiue peruerſitate doctrinæ effuderit illud vitale, quo homo vegetatur, viuit & ſuſtentatur, in die iudicii effundetur ab eo: hoc eſt, quod ſibi videbatur habere vitale, cogetur amittere. Ergo per totum ferè hoc tempus memoriæ noſtræ effunditur ſanguis hominum per viros hominum, quod fit præcipuè ex inſtinctu Epiſcoporum aduerſæ partis, *vt iam manifeſtentur opera carnis, quæ ſunt inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, hæreſes, inuidiæ, homicidia, & his ſimilia: quæ prædico vobis*, ait Apoſtolus, *ſicut prædixi, quoniam qui talia agũt, regnum Dei non conſequentur.* Propter hæc comprimenda ſacerdotale iudicium, quod cruentas refugit vltiones, ſeueris Chriſtianorum Principum conſtitutionibus adiuuari debet: ſicut Leo Papa docet, quia timentes corporale iudicium, nonnunquam ad ſpiritale recurrunt remedium. Sed vt paſſim omnia licitè fiant, ipſi aduerſæ partis Epiſcopi regiam poteſtatẽ, immo diuinam ordinationem euertere parant, quum de his quoque, qui poſt baptiſmum aut tormenta ſola exercuerunt, aut etiam capitalem ſententiam protulerunt, ſic ſcribit ſanctus Papa Innocentius, quod de ipſis nihil definitum ſit à maioribus: *Meminerant enim*, inquit, *à Deo poteſtates has fuiſſe conceſſas, & propter vindictam noxiorum gladium fuiſſe permiſſum, & Dei miniſtrum eſſe datum in huiuſmodi vindicem. Quomodo ergo repre-*

henderent

henderent factum, quod anthore Deo viderent eſſe conceſſum? De his ergo, inquit, vt hactenus ſeruatum eſt, ſic habemus, ne aut diſciplinam euertere, aut contra authoritatem Domini venire videamur: quia ipſis in rationem reddendam geſta ſua omnia ſeruabuntur.

CAPITVLVM XXVIII.

AT memoratus Hartuig, vt euerteret regiam poteſtatem, immo diuinā ordinationem, militauit cum ſuis conſortibus Epiſcopis per multas expeditiones contra Henrichum Regem: quarum nulla magis ad viuum nos tetigit, quam illa, quando ad locum Herosfeldiæ poſuit caſtra. Herſfeld. Specialiter enim ipſe præ cæteris Saxonibus odio habebat eundem locū Herosfeldiæ, ideoq; ciuitatē & ſancta noſtra quærebat omnibus modis deſtruere. Nam Abbas eiuſdē loci, dictus quoq; & ipſe Hartuigus, ſucceſſerat illi damnato, & depoſito in Epiſcopatū Magdaburgēſis Eccleſię, Imperatore & cæteris Principibus regni plurimū annitentibus ſuper electione eius & ordinatione, quoniā præter id, quod adprime inſtructus & eruditus eſt tam moralibus diſciplinis, quā ſacris ſcripturis, in hoc quoq; ipſe placuerat eis: quia id quod Imperator non potuit efficere totis viribus regni, hoc ipſe perfecit ex induſtria ſapiētis ingenii: ſcilicet vt diuideretur vnitas peruerſorum, quum non poſſet per diſciplinā rei militaris emolliri duritia Saxonum, vel reſcindi ſocietas Thuringorum. Sicut enim eſſe noxium ſolet, ſi vnitas deſit bonis: ita pernicioſum eſt, ſi non deſit malis. Peruerſos quippe vnitas corroborat, dum concordat: & tanto magis incorrigibiles, quanto vnanimes facit. Vnde etiam Paulus conſpiciens pernicioſam ſibi eſſe vnitatem reproborum, diuidere curat turbam Saducæorum & Phariſæorum: quumque in duas partes tumultuantium multitudo diuiditur, ei via ereptionis aperitur: quia quem turba perſequentium vnita conſtrinxerat, diuiſa laxabat. Eripiuntur etenim iuſti, dum diuiduntur iniuſti: & electorum vota ad perfectum perueniunt, dum reproborum agmina per diſcordiam confunduntur. Igitur facta diuiſione aduerſariorum, qui per multos iam annos repugnauerant contra Eccleſiā pariter, & contra rempublicam: illi vero, qui declinauerant poſt Imperatorē, pepererunt ei incruentam de hoſtibus victoriam: quoniam quum timerent hinc à comprouincialibus vrgeri, illinc ab Imperatore, qui iam circa Calend. Iulii cum exercitu aderat, impugnari, deditionem fecerunt omnes & Saxones & Thuringi, præter pauciſſimos, qui audito aduentu Imperatoris fugerant vltra flumen Albiam cum ſuo Rege Herimanno: qui etiam, vtpote reus maieſtatis atque hoſtis Eccleſiaſticæ pacis, damnatus eſt in ſupradicta Moguntiacenſi Synodo. Cuius fugæ vel

authores vel comites erant Epiſcopi aduerſæ partis. Ideoque Imperator tanto iuſtius decreuit ſubſtitui catholicos Epiſcopos deſtitutis Eccleſiis, quanto euidentius appareret ipſos deſertores Eccleſiarum locum etiam tenere mercenariorum, qui veri fuiſſent hæretici, iidemque magiſtri multorum ſcelerum. Sicut enim ſanctus Gregorius docet: *Mercenarius eſt, qui ſtare in periculo ouium non poteſt: qui in eo, quod ouibus praeeſt, non oues diligit, ſed lucrum terrenum quærit.* Igitur fugitiuo illi, & hæretico Hartuigo ſucceſſit catholicus Hartuigus in Epiſcopatum Magadaburgenſis Eccleſiæ, quem poſt electionem cleri & populi ipſius Eccleſiæ ordinauit ſuffra-
1085. ganeus eius Diedo * Epiſcopus, Anno MLXXXV. ab incarnatione Domini, III. Idus Iulii. Ad cuius ordinationem præſens erat Imperator Henrichus: ibiq; & præſens erat Wezelinus Moguntinæ Eccleſię Archiepiſcopus, & Sigiwinus Colonienſis Archiepiſcopus, atque alii plures Epiſcopi, quos enumerare longum duximus, ſtudētes breuitati. Sed poſtquam Imperator dimiſit exercitum, paulo pôſt Saxones atq; Thuringi ad ſolitæ infidelitatis redierunt ingenium, atque poſt duos ferè menſes promiſſæ fidei & pacis per interpoſitionem iuramentorū immemores, compulerunt Imperatorem per vim bellici tumultus, diſcedere ex Saxonia cum catholicis Epiſcopis, aperientes iterum hæreticis aditum introeundi ad ouile ouium, vt pro paſtoribus lupi dominarentur eis. Poſt hæc anno altero, quum iam ſimili modo, (ſicut frequenter factum eſt) eluſus fuiſſet Imperator per Saxonum atq; Thuringorum perfidiam, qui vſq; ad Botam fluuium cum exercitu ſuo tunc peragrauerat vtrorumq; prouinciam, compoſita pace iuxta conditiones, quas Principes vtrinq; æquas & vtiles iudicaſſent, diſceſſit inde propter inſtantem Quadrageſimam. Sed amatores contentionis ac diſcordiæ pſeudoepiſcopi Saxoniæ, quærebant ſolito pacis conditiones interrumpere, cupientes magis perfidia & periurio ſecum omnes teneri, quam pacem fieri: ideoque non iam (ſicut antea) volebant euentum belli expectare intra prouincias vel Saxoniæ, vel Thuringię: ſed audebant illud extra fines ſuos in vlteriora regni transferre, vbi poſſent communicata cum Sueuis ſcelera aduerſus Eccleſiam pariter, & aduerſus Rempublicam committere: iuxta quod factum eſt in Epiſcopatu Wirziburgenſis Eccleſię, vbi pugnatum eſt contra Imperatorem Henrichum,
1086. quinta iam vice, Anno ſcilicet MLXXXVI. ab incarnatione Domini, III. Idus Auguſti. Huius pugnæ cauſa extitit, quia ipſam ciuitatem Wirziburg ex obſidione hoſtium Imperator liberare voluit: ſed dolus magis quàm virtus victoriam hoſtibus peperit. Veruntamen non magis cum hoſtibus, quam cum proditione ac perfidia ſociorum dimicatum eſt: quæ dimicatio maior atque periculoſior eſt. Nam acies Colonienſis atq; Traiectenſis militiæ, ex compoſito auertit ſe, & fugit, vt erat inter principia

contra

contra hoſtes ordinata: quæ ſociorum defectio fregit animos cęterorum in re tam trepida, tamque inopinata: ac perinde ſubtractis vndiq; per fugam equitum ſubſidiis, verſum eſt in pedites totum pondus prælii. Quibus deinde nec pugna conſtare, nec fuga ſine magna cæde potuit explicari. Tum fortè captus eſt ibi quidam clericus Wezelini, Moguntini Archiepiſcopi, nomine Reginherus, quem aduerſarius ille Chriſti & Eccleſiæ Hartuig corripuit: quod qui ſub priore Epiſcopo Sigefrido ſui partē Papę Gregorii conſtantiſſime defenderit, regemq; Henricum, omnesq; fautores eius proniſſime abominatus ſit, nunc quaſi per fugam quidem ad iniuſtitiam reuerſus ſit: ac deinde eum circa occiſorum corpora circumduxit, atq; gloriãdo dixit: *Ecce modo apparet, ecce modo apparet, vbi iuſtitia ſit, quum apud nos*, inquit, *victoria ſit*. Sed iuſtitia & pax oſculatæ ſunt ſe, quoniam neutra poteſt abſq; altera eſſe. Studium autem & gloria eſt eorum, qui pertinēt ad terrenam ciuitatem, effundere humanũ ſanguinē, quum filii pacis hi ſint filii Dei. At illius ſanguineæ crudelitatis Epiſcopi

Nulla loci facies reuocat feralibus aruis
Hærentes oculos, celſos cumulis æquantia colles
Corpora, ſidentesq; in tabem ſpectat aceruos.

Certè talis vir ſanguinum alienus eſt, hoſtis eſt, quem ſenſus doloris nō tetigit in proſtratis fratribus: iuxta quod in libro de Lapſis ſcribit ſanctus Cyprianus Epiſcopus: *Quid faciam*, inquit, *dilectiſſimi fratres, fluctuans vario mentis æſtu? Quid, aut quomodo dicam, lachrymis magis quàm verbis opus eſt ad exprimendum dolorem, quo corporis noſtri deflenda eſt plaga, quo populi aliquando numeroſi multiplex lamentanda eſt iactura. Quis enim ſic durus ac ferreus, quis ſic fraternæ charitatis oblitus, qui inter ſuorum multiformes ruinas, & lugubres, ac multo ſqualore deformes reliquias conſtitutus, ſiccos oculos tenere præualeat, nec erumpente ſtatim fletu prius gemitus ſuos lachrymis quàm voce depromat? Doleo, fratres, doleo vobiſcum, nec mihi ad leniendos dolores meos integritas propria & ſanitas priuata blanditur, quando plus paſtor in gregis ſui vulnere vulneratur. Cum ſingulis pectus meum copulo, mœroris & funeris pondera luctuoſa participo, cum plangentibus plango, cum deflentibus defleo, cum iacentibus iacere me credo. Iaculis illis graſſantibus inimici, mea ſimul membra percuſſa ſunt, ſæuientes gladij per mea viſcera tranſierunt. Immunis ac liber fuiſſe a perſequutionis incurſu non poteſt animus in proſtratis fratribus, & me proſtrauit affectus.* Et vnde eiuſmodi cladis tempeſtas emerſerit, ſtatim ſubiungendo oſtendit: *Habenda tamen eſt*, inquit, *fratres dilectiſſimi, ratio veritatis: nec ſic mentem debet, & ſenſum perſequutionis infeſta tenebroſa caligo cœcaſſe, vt nihil remanſerit lucis ac luminis, vnde diuina præcepta perſpici poſſint. Si cladis cauſa cognoſcitur, & medela vulneris inuenitur. Dominus probari familiam ſuam voluit: & quoniam traditam nobis diuinitus diſciplinam pax longa corruperat,*

iacentem fidem, & prope dixerim dormientem, cenſura cœleſtis erexit: quumque nos peccatis noſtris amplius meremur, clementiſſimus Dominus ſic cuncta moderatus eſt, vt hoc omne, quod geſtum eſt, exploratio potius quam perſequutio videretur. Studebant augendo patrimonio ſinguli, & obliti quid credentes aut ſub Apoſtolis ante feciſſent, aut ſemper facere deberent, inſatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incumbebant. Non in ſacerdotibus eſt religio deuota, non in miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina, corrupta eſt in viris barba, in fœminis forma fucata, adulterati poſt Dei manus oculi, capilli mendacio colorati, ad decipienda corda ſimplicium callidæ fraudes, circumueniendis fratribus ſubdolæ voluntates, non iurare tantum temere, ſed adhuc etiam peierare, præpoſitos ſuperbo tumore contemnere, venenato ſibi ore maledicere, odiis pertinacibus inuicem diſſidere. Epiſcopi, inquit, *plurimi, quos & hortamento eſſe oportet cæteris, & exemplo diuina procuratione contempta, procuratores rerum ſecularium eligant fieri: & derelicta cathedra, plebe deſerta, per alienas prouincias oberrantes, negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari, eſurientibus in Eccleſia fratribus habere argentum largiter, vel fundos inſidioſis fraudibus capere, vſuris multiplicantibus fœnus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis eiuſmodi meremur, cum iam pridem præmonuerit ac dixerit cẽſura diuina: Si dereliquerint legẽ meam, & in iudiciis meis nõ ambulauerint, ſi iuſtificationes meas profanauerint, & præcepta mea nõ obſeruauerint, viſitabo in virga facinora eorũ, & in flagellis delicta eorum: prænuntiata ſunt iſta nobis, & ante prædicta: ſed nos datæ legis & obſeruationis immemores id egimus per noſtra peccata, vt dum Domini mandata contemnimus, ad correptionem delicti & probationẽ fidei remediis ſeuerioribus veniremus. Nec ſaltem ſero conuerſi ad Domini timorem ſumus, vt hanc correptionẽ noſtram, probationemq́ diuinam patienter & fortiter ſubiremus.* Et in libro de vnitate Eccleſiæ idem Cyprianus Epiſcopus: *Vnitatem,* inquit, *ſimul & dilectionẽ magiſterio ſuo Chriſtus docuit. Prophetas omnes, & legem præceptis duobus, Dei videlicet dilectione, & proximi, incluſit. Quam vero vnitatem ſeruat, quam dilectionẽ cuſtodit aut cogitat, qui diſcordiæ furore veſanus Eccleſiam ſcindit, fidem deſtruit, pacem turbat, charitatem diſſipat, Sacramentum profanat? Malum hoc, fideliſſimi fratres, iampridẽ cœperat: ſed nunc creuit eiuſdẽ mali infeſta clades exurgere, ac pullulare plus cœpit hæreticæ prauitatis & ſchiſmatum venenata pernicies.*

CAPITVLVM XXIX.

HÆc memorat ſanctus Cyprianus Epiſcopus, veraciter deſcribens quæ fiunt noſtris quoque temporibus. Non ſolum enim Eccleſia per hæreſes & ſchiſmata diuiditur, & pax vndique turbatur: ſed etiã aduerſæ partis Epiſcopi gaudent & lætantur ſuper effuſione humani ſanguinis,

guinis, quia non habent viſcera fraternæ dilectionis. Quiſquis autem creaturam Dei hominem non diligit, odit: neq; enim odio dignum æſtimat, niſi quod malum eſſe iudicat. Hæreſis quidem Manichæorum putat humanæ naturæ originem eſſe à principe tenebrarum, aſſumens in teſtimonium ſui erroris quod dicit in Euangelio Dominus: *Vos ex patre Diabolo eſtis*. Bona eſt quippe omnis natura, ſed per voluntatem malam vitiata eſt hominis natura. Sed vnde dixerit Dominus ad Iudęos, qui iam quęrebant eum occidere: *Vos ex Diabolo eſtis*: vnde hoc inquam dixerit, oſtendendo ſubiungit: *Et deſideria patris veſtri vultis facere*. Quæ ſunt illius deſideria: *Illi*, inquit, *homicida erat ab initio*. Imitantur autem eum, qui ſunt ex parte illius: ac perinde dicuntur filii eius, quia ſunt imitatores homicidii illius, qui non gladio armatus, non ferro accinctus ad primum hominem venit, verbumque malum ſeminauit, & occidit. Similiter & occidit eum qui perſuadet alicui mala, ſecundum quod dicit Pſalmiſta: *Filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus*. Ecce enim ille Hartuig dictus quondam Magadaburgenſis Metropolitanæ ciuitatis Epiſcopus, perſuaſit plurimis certe effundere ſanguinem hominum: qui & fecit cædem plurimorum per manus ſibi obſequentium, cum quibus & poſt victoriam, de qua ſupra diximus, introduxit Adelberonē in Wirtziburg ciuitatē quondā ſui Epiſcopatus, quā amiſerat primo quidem proprio iudicio damnatus, deinde Eccleſiæ etiam iudicio condemnatus atq; depoſitus, poſtquam poſuit partē ſuam cum hypocritis atq; infidelibus: quoniā ſicut Cyprianus Epiſcopus ſcribit, *Quiſquis vnitatis concordiam ſcindit, ac fidem, primam perfidiam poſteriore mutauit*. Hic ſane Adelbero præclarior erat cæteris ſuæ partis Epiſcopis & nobilitate pariter & ſcientia, ac religione ſimul & ætate, vtpote qui iā obiit circa quadrageſimum annum ordinationis ſuæ. Hic ergo cùm fuiſſet etiam particeps electionis pariter & ordinationis Rudolfi Regis contra legitimum Regem Henrichum, ne cum ſe contingeret videre vel alloqui, ſponte dimiſit Epiſcopatum ſuum, & fugit ad altitudines montium, oblitus ſane quomodo ſolet Eccleſia cū Pſalmiſta dicere contra altitudinē doctrinę hęreticorū: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem ſicut paſſer?* id eſt, ſicut prudens? Latuit enim hic Adelbero in altiſſima quadam munitione, quæ dicitur Latine Mons vini: & Weilitoberg. licet ſæpius offerretur ei legatio Henrichi Imperatoris & ſupplicatio cōmiſſi gregis, vt reuerteret ad cuſtodiā ſui Epiſcopatus, noluit tamē reuerti. Ecce ſcribit Iſidor. Epiſc. in VIII. libr. Etymol. *Montani*, inquiēs, *heretici dicti ſunt, quod tēpore perſecutionis in montib. latuerūt, & ea occaſione ſe à catholica Eccleſia corpore diuiſerūt*. Quod ſi tales fuerūt hæretici fugientes perſecutionē, quid illi qui oderunt pacē, & ſponte dimiſerūt Eccleſiæ vnitatē?

Quis verò cuſtodiet oues à luporum inſidiis, quando deſerit eas cura paſtoris? *Qua conſcientia*, inquit Leo Papa, *honorem ſibi ſacerdotii praſtitum vendicant, qui pro animabus ſibi creditis non laborant? Conſiderent*, ait, *milites Chriſti, iccirco ſe cotidie calicem Chriſti ſanguinis bibere, vt poßint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem fundere.* Hoc eſt enim velle cum Chriſto inueniri, id quod Chriſtus & docuit & fecit, imitari, ſecundum Ioannem Apoſtolũ dicentem: *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Ergo Chriſtus daturus ſanguinẽ ſuum pro ſalute totius mundi intrauit Hieruſalem cum turbis, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur clamantes Oſanna, quæ & ſternebant ei in via veſtimenta ſua, humilitatis & iuſtitiæ inſignia, ſimul & ramos palmarum prætendentes pietatis opera. Sed Adelbero introiuit cum viris ſanguinum in ciuitatem Wirtziburg fugato inde Meginhardo Epiſcopo ſucceſſore ſuo, atque Imperatoris præſidio. Tum quidem decimus erat annus, poſtquam idem Adelbero fugerat de Wirtziburgenſi Eccleſia, immo de catholica Eccleſia: Et quamuis ſæpè ab Eccleſia, ſæpè ab Imperatore ad priſtinum dignitatis ſuę locum ſit reinuitatus, reuerti tamen noluit, niſi fortaſſe eo, quo dictum & factum eſt modo, Epiſcopatum ſuum ſanguine multorum hominũ redimere contigerit. Ecce de eiuſmodi ſcribit Cyprianus Epiſcopus de vnitate catholicæ Eccleſiæ: *Auerſandus eſt*, inquiens, *talis atq; fugiendus, quiſquis fuerit ab Eccleſia ſeparatus; peruerſus eſt huiuſmodi, & peccat, & eſt à ſemetipſo damnatus. An ſibi aliquid eſſe cum Chriſto videtur, qui aduerſus ſacerdotes Chriſti facit, & qui ſe à clero eius, & plebis ſocietate ſecernit? Arma ille contra Eccleſiam portat, contra Dei diſpoſitionem repugnat, hoſtis altaris, aduerſus ſacrificium Chriſti rebellis, pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus, inobſequens ſeruus, filius impius, frater inimicus, cõtemptis Epiſcopis, & Dei ſacerdotibus derelictis conſtituere audet aliud altare, precẽ alterã illicitis vocibus facere, Dominica hoſtia veritatẽ per falſa ſacrificia profanare, neſcire: quoniã qui contra ordinationẽ Dei innititur, ob temeritatis audaciã diuina animaduerſione punitur.* Hæc & alia quæ plurima ſcribit ſanctus Cyprianus Epiſcopus in lib. de vnitate catholicę Eccleſię: hæc (inquã) valde neceſſaria ſunt contra eos qui nõ ſolũ voce, ſed & ſcriptura profitentur ſe defendere partẽ ſui Gregorii Papæ. Reliquit ergo Eccleſiã Adelbero, qualẽ ſcilicet Eccleſiã deſpondit Paulus Apoſtolus vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto: & ſeceſſit inde ad ſupradictam munitionem, quæ dicitur Mons vini, vbi & celebrauit ſacrificium & orationem præter altare, & communionem Eccleſiæ catholicæ Dei. Si enim hæreditas Eccleſiæ eſt pax, & patria eius eſt pax, igitur & regnum illud Dei patris, quod cotidie rogat Eccleſia vt adueniat, eſt pax. *Pacem*, inquit, *relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Vnde conſtat, precem alteram illicitis vocibus feciſſe, & Dominicæ hoſtiæ veritatẽ

per falſa ſacrificia eum profanaſſe, qui non precatur pro pace Eccleſię: quã ſcilicet pacem noluit ille Adelbero vel tunc recipere, quando intra ciuitatem Wirtziburg obſeſſus potuit capi quidẽ, vel occidi: ſed nullo modo flecti, vt vellet Imperatorem videre, vel alloqui: per quod deſtrui quoq; cernitur gratia Dei, qua creati ſumus, quam & cum impiis quoque communionem habemus, cum quibus homines ſumus: atque ideo quiſquis priorem contemnit gratiam, qua creati ſumus, ingratus quoque exiſtit ſecundæ gratiæ, quare creati ſumus atque ſaluati, cum eſſemus mortui peccatis, ſicut dicit Apoſtolus. Ex hoc enim quod aduerſæ partis Epiſcopi iuxta ſectam Manichæorum deſpiciunt in Rege Henricho hominem, creaturã Dei, refugientes eum videre vel alloqui, per illam ſcilicet occaſionem, qua dicunt eum eſſe excommunicatum: ex hoc, inquam, totũ eſt illud ſchandalum, quod reliquerunt Eccleſias ſuas, & curam Dominicarum ouium: & quod per parochias ſuas multo iam tempore multa fiunt homicidia, rapinæ & incendia, pro his quæ ſunt Epiſcoporum ſolennia, ſiue in celebrando baptiſmate, ſiue in conſecrando chriſmate, ſiue in docenda Chriſtiana plebe. Sed ex geſtæ rei conſideratione penſari poterit cauſa vel Imperatoris, vel illius Epiſcopi Adalberonis, vel cæterorũ qui ſunt in parte eius contentionis. Nam *beati pacifici, quoniam ipſi vocabuntur filii Dei.* Ergo obſeſſus erat ille Adalbero in Wirztiburg ciuitate ab Imperatore: & non poterat vlla ratione adduci ad pacis conditionẽ ſiue per Epiſcopos, ſiue per Principes regni qui erant cum Imperatore, dicens ſe quidem poſſe mori, non autem flecti, vt vellet vnquam ſponte ſua Regem Henrichũ videre vel alloqui. At Imperator leuiter ferens contemptum ſuum, cum haberet, vtpote miniſter Dei, vindicem in impios gladium, noluit occidere quenquã noxiorum: ſed cum capienda eſſet ciuitas, non ſolum dimiſit impunitos hoſtes Eccleſiæ, & deſertores militiæ ſuæ, verum etiam ipſum Adelberonem: & quod cum eo erat præſidium hoſtium, milites ſcilicet Reipublicæ, permiſit comitante ſuo quoque ducatu ſecuros abire. Modo fuerit Imperator errans, qualis non poteſt eſſe ſine pœna Eccleſiaſticæ excommunicationis: cum iuxta ſententiã ſancti Papæ Gelaſii, *moliantur fidem catholicam euertere per occaſionem regiæ alligationis, qui ſtudent obuiare diſpoſitionibus publicis.* Sed charitas cooperit multitudinem peccatorum, ſicut dicit Dominus per Apoſtolum ſuum: charitatem autem Imperator hoſtibus quoque ſuis exhibuit, quando in pace eos abire permiſit. Sicut enim ſcribit ſanctus Cyprianus Epiſcopus in libro de Patientia, *Charitas fraternitatis vinculum eſt, fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas vnitatis, quæ & ſpe & fide maior eſt, quæ & opera & martyria precedit, quæ nobiſcum ſemper æterna in cœleſtibus regnis permanebit.* Et poſt aliqua: *De ira quid dicam,* inquit, *& de diſcordia,*

c

& de ſimulatione, quæ in Chriſtiano eſſe non debent? inexpiabilis & grauis culpa
diſcordiæ, nec paſſione purgatur: & ſi diſcordes etiam occiſi fuerint, macula iſta
nec ſanguine abluitur. Nos vero, inquit, *meminiſſe debemus, quo vocabulo*
plebem ſuam Chriſtus appellet, quo titulo gregem ſuum nuncupet: Oues nominat,
vt innocentia Chriſtiana ouibus æquetur: Agnos vocat, vt agnorũ naturã ſimpli-
cẽ ſimplicitas mentis imitetur. Quid ſub veſtitu ouium lupus latitat? quid gregẽ
Chriſti, qui ſe Chriſtianũ mentitur, infamat? Chriſti nomen induere, & non per
Chriſti viam pergere, quid aliud eſt quam præuaricatio diuini nominis, quam de-
ſertio itineris ſalutaris? quando ipſe moneat & dicat eum eſſe ſapientẽ, qui verba
Dei audierit, & fecerit. Aque in libro de Vnitate catholicæ Eccleſiæ idem
Cyprianus Epiſcopus: *Opto equidem,* inquit, *dilectiſſimi fratres, & conſulo*
pariter & ſuadeo, vt ſi fieri poteſt, nemo de fratribus pereat, & conſentientis popu-
li corpus vnum gremio ſuo gaudens mater includat. Si tamen quoſdam ſchiſmatũ
duces, & diſſenſionis authores in cæca & obſtinata dementia permanentes non
potuerit ad ſalutis viam conſiliũ ſalubre reuocare: cæteri tamen vel ſimplicitate
capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis aſtutiæ calliditate decepti, à fallaciæ
vos laqueis ſoluite, vagantes greſſus ab erroribus liberate, iter rectum viæ cœleſtis
agnoſcite. Conteſtantis Apoſtoli vox eſt: Præcipimus vobis, inquit, *in nomine Do-*
mini Ieſu Chriſti, vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, &
non ſecundum traditionem quam accepiſtis à nobis. Et iterum dicit: *Nemo deci-*
piat vos inanibus verbis: propterea enim venit ira Dei in filios contumaciæ: nolite
ergo eſſe participes eorum. Recedendum eſt à delinquentibus, vel immo fugiendũ,
ne dum quis male ambulantibus iungitur, & per itinera erroris & criminis tra-
bitur, à via veri itineris exerrans pari crimine & ipſe teneatur. Vnus Deus eſt, &
vnus Chriſtus, & vna Eccleſia eius: & fides vna, & plebs in ſolidam corporis vni-
tatem concordiæ glutine copulata. Scindi vnitas non poteſt, nec vnum corpus diſſi-
dio cõpaginis ſeparari, ac diuulſis laceratione viſceribus in fruſta diſcerpi. Quic-
quid ab vnitate diſceſſerit, ſeorſum viuere & ſpirare non poterit, ſubſtantiam ſalu-
tis amittit. Hæc beati Cypriani verba fideliſſima ſunt, & vera quæ cõſt in-
gunt certa declinantes in aliquarum partiũ ſchiſmata: atq; ideo erga ſe in-
ſolubilẽ eſſe ſententiam faciunt, qui tales permanere diligunt, quales ve-
raciter abſolui non poterunt. Igitur ſupradictus Adalbero, accepta abe-
undi licentia de ciuitate Wirziburg, cum ad pacis conditionẽ flecti non
potuiſſet, in dilectum ſibi Montem vini receſſit: ibiq; Anno ab incarna-
1090. tione Domini MXC. obiit, qualẽ deinceps Eccleſia in communionem non
recepit, iuxta quod ſanctus Leo Papa ſcribit: *Nos,* inquiens, *quibus viuen-*
tibus non communicamus, mortuis communicare non poſſumus.

CAPITVLVM XXX.

EOdem etiam anno obiit Herimannus, dictus quondam Metenſis Ec-
cleſiæ

eleſiæ Epiſcopus:qui & ipſe cũ receſſiſſet fugiens ab Eccleſia ſua, damnatus eſt in ſupradicta Synodo,atq; depoſitus: quoniã ſæpe vocatus per Imperatorem,ſæpe etiam vocatus per oues paſcuæ eius noluit reuerti ad paſtoralem curã eccleſiæ ſuæ, non aliam prætendens excuſationis occaſionẽ,niſi quod nollet videre vel alloqui excommunicatũ Imperatorem. Si noluit videre,vel alloqui Chriſtianum Imperatorẽ, quid Neronem?quid Diocletianum?quid Maximianum? Iſti quidem Imperatores erant impiiſſimi & ſæuiſſimi Eccleſiæ perſecutores: quorum certe conſpectum præcipit Dominus diſcipulos ſuos non fugere: *Sed cum ſteteritis*, inquit, *ante Reges & Præſides, nolite timere: Deum autem timete, & Regem honorificate.* O quid facerent, ſi illi deſertores Eccleſiarum Epiſcopi ſub perſecutione prædictorum Imperatorũ fuiſſent, quod exemplũ reliquiſſent fidelibus pro fide Chriſti certantibus? Apoſtolus quippe volens exponere quid ſit Epiſcopatus, quia nomen eſt operis, non honoris: *Qui Epiſcopatum*, inquit, *deſiderat, bonum opus deſiderat.* Vnde Auguſtinus Epiſcopus in xix. libro de Ciuitate Dei: *Græcum eſt*, inquit *atque inde ductum vocabulũ, quod* ἐπισκοπεῖν, *ille qui præficitur, eis quibus præficitur ſuperintendit, curam ſcilicet eorũ gerens, ſcopos quidem intentio eſt. Ergo Epiſcopus*, inquit, *ſi velimus, Latine ſuperintendere poſſumus dicere: vt intelligat ſe non eſſe Epiſcopum, ſi præeſſe deſiderat, non prodeſſe.* Proinde etiam dicitur in Ordinatione Epiſcopi, vt memor ſic ſit ſemper ſponſionis, & deſponſationis Eccleſiaſticæ, & dilectionis Dei, & non obliuiſcatur illius diei, quo aſſecutus eſt hunc honorem Pontificii, ne ouile Domini prædo violentus irrũpat, & diſperſas abſq; paſtore oues fur nocturnus inuadat. Ecce enim quidam Brun in deſertum ouile ouium non per oſtium, ſed aliunde aſcendit: & ſicut ait Dominus, moris eſſe furi atque latroni, ad hoc venit, vt furtum faceret, mactaret & perderet. Nam cum non eſſet Eccleſiaſtico more electus, & populo Metenſis Eccleſiæ, vtpote qui fuiſſet ignotus, & filius cuiuſdam* Adalberti Comitis de prouincia Alamanniæ, tum ille non Epiſcopus, ſed tyrannus in multitudine graui conductorum militum ad vrbem Metenſem acceſſit, cædes hominum fecit, per circuitum ſanctificationis ſanguinem ſibi repugnantium effudit: ipſam quoque domum ſanctificationis contaminauit, bona etiam & res ipſius eccleſiæ diſtribuendo militaribus viris diſſipauit, ouesque diſperſit Chriſti, qui poſt aliquantum tempus conceptę tyrannidis ipſum quoque nomen Epiſcopi amiſit: quia Imperator poteſtatem ei Epiſcopatus abſtulit, poſtquam tanta ibi per eum fieri ſcandala intellexit, quæ nemo digne deplorare poterit. Sicut enim ſcribit ſanctus Leo Papa: *Principatus quem aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupauit, etiamſi moribus atq; actibus non offendit, ipſo tamen initu ſui eſt pernicioſus exemplo, & difficile eſt vt bono peragãtur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.*

Bruno Metenſis intruſus.

**de Calwe.*

Neque vero, ait, *vlla ſinit ratio, vt inter Epiſcopos habeantur, qui nec à Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à prouincialibus Epiſcopis cum Metropolitani iudicio conſecrati.* Ecce in ipſa quoque Metenſi Eccleſia per decem aut eo amplius annos prætermiſſa ſunt conſueta Epiſcoporum officia, & nec chriſmatis, nec aliorum Sacramentorũ (quæ proprie ad Epiſcopos pertinent) miniſteria ſunt ibi celebrata, ſine quibus non poteſt eſſe Eccleſia Dei. In tantũ valuit ſermo Hiltebrandi Papæ, qui illũ Herimannũ docuit & exemplo & ſcriptura de eccleſia ſibi commiſſa fugere, vt iuxta quod dicitur per Malachiam Prophetam, *Diſperdat Dominus virum qui fecerit hoc, & magiſtrum & diſcipulum de tabernaculis Iacob, vbi eſt congregatio ſanctorũ:* quoniam maiorem nemo habet charitatem, quam vt animam ſuam quis ponat pro amicis ſuis, iuxta exemplum illius qui eſſentialiter bonus eſt paſtor & Epiſcopus animarum noſtrarum.

CAPITVLVM XXXI.

Burcardus Halberſtat Epiſcop.

QVID de Burcardo dicimus, quem Rex Henrichus de infimo loco exaltatũ fecit quondam, vt eſſet Halberſtatenſis Epiſcopus Eccleſię: cui pro mercede ſuſcitauit diuturnũ & graue bellum Saxonum, Thuringorum atque Sueuorum. Qui cum præcipuè & ante omnes in hoc eſſet ſtudio, vt Regẽ deponeret à regno, qui eũ ſublimauit Epiſcopali faſtigio: occiſus eſt tandẽ Goslarię à ſuis popularibus in quadam contentione, quę inter ipſos hoſtes vel Eccleſiæ vel Reipublicæ facta eſt non ſine plurimorũ ſanguine, in diebus ſcilicet paſſionis Dominicæ, quando iterum contra Eccleſiam, vel contra rempublicam celebrant conuenticula ſua, quæ ſolent etiam adhuc per ſingulos fere menſes facere, cum non oporteat niſi publicum fieri concilium propter vnitatem vel Eccleſiæ, vel Reipublicæ: quoniam omne regnum in ſeipſo diuiſum, deſolabitur, ſicut in Euangelio à Saluatore noſtro dicitur. Et iterum de Eccleſia ſua loquitur, & ad eos qui ſunt in Eccleſia loquitur, vt ſi ipſi concordes fuerint, ſi ſecũdum quod mandauit & docuit, duo aut tres collecti vnanimiter orauerint, impetrare poſſint de Dei maieſtate quod poſtulant, duo aut tres licet ſint: *Si duobus*, inquit, *ex vobis conuenerit in terra, de omni re quamcunq; petieritis, continget vobis à patre meo qui in cœlis eſt. Vbicunq; enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum.* Ecce vnanimitatem prius poſuit, concordiam pacis ante præmiſit, vt conueniat nobis, fideliter & firmiter docuit. Vnde & Cyprianus Epiſcopus in libro de Vnitate catholicæ Eccleſiæ: *Quomodo autem*, inquit, *poteſt ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipſius Eccleſia, & cum vniuerſa fraternitate non conuenit? Quomodo poſſunt duo aut tres in nomine Chriſti colligi, quos conſtet à Chriſto & ab eius Euangelio*

gelio ſeparari? Non enim nos ab illis, ſed illi à nobis receſſerunt, & cum hæreſes & ſchiſmata poſtmodum nata ſunt, dũ conuenticula, inquit, *ſibi diuerſa conſtituũt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Igitur cum Deo manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei vnanimes noluerunt. Ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel obiectis beſtiis animas ſuas ponant: non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ: nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi*, inquit, *talis poteſt, coronari non poteſt.* Ergo poſt tredecim expeditiones, quibus contra Regem, eundemque Imperatorem Henrichum ſupradictus militauerat Burcardus, quem nos ipſi quoque vidimus cum illo Magdaburgenſi Hartuigo in caſtris, quæ poſuerant Saxones atque Thuringi ad locum Herosfeldiæ (ſicut ſupra iam diximus) quando perrexerunt in orientalem Franciam ad patrandũ illud circa Wirtziburg magnæ occiſionis ſcelus, poſt hæc (inquam) occiſus eſt in ſeditione quadam popularium ſuorum Nonis Aprilis, in quarta feria Dominicæ paſſionis, Anno ſcilicet MLXXXVII. à tempore Dominicæ natiuitatis. 1087.

CAPITVLVM XXXII.

Gebehardus Saltzburgenſ.

VIdimus etiam ibi Gebehardum, dictum quondã Saltzburgenſis Eccleſię Archiepiſcopũ, qui poſt multa Eccleſiæ ſtipendia cœpit iá quaſi puer centũ annorũ, militare in caſtris Saxonũ: ac paulo poſt recepturus dignã factorũ ſuorum remunerationẽ obiit, poſtquã à viris ſanguinũ, ſuis ſcilicet participibus, effuſus eſt ſanguis multorum in circuitu Wirtziburgenſis Eccleſiæ, velut in circuitu Hieruſalẽ. Ecce enim Saltzburgenſis Eccleſia condimento paſtoralis cibi multo iam tempore caruit, ex quo eius paſtor Gebehardus fugit, quia pacificus non extitit, qualem ſcilicet non paſtorem, ſed mercenarium in Euangelio appellat Dominus: quoniam lupo occaſionem ſæuiendi permiſit, ſubtracta paſtorali cura ipſius. Vnde idem Deus ſcientiarum Dominus, qui & paſtor bonus, dicit Eccleſiæ doctoribus: *Habetote in vobis ſalem, & pacem habete inter vos. bonum eſt*, inquit, *ſal.* Per *ſal* quippe ſapientia verbi deſignatur, quo arcana cordis condiuntur. Sed (ſicut ait ſanctus Gregorius) *ſal ſine pace non virtutis eſt donum, ſed damnationis argumentum: quoniam ſcientia inflat, charitas vero ædificat.* Vnde Dominus ſubiungit atque dicit, *quod ſi ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur?* In quo ſcilicet errans doctor corrigitur, qui ad auferendũ conſtituitur? Ideoque, ait, *ad nihilum valet vltra; niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Iuxta hoc mandatũ Domini miſſus eſt etiã extra eccleſiã infatuatus ille doctor Gebehardus, quãdo in ſupra dicta Synodo Moguntiacenſi condemnatus eſt atq; depoſitus: cum ipſe prius, vtpote recedens ab vnitate catholicæ Eccleſię, proprio ſit iudicio condemnatus.

CAPITVLVM XXXIII.

APud illos ſiquidem Epiſcopos euntes ad expugnandum Wirtziburgenſis Eccleſiæ Epiſcopatū, quando factum eſt hoc (de quo iam diximus) prælium, apud illos (inquam) Epiſcopos tunc erat curia, quæ dicitur à crudelitate: quoniam apud eos, ſicut nos ipſi proſpeximus, conuenerunt Principes Saxoniæ, tractantes de ſuſcepti belli crudelitate, vbi primus erat de Principibus Egbertus Marchio, filius Egberti ſenioris, qui fuit patruelis iſtius, qui adhuc regnat, Henrichi Imperatoris, quem ſcilicet Henrichum adhuc valde pueū ille ſenior Egbertus & alii quidā de Principibus regni ſubtraxerunt immature à tutela piæ memoriæ matris ſuæ Imperatricis Hagnæ, cum iam ante annos ſex obiiſſet religioſus pater eius Henrichus, Anno ſcilicet M L V I. Dominica incarnatione, quando ſextus erat annus iſtius iunioris Henrichi à natiuitate, tertius autem ab eius ordinatione in Regē, quæ facta eſt Aquiſgrani per Hermanni Colonienſis Archiepiſcopi vnctionem. Sed poſtquam puerilis regni cuſtodia venit à matre ad Principes regni, cum vero iura vel Eccleſiæ, vel Reipublicæ cœperunt pro leui momento haberi: cum ſiquidem nulla re, præterquam legibus, poterit multitudo coaleſcere in corpus vnius populi. Et reuera quod tunc confotum eſt, erupit iam in regulum: quoniā ea quæ tunc latebant genimina viperarum, pepererunt iam fœtorem teterrimum, & principem omnium ſerpentum Diabolū, iuxta quod ipſe Diabolus videtur nunc de carcere ſuo ſolutus eſſe: poſtquam, ſicut ſcriptum eſt in Apocalypſi, *exiuit nationes ſeducere, & in bellū trahere*, quas antea modis, quibus poterat, per mala multa & varia ſeducebat. Ecce enim, vt prætermittamus quæ tunc geſta ſunt ambitione Principum, vel auaritia, quæ eſt idolorum ſeruitus, & quomodo earundem rerum, vnde deſtruitur Eccleſia pariter & Reſpublica, pleroſque etiam Epiſcopos atque Abbates immoderatus inuaſerat appetitus, quærentes puerile Regis ingenium ſuis potius inſtituere moribus, quam bonis artibus, vt hæc (inquam) prætereamus, ecce contentio facta eſt inter Wezelinum Hildinisheimenſem Epiſcopum, & Videradum Fuldenſem Abbatem, ſuper altitudine ſeſſionis ſuæ: cum de Diabolo ſcriptum ſit, quia omne ſublime videt, & eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ: Igitur Rex puer vndecimo anno poſtquam diſtractus eſt à cuſtodia matris ſuæ, celebrauit natalē Domini Goſlariæ, vbi inter cubicularios Epiſcopi & Abbatis certatū eſt pugnis atq; ſcamellis pro herilis ſedis poſitione, cū illi vindicare voluiſſent Epiſcopo ſuo principē locū iuxta Moguntinæ Eccleſię Epiſcopū in cōuentu regiæ ſeſſionis in Eccleſia, propter priuilegiū parochię ſuæ: iſti autē contra tendere propter Primatū Fuldenſis Abbatię. Et tunc quidem

Egbertus Marchio Miſniæ.

dem in tam ſacrata feſtiuitate natiuitatis Domini certatum eſt (ſicut diximus) pugnis atque ſcamellis: deinde vero in Pentecoſte res gerebatur gladiis, cum vterque & Epiſcopus & Abbas, ſummo ſtudio ſe præparaſſent ad tuendum ſeſſionis ſuæ locum, contractis vndique multis militaribus viris. Erat enim ex parte Epiſcopi ſenior ille Egbertus (de quo ſupra diximus) qui præoccupauerat Eccleſiā maiorem Goslariæ cum ſuis pariter & Epiſcopi militibus, & inter pulſandū ad veſperam in vigilia Pentecoſtes conſonabant pariter tumultuatiæ ſeditiones. Perrumpentibus enim intra Eccleſiam Fuldenſibus ad auxilium ſociorum, quibus iam imminebat mortis periculum, proh nefas, multi hinc inde occiſi, fœdauêre cæde ſua templum Dei, & altare Dei. Eiuſmodi vero impietatis ſimul & crudelitatis teſtamentum hæreditauit ille ſenior Egbertus, ſuper iuniorem Egbertum filium ſuum: cui enim iſte parceret, qui cognato ſuo Regi Henricho non pepercit? quem vita pariter & regno priuare voluit. Sæpe quidē iſte iunior Egbertus contra Regē coniurauit, ſæpe etiam ſeſe à coniuratorum ſocietate ad Regē conuertit, & nunc harum nunc illatū partium fuit. Ecce enim poſt prælium, quod geſtum eſſe diximus in Epiſcopio Wirtziburgenſis Eccleſiæ, vbi idem Egbertus primus erat de Principibus Saxoniæ, poſt hoc vero Imperator Henrichus intrauit cū exercitu per Thuringiam in Saxoniam: vbi cum non auderent Saxones atque Thuringi offerre ei occaſionem pugnandi, tum quidem Egbertus Marchio, vtpote Princeps huius quoq; belli, iureiurando promiſit Imperatori, vt ſi vellet inde exercitū reducere, ſeſe deditionem facturum eſſe, in loco ſcilicet Herosfeldiæ. Factum eſt ita, & adhuc teſtis eſt Herosfeldia, quod ibi Egbertus Marchio ſupplicē ſe Imperatori obtulit, quod ei fidem iuramento promiſit, quod Marchā ſuam & Comitatus ſuos ab Imperatore recepit, quod in pace dimiſſus abiit, quod poſtera die legatos ſuos ad Imperatorē remiſit: qui dicerent fidem, quam prius promiſiſſet comprouincialibus ſuis Saxonibus, ſe non poſſe ſoluere: cæterū de his quæ pepigiſſet cum Imperatore, nihil ſe acturum eſſe. Iam quidem dimiſerat Imperator exercitum ſuum, ideoq; non poterat tunc perſequi tantæ impietatis ſimul & infidelitatis virum. Nam Hartuigus atq; Burcardus illi pſeudoepiſcopi, haud longe tunc aberant à loco Herosfeldiæ cum ſuis plurimis: qui cū fuiſſent inimici pacis, non vtiq; filii pacis, auerterunt animum Marchionis, ne ſeruaret pacis pactum, ab eis in ſpē regni adductus: quoniā vt Rex eorum futurus eſſet, interpoſita ſua fide promiſerunt ei. Ecce per Zachariam Prophetā dicit Dominus: *Hæc ſunt ergo verba, quæ facietis: Loquimini vnusquisq; veritatē cū proximo ſuo, veritatē & iudiciū pacis iudicate in portis veſtris, & vnuſquiſq; malū contra amici ſui ne cogitetis in cordibus veſtris, & iuramentū mendax ne diligatis. Omnia enim hæc ſunt, quæ odi, dicit Dominus.* Contra hæc

Egbertus iunior.

docet Hildebrand per ſe, docet & Epiſcopos ſuos mendacium pro verita-te, & pro eo quod præcepit Dominus his qui ſub Euangelica ſunt perfe-ctione, non omnino iurare: docent ipſi ſectatores ſuos iuramentũ men-dax diligere, iuxta quod factum eſt in illius Marchionis transgreſſione, cum eiuſmodi ſint infideles atque periuri, quotquot ſunt ex illorũ pſeu-doapoſtolorum parte, qui dicunt ſe miſſos eſſe vt ſoluant auditores ſuos à iuramentis, per quæ fidem dediſſent dominis ſuis: cum certe periuri di-cantur à Paulo Apoſtolo, ſimili ſubiacere damnationi, qua iudicantur pa-tricidæ & matricidæ, & cæteri qui non poſſidebunt regnum Dei.

CAPITVLVM XXXIIII.

VNDE etiam præpoſitæ ſcriptor epiſtolæ, qui profitetur ſe defendere partem ſui Gregorii, cuius certe participes ſunt periuri atque hæreti-ci, raptores atque homicidæ, quales nemo iuſte poterit defendere, ſed aut corrigere, aut reprobare: pro his (inquam ſcribit ille, vt periuria atque homicidia, rapinas atque incendia ſtatuat, atque confirmet ſolito more. *Sciendum eſt etiam*, inquit, *quia qui non eq, fidelitatem iurant Dominis, non iurãt niſi quam ex catholica lege debent Dominis. Fidelitatis autem huius modum de-terminat Apoſtolus, ſcribens Epheſiis, vt ſerui obediant Dominis carnalibus, ſicut Chriſto. Quod exponens Hieronymus in tractatu euiſdem Epiſtolæ: Pul-chre, ait, imperans ſeruis, vt obediant Dominis, adiecit, quaſi Chriſto. Et iterum: Vt ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei, vt ſcilicet non audiat ſeruus carnalem Dominum, ſi contraria Dei præceptis voluerit imperare: vt & ſeruos non videa-tur, contra Dominos concitare: & rurſum nequaquam Dominos doceat audi-endos, ſi vitioſa & nefanda præcipiant. Ex hoc præcepto Apoſtoli, & explanantis eum Hieronymi, patet euidentius, quia cum non debeant ſerui obedire Dominis, niſi ſicut Chriſto, id eſt niſi in his quæ facienda præcepit Chriſtus: quicunque obſe-quitur eis in his quæ ſunt cõtra Chriſtũ, fidelitate in infidelitatẽ alterata erit periu-rus. Ex decretis Soteris Papæ: Si aliquid forte nos incautius iuraſſe cõtigerit, quod obſeruatũ peiorem vergat in exitum, illud conſilio ſalubriori mutandum noueri-mus: ac magis inſtante neceſſitate peiurandum nobis eſt, quam perfecto iuramento in aliud crimen maius eſt diuertendum. Ambroſius in libro Officiorum: Eſt, ait, contra officium nonnunquam, promiſſum ſoluere, Sacramentum cuſtodire: vt Herodes, qui iurauit, quoniam quicquid petiiſſet, daret filiæ Herodiadis: & necem Ioannis præſtitit, ne promiſſum negaret. Hæc de iuramentis*, inquit, *ideo intulimus, quoniã nos periuriorũ hortatores aeſtumat Wigbertus. Iurauit etiam Dauid per Dominũ, occidere Nabal, virũ ſtultũ & impiũ, atq; omnia quæ ad illũ pertinerẽt demoliri; ſed ad primã interceſſionẽ Abigahil fœminæ prudẽtis, mox re-miſit minas, reuocans enſem in vaginam ſuam, nec aliquid culpæ ſe tali periurio contra-*

contraxiſſe doluit. Per hæc quippe verba nihil aliud agitur, niſi vt fides deſtruatur: & vt ſeducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi, vt ſint periuri: iuxta quod etiam ſunt hæretici atque ſchiſmatici, quicunq; declinant poſt eos, qui ſunt eiuſmodi, quales ſuſceperũt defendere ſui partem Gregorii. Vnde & Saluator, qui hoc in Euãgelio orat, & hoc fieri deſiderat, vt quomodo vnũ ſunt pater & filius, ſic & nos in ipſa vnitate maneamus: ille (inquã) noſtra reſpiciens tempora, loquitur inter cætera: *Filius,* inquiens, *hominis cum venerit, putas inueniet fidem in terra?* Verbi gratia, ecce iurauit Imperatori Egbertus Marchio, vt fidelis ei eſſet, iuxta quòd admonet Apoſtolus ſeruos Chriſti obedire Dominis carnalibus, ſicut Chriſto. Quod ſcilicet iuramẽtum ſi ſit obſeruatum, quomodo iuxta ſententiam illius ſcriptoris in peiorem vergit exitum? Fortaſſe nobiliſſimus ille adoleſcens adhuc viueret, & occiſus nõ eſſet, ſi iuxta id quod iurauerat Imperatori, fidelis eſſet, & pacificus extitiſſet: & ſi eidem Imperatori iuramenta ſua ſeruaſſent Principes regni, certè non fuiſſet facta diuiſio regni, & non eſſent inteſtina hæc bella, vnde admodũ deſtructa eſt Eccleſia pariter & Reſpublica. Sed propter tranſgreſſionem iuramẽtorum facta ſunt hæc omnia: & ille Marchio occiſus eſt infidelitatis ſuæ cauſa. & iam non poterit ei prodeſſe vel ſuus Gregorius, vel aliquis illius partis Epiſcopus: quoniam iuxta quod in libro de Dominica oratione ſcribit ſanctus Cyprianus Epiſcopus, *Diſcordans & diſſidens, & pacem cum fratribus non habens, nec ſi pro Domini nomine occiſus fuerit, crimen diſſenſionis fraternæ poterit euadere: quia ſicut ſcriptum eſt: Qui fratrem ſuum odit, homicida eſt: nec ad regnum cœlorum peruenit, aut cum Deo viuit homicida: Non poteſt eſſe,* inquit, *cum Chriſto, qui imitator Iudæ maluit eſſe quam Chriſti.*

CAPITVLVM XXXV.

IGITVR poſtquam Egbertus Marchio decepit Imperatorem (ſicut diximus) deinde & ipſe pariter deceptus eſt: quoniam Epiſcopi eum defellerunt, non ei donantes regnum quod promiſerunt: quapropter receſſit à parte eorum & ſocietate, & iterum datis obſidibus atque iuramentis confirmauit pactum pacis & fidei cum Imperatore. Interea contigit hoc, quod ſupra diximus: quia tunc occiſus eſt ille Burcardus Halberſtatenſis Epiſcopus à ſuis popularibus, non id agente Marchione, ſed tamẽ hoc factum ipſo approbãte. Tum etiã ille Hartuigus Magadaburgẽſis pſeudoepiſcopus, cũ non poſſet ſolus cum paucis complicib. ſuis vim ſuſtinere vel Marchionis vel Imperatoris, venit in gratiam Imperatoris, iuxta quod ſupra dictũ eſt à nobis. Et certè vtriſq; alteri contra alterũ iam iurauerat, qui & inter Imperatorẽ ſimul & Marchionẽ ita medius verſabatur, vt ſi fieri

poſſet, alterum perdere per alterum voluiſſet. Vnde cum infidelis adhuc infideliter egiſſet,& iterum Marchio reus toties violatæ fidei,& pacis ſucceſſione, occultisq; colloquiis bellum renouaſſet: tum vero ille Hartuig. non deerat vel Imperatori contra Marchionem militando,vel Marchioni contra Imperatorem conſulendo. Nam,vt de multis dicamus pauca ecce Imperator obſederat munitionem quandam Marchionis in Thuringiâ. Tum & ipſe viciſſim ferro & igne deuaſtans circumquaque omnia cœpit obſidere caſtellum Quitlingeburg in Saxonia, vbi erat intrinſecus ſoror Imperatoris ſimul,& eius *a* ſponſa,de qua diximus ſupra: ad quarum ereptionem Imperator cum miſiſſet ſæpe dictum Hartuigum, data ſibi parte copiarum: ille militaris Epiſcopus dicitur mandaſſe per nuncium ſuum Marchioni,vt non tardaret venire,ſi cũ Imperatore vellet pugnare: quod tuto tunc facere poſſet, cum iam ab eo militum multitudo ſubtracta fuiſſet. Et vt nihil verius credatur,quam compoſitus vtrinq; dolus, ecce flexit viam Hartuigus,ne Marchioni fieret obuius, cum diuerſis itineribus ipſe tenderet in Saxoniam,ille autem in Thuringiam, vbi tunc dimicatum eſt in ipſa natiuitatis Domini vigilia, quæ tunc obuenerat die Dominica,

1088. quando terminum accepit annus ab incarnatione Domini MLXXXVIII. Ecce quid faciunt hæreſes & ſchiſmata, vt dicat in corde ſuo cognatio eorum ſimul, *Quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra. Num tenebræ dies Domini,& non lux & caligo,& non ſplendor in ea?* ſic dicit Amos Propheta. Ecce quando Angelus Domini cum magna luce apparuit, & gaudium illud magnum natiuitatis Domini & Saluatoris euangelizauit: quando etiam concinuit multitudo militiæ cœleſtis, *Gloria in excelſis Deo,& in terra pax hominib. bonæ voluntatis*; ea quippe tam feſtiua ſolennitate Angelorum atq; hominum factus eſt luctus ingens, mœror, atq; triſtitia, & effuſio humani ſanguinis. Primo quidem impetu fugatus eſt Marchio: ſed reſtaurato deinde prœlio, victor victus eſt Imperator diuino quodam iudicio. Nam Epiſcopos Saxoniæ, qui iudice Eccleſia ſunt damnati non ſolum in communionẽ receperat:ſed & Epiſcopatus ſuos,vnde fuerãt depoſiti, ſingulis abſq; iudicio Eccleſiæ reddiderat: ideoq; quoniam hoſtes Chriſti,qui eſt pax Eccleſiæ, permiſerat Imperator de Eccleſia triũphare, conceſſit viciſſim Chriſtus victoriam hoſtibus Reip. & hoc pro diſciplina magis electorum ſuorum, quam pro gloria eorum qui ad cumulum perditionis ſuæ polluerunt tam crudelibus factis diem pariter Dominicum, atq; natiuitatis Dominicæ Sacramentum. Neque enim diu circa Egberdũ Marchionem vltio diuina ceſſauit: quoniam cum ipſe Henricho alteri Saxonum Marchioni arma intuliſſet, plurimis ſuorum amiſſis victus, de prælio aufugit: ac deinde cum fuiſſent manus omnium Principum Saxoniæ contra eum,& manus eius contra omnes, poſtremo miſerabiliter occiſus,

Quidlinburg.
a Adalheidis.

ciſus eſt, proditus in quodam tugurio, vt non dicam id quod verius eſt, in molendino: ſicq; regiæ nobilitatis adoleſcens bellum conſummauit, quo regnum ſibi expugnare quæſiuit.

CAPITVLVM XXXVI.

ANnus tunc erat ab incarnatione Domini M. nonageſimus, quando occiſus eſt ſupradictus Marchio Egbertus. Eodem etiam anno defunctus eſt Luidolfus Dux Caretinorum, cum & ipſe appeteret regnum contra Imperatorem Henrichum: atque Bertolf filius Rudolfi, regis quondam Saxonum, in ipſo iuuentutis ſuæ flore defunctus eſt: & Hug potentiſſimus Comes Alſatiæ, poſt multa crudelia, quæ fecerat vel in Eccleſia, vel in Republica, occiſus eſt. De talibus dicitur à Domino per Zachariam Prophetá, ad Zorobabel Ducem Iuda: *Non in exercitu, nec in robore ſuperabis aduerſarios: ſed in ſpiritu meo* (hoc eſt in obſeruatione legis Dei) *dicit Dominus exercituum*. Fuit enim Imperator tūc in Italia, quando hæc circa aduerſarios ſuos ſunt geſta: quam ſcilicet tertiam illuc profectioné fecerat præcipue contra Mathildam fautricem Hildebrandi Papę, cuius ſcilicet ſecretis ſermonibus aſſuefacta, ne adhuc quidem poteſt compeſci muliebribus furiis inſtincta, vt pacem quam bellum malit: & vt rebus ſuis iam vſq; ad vltimum pene exterminium diſſipatis conſulere velit, cum hactenus ipſa fuerit præpotens diuitiis, vtpote filia Bonifacii * Marchionis. Neq; vero Petrus ſiue Paulus doctrinam cōtentionis dictauerūt cum mulieribus: ſed vnus præcepit infirmum vas muliebre caſtam ſuam conuerſationem in timore conſiderare, alter vero docet mulieres, ſe ornare cum verecundia & ſobrietate, & quod decet mulieres, pietatem per bona opera promittere: nunc autem aliter Mathilda illa inſtituta, poſt octauum quoq; annum, quo defunctus eſt Hildebrand familiaris eius, defendit proniſſime contra ſedem Apoſtolicam & contra Imperatoré, parté ipſius, qui propter frequens cum ea & familiare colloquium generauit plurimis ſcæuæ ſuſpicionis ſcandalum, dum non obſeruauit attentius diuinum illud Lucii Papæ mandatum: *Duo Preſbyteri*, inquit, *& tres diaconi in omni loco non deſerant Epiſcopum, propter teſtimonium ſcilicet Eccleſiaſticum*. Poſuit autem Hildebrand partem ſuam cum illa muliere rixoſa, vt per hunc quoq; ſexum oppugnetur vel Eccleſia, vel Reſpublica. Sed dicitur ei à Domino per Hieremiam Prophetam: *Quia ſi in via Dei ambulaſſes, habitaſſes vtiq; in pace ſuper terram*. Et iterum de participibus eiuſdem Hildebrandi, inter quos etiam ſunt Nortmanni homines crudeliſſimi: *Fuerunt*, inquit, *nominati illi ſcientes bellum: ideoq; non hos elegit Dominus, neq; viam diſciplinæ inuenerunt: propterea*, ait, *perierunt*. Sicut enim ſupra

1090. | * ſc. Tuſciæ. | *Nortmanni in Sicilia & Apulia.*

dictum eſt,nominati illi Principes regni,imo deſtructores regni, perierũt anno MXC.ab incarnatione Domini. Hic annus inſignis quoq; eſt morte Adelberonis atque Herimanni Epiſcoporum,de quibus dictum eſt ſupra: de quibus etiam ſcribit ſanctus Leo Papa: *Nos*,inquiens, *quibus viuentibus non communicauimus,etiam mortuis communicare non poſſumus*. Ipſi quidem exierunt ex nobis, non nos ex illis: ſed *non erant ex nobis: quia ſi fuiſſent ex nobis,permanſiſſent vtique nobiſcum*, ſicut dicitur per Ioannem Apoſtolum. Vnde & Cyprianus Epiſcopus in libro de Mortalitate: *Talem*,inquit,*te iudicat Dominus,qualem te inuenit,cum vocat: vnitatem enim*, ait, *qui non tenet, non patris & filii tenet fidem, vitam non tenet & ſalutẽ*. Superiori etiã anno defunctus fuerat Wigoltus Auguſtæ alter epiſcopus, qui Sigefrido eiuſdem ciuitatis Epiſcopo adhuc viuente per partiũ ſtudia eſt ſubintroductus: qui furtiue ad ordinationem ingreſſus, per Sigefridum Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopum ordinatus eſt Goſlariæ in Saxonia, cum Auguſta ciuitas iuxta alpes ſit in Rhetia: qui certe non iuxta ſolennem Epiſcoporum morẽ intrauit cum cleri & populi ſuffragiis,ſed cum hoſtibus eiuſdem ciuitatis: quæ primo quidem per proditionem capta,& per Imperatorem liberata: deinde etiam capta eſt ſimiliter per proditionem, & ad ſolum vſque deſtructa. Tum vero ingens præda facta eſt ibi ex rebus atq; bonis tam cleri quam populi, quibus apud hoſtes prodeſſe non potuit templum Dei, & Eccleſia ſanctæ Mariæ ſemper virginis, vbi hæc recondita ſunt propter metum hoſtilis incurſionis. O quam bonus paſtor,& quam prudẽs familiæ Dei diſpenſator ille Wigoltus: qui vtpote fur, ipſe intrauit in ciuitatem cum furibus & homicidis,atq; raptoribus, vt raperet, mactaret & proderet. Quod cum factum ſit feria IIII. ante cœnã Domini,poſtera die acceſſit ad altare Domini: & manibus ſanguine plenis & iniquitate, præſumpſit ſacri chriſmatis conſecrationem ſibi vſurpare: ac mox poſt completam officium infirmari cœpit, & poſt aliquot dies cum magno tormento vitam finiuit. Capta autẽ ciuitate, captus eſt & Sigefridus Epiſcopus iuxta altare Dei, quem Welff Dux quondã Bauariæ, perſecutor Eccleſiæ, fecit in ſua cuſtodia teneri, donec ſeſe redemiſſet tanti æſtimatione theſauri, quanta ſuppleret auaritiam hoſtis iniqui. Honeſte quidem Eccleſia & religioſe captiuos redemit, vt cum ipſi ab ea redimuntur,dicatur: *Hos Chriſtus redemit*: aurum enim Eccleſia habet, nõ vt ſeruet, ſed vt eroget, & ſubueniat in neceſſitatibus: quia redemtio captiuorũ, eſt Sacramentorũ ornatus. Vnde & ſanctus Ambroſius Epiſcopus in libris de Officiis: *Vere illa*, inquit, *ſunt vaſa precioſa, quæ redimunt animas à morte: & ille verus eſt theſaurus Domini, qui operatur quod ſanguis eius operatus eſt: & tunc vas Domini agnoſcitur, cum in vtroque viderit redemptionem: vt calix ab hoſte redimat, quos ſanguis a peccato redemit*. Ergo poſt duos tandem annos ſolutus eſt Sigefridus

Wigold us Auguſt: Epiſc.

dus Epiſcopus ex hoſtili cuſtodia; ſuper qualium miſeria ſic per Hieremiã Prophetam conqueritur Eccleſia. *Ego*, inquiens, *derelicta ſum ſolã: exui me ſtola pacis, indui me autem ſacco obſecrationis, & clamabo ad Altiſſimũ in diebus meis, animæquiores eſtote filii: clamate*, inquit, *ad Dominum, & eripiet vos de manu principum iniquorum.*

CAPITVLVM XXXVII.

DE his ſcilicet inimicis Principibus cum plura haberemus dicere, nobis videntur hæc pauca ſufficere, de quibus & participes eorum poterũt cognoſci, quos & ſimilis error inuoluit, & conſtringit par pœna peccati. Supereſt tantum referre de Adelberto Wormacienſis Eccleſiæ quondam Epiſcopo, qui damnatus eſt etiam, atq; depoſitus in ſupradicta Moguntiacenſi ſynodo. Hic vero Adelbertus (ſicut ſupra quoque diximus) captus eſt fugiens de prælio Saxonum, cum eſſet in parte eorũ contra Regem Henrichum, vnde & cuſtodiæ traditur: ſed poſt aliquantũ temporis, interuenientibus pro eo ad Regẽ amicis eius, ſolui iubetur, & omne debitum ei remittitur, quod commiſiſſet vel in coniuratione facta contra ſtatum Reip. vel in alterius Regis electione. At ille perſiſtens in ſententia ſchiſmatis ſui, & in hac peruerſa atque hactenus inaudita hæreſi, qua refugiunt qui ſunt eiuſmodi, Regẽ hominem videre vel alloqui, quaſi homo mala ſit creatura Dei, non potuit vlla ratione inflecti, vt vellet ad Eccleſiã & Epiſcopatũ ſuũ reuerti: dicens quæq; etiam extrema prius experiri velle, quã videre, vel alloqui Regem ſua ſponte. Ecce captiuus ille tenetur in cuſtodia, *paſcitur pane atro, & aqua breui*, iuxta quod dicit Propheta: & hoc patitur nõ propter fidei meritũ, ſed vt redire velit ad vnicæ matris Eccleſiæ gremiũ. Qui cum honeſte potuerit reuerti ad Eccleſiã & Epiſcopatum ſuum, neglexit cũ propriam ſalutem, tum curam ouium ſibi creditarum: atq; eluſis regularibus cuſtodiis turpiter fugit, rediẽs ad ſectas & ſchiſmata partium ſuarum. Hinc Auguſtinus: *Fratres mei*, inquit, *ſi Chriſti vnica Eccleſia eſt (vt vna eſt) quicquid inde præciditur, quis tollit, niſi leo ille rugiẽs, & circuiens quærendo quem deuoret? Væ his qui præciduntur: nam illa*, ait, *integra permanebit*. An non præciſus à catholica eſt Eccleſia, qui pro aliquarũ partiũ ſtudio exiit ab illa, propria quoq; Epiſcopatus ſui ſponſa repudiata? Et ſi ille Adelbertus reliquit Wormacienſem Eccleſiam, nunquid ideo repellit Dominus plebem ſuam? *Dixit Sion* (congregatio enim ſanctorum, qui in pace Domini, & in virtutum ſpecula ſunt conſtituti, appellãtur Sion:) *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei*: cui per Eſaiam Prophetam reſpondet Dominus: *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui*,

Adelbertus Wormac. Epiſc.

dicit Dominus: nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam: *Erunt*, inquit, *duo in carne vna*: quoniam redemptor noſter cum ſancta Eccleſia, quam redemit, ſecundum carnem vna ſubſtantia eſt, & vna perſona. Ecce nos, qui vnum Eccleſiæ catholicum corpus veneramur atque diligimus: nos (inquam) deſcripſimus, quanta breuitate potuimus, quales ſint aut fuerint primi de participibus Hildebrandi: vt iam, ſi poſſit, præpoſitæ ſcriptor Epiſtolæ defendat partem ſui ipſius Gregorii, iuxta quod promittit ille, præſumens plurimum de ſua iuſtitia, quam & quærit ſtatuere: ignorans certe (ſicut Apoſtolus ait) quæ ſit Dei iuſtitia. Quiſquis enim in ſemetipſum deſcendit, & beati Iacobi Apoſtoli verba attendit, quibus dicit, *In multis offendimus omnes*: non facile diuidit ſe, aut ſeparat à conſortio aliquorum, pro eo quod ſint peccatores: quia *ſi dixerimus*, inquit Ioannes Apoſtolus, *quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Quod ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt Deus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, quoniam non peccauimus: mendacem eum facimus, & verbum eius non eſt in nobis.* Ex his beati Ioannis Apoſtoli verbis colligitur, quod ſi nemo ſe iuſtum profitetur, ſed omnis ſe peccatorem recognoſcit & confitetur: ex his (inquam) colligitur, quod membra ſibi inuicem compatiantur, & faciant omnes quod præcepit & docet Apoſtolus, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus, ſuſtinentes inuicem in dilectione, ſatis agentes ſeruare vnitatem ſpiritus in coniunctione pacis. Vnde & Cyprianus Epiſcopus in libro de Patientiæ bono: *Ecce*, inquit, *ecce probauit Apoſtolus, nec vnitatem ſeruari poſſe, nec pacem, niſi ſe inuicem fratres mutua tolerantia foueant: & concordiæ vinculum patientia interueniente cuſtodiant, iuxta quod iterum dicit Apoſtolus: Non ſitis alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes: humiles quippe ſunt vnanimes & pacifici, qui non faciunt ſchiſmata.* Sed ſuperbi faciunt ea, quales dicuntur Phariſæi, quia per falſam iuſtitiam ſunt à cæteris diuiſi. Sicut enim ſcribit Iſidorus Epiſcopus in libris Etymologiarum, *ſchiſma ab animorum ſciſſura vocatur, cuius ſectæ æmulatores diffiniuntur, quod eodem cultu, eodem ritu credant vt cæteri, ſed ſolo congregationis diſſidio delectentur. Fit autem*, inquit, *ſchiſma, cum dicũt homines: Nos iuſti ſumus, nos ſanctificamus immundos, & cætera horum ſimilia.* Sed ſchiſma grauius eſſe ſcelus quam idololatriã, didicimus ex teſtimonio ſacræ ſcripturæ: quoniam legitur in veteri Teſtamento, idololatriam gladio punitam eſſe, ſchiſma autem hiatu terræ. Igitur æmulatores, ſiue authores ſchiſmatum, quæ dudum facta ſunt in Eccleſia pariter, & in Republica, extant præcipue quidam qui dicuntur Monachi de Hyrſaugia: ex quorum ſcholia peruenit ad nos hæc, de qua tractamus,

Hirſaugienſes monachi.

mus, Epiſtola, quæ contra Apoſtolicam ſedem & contra regiam poteſtatem eſt * deſcripta: & inteſtinum illud bellum, quo in plures ſectas iam diu ſciſſus eſt ſingularis ille ordo monachorum, ecce peruenit ad publicum malum. Qui enim debuerant ſe continere intra ſolitudines monaſteriorum, egreſſi ſunt vltra terminos & conſtitutiones Patrum, vſurpantes ſibi contra diuinam ordinationem diſponere, immo deſtruere regnū & ſacerdotium, qui mittunt circumquaque Angelos verbi ſui, prædicantes apud ſe ſuoſque ſectatores eſſe tantum Eccleſiam Dei & iuſtitiam Dei, & ſancta ſacerdotia Dei: qui hoc etiam addunt, ſicut ipſorum indicant ſcripta, quod ſint cœleſtes & ſpiritales, ac filii Dei. Ergo monachus interpretatur ſingularis, ſiue ſolitarius. De monachis quidem hoc conſtitutum legitur in Chalcedonenſi Synodo, capitulo IIII. *Qui renera & manifeſte ſolitariam vitam ſectantur, honore competenti fungantur. Verum quoniam quidem ſub prætextu habitus monachalis Eccleſias & conuentus & res communes diſturbant, ciuitates indiſcrete circumeuntes, & monaſteria conſtruere ſtudentes: placuit nullum vſquam ædificare poſſe, neque monaſterium conſtruere, neque oratorium, abſque ciuitatis Epiſcopi voluntate: Monachos vero qui ſunt per ſingulas ciuitates & prouincias, Epiſcopis ſubditos eſſe, & quietem diligere, ieiuniis & orationibus contentos eſſe: & in illis locis perſeuerare, in quibus ſeculo videntur renunciaſſe, nequaquam autem Eccleſiaſticis vel ſecularibus rebus communicare nec importunitatem inferre propriis monaſteriis deſertis, niſi forte quæſiti fuerint propter cauſam neceſſariam à ciuitatis Epiſcopo: non eſſe ſuſcipiendum ſeruum, faciendum monachum, præter proprii Domini voluntatem: qui vero hoc conſtitutum noſtrum exceſſerit eum à communione ſuſpendi decreuimus, ne nomine Dei blaſphemetur.* Hæc eſt Chalcedonenſis conſtitutio Synodi, de qua ſanctus Papa Gregorius ſic ſcribit inter cætera Secundino ſeruo Dei Incluſo: *Libenter accipiens dilectionis tuæ ſcripta, quibus rogaſti me libellum exoratorium tibi ſcribere deſidero te certum eſſe quia omnes Eccleſiæ orientales vno ſenſu, vna doctrina, ſanctam Chalcedonenſem Synodum ita nobiſcum cuſtodiunt atque venerantur, vt nullus reperiatur qui eiuſdem Synodi defenſor ſectatorque non fuerit. Vnde neceſſe eſt*, inquit, *vt dulciſſima dilectio tua, ad id quod præcipue in bonis morib. viuit, quod ſe per abſtinentiā affligit, quod doctrinæ Dei vehemētius inſiſtit: hoc ſtudioſius cogitet, ne errorē ſchiſmaticorū ſequens, à ſancta vniuerſali Eccleſia poſſit diuiſa inueniri. Et quid tot labores proderunt, ſi in vnitate fidei non fuerint inuenti, quæ ante omnipotentis Dei oculos bonis operibus animā præcipue cuſtodit? Hinc enim dicitur: Vna eſt columba mea, perfecta mea.* Cōtra hęc atq; alia ſanctorū Canonū ſtatuta aliud aliquid agere, hoc eſt hæreſim eligere cuius author ſimul & cōmunicator principali ſentētia dānationis eſt vtiq; obſtrictus, iuxta quod ſcribit ſanctus Papa Gelaſius: *Hic*, inquit, *ſi examinatio quæritur, ſi authoritatis pondus inquiritur Chalcedonēſis Synodi, tenore illius:*

> * per Bernardum Corbeienſem, de quo in Prolegom. diximus.

diffinitionis executio reperitur: quo damnati illic erroris communicator effectus, præfixa nihilominus particeps damnationis exiſtit: quoniam idem ipſe error, qui ſemel eſt cum ſuo authore damnatus, in participe quolibet prauæ communionis effecto, & execrationẽ ſui geſtat, & pœnam. Quibus conuenienter ex paterna traditione perpenſis: *Quid ambagibus*, inquit, *& nebulis iſta prætexunt, vt impudentiã ſuam, mentemq; veſanam inanibus potius fabulis celare lethaliter, quam prodendo medicinaliter ſanare contendunt?* Sicut enim, inquiunt, ſanctus pater Benedictus audiuit à Diabolo, *Maledicte, & non Benedicte*, nec illi nocuit: ita & his Wigberti non nocebit maledictio: veritas quippe loquitur in Euangelio, de Diabolo: *Ille*, inquiens, *homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia veritas non eſt in eo*: qui ſcilicet videns idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitauit nouam fraudem, vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos: hæreſesque inuenit & ſchiſmata, quibus ſubuerteret fidem, corrumperet veritatem, ſcinderet vnitatem. Quos detinere non poteſt in viæ veteris cæcitate, circumſcribit noui itineris errore, rapit de ipſa Eccleſia homines: & dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſeculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras infundit: vt cum Euangelio, & obſeruatione eius, & lege nõ ſtantes, Chriſtianos ſe vocẽt, & ambulantes in tenebris habere ſe lumen exiſtiment, blandiente aduerſario atque fallente, qui ſecundum Apoſtoli vocem transfigurat ſe velut Angelum lucis, & miniſtros ſubornat ſuos, velut miniſtros iuſtitiæ, aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti: vt dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtientur.

CAPITVLVM XXXVIII.

SIcut, inquiunt, *enim ſanctus pater Benedictus audiuit à Diabolo, Maledicte, & nõ Benedicte, nec illi nocuit: ita & his Wigberti maledictio nõ nocebit.* Quid ergo? nõ nocebit eiuſmodi monachis, quod tranſgreſſi ſunt per omnẽ modũ cõſtitutiones prædictæ Synodi Calcedonẽſis? Cõſtitutum eſt ſiquidẽ inter cætera, *Monachos per ſingulas ciuitates & prouincias Epiſcopis ſubditos eſſe, & quietẽ diligere, nequaquã autẽ Eccleſiaſticis vel ſecularibus rebus cõmunicare, alioqui alienos eſſe ab Eccleſiaſtica communione.* Certe firmamentum Dei ſtat: & quod authoritate conſtitutionis Eccleſiaſticæ præfixum eſt, nulla ratione conuelli poteſt. iuxta quod & ſanctus Papa Gregorius de eiuſmodi ſcribens ad Ioannem Lariſſæum Epiſcopum, indicat: *Conſona*, inquiens, *ſanctis Patribus diffinitione ſancimus, & qui ſacris neſcit obedire canonibus, nec ſacris adminiſtrare altaribus, vel communionẽ capere ſit dignus.*

dignus. Et videte amplius, atq; intelligite attentius. Illi enim Monachi, de quorum Epiſtola tractamus, non ſolum per ſcripturam ſuam, ſed per omnem operam ſuam defendunt ea flagitiorum ſcelera, quæ per occaſionē belli ſolent fieri, iuxta quod dictum eſt ſupra. Et ſicut ipſi furantur de ſacris ſcripturis teſtimonia, quatenus condant & ſtatuāt hæreſes & ſchiſmata ſua: ſic etiam defendunt fures, homicidas atque periuros, ſicut ſupra inuenitur in ipſorum ſcriptura. Sed oſtenditur Zachariæ Prophetæ volumē volās: hoc eſt, iudicium Dei ab occulto prodiēs; cui & dicitur: *Hæc eſt maledictio, quæ egredietur ſuper faciem omnis terræ: quia omnis fur* (ſicut ibi ſcriptū eſt) *iudicabitur, & omnis iurans ex hoc ſimiliter iudicabitur. Educā illud, dicit Dominus exercituū, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & conſumet eum, animam ſcilicet cum corpore.*

CAPITVLVM XXXIX.

Sicut enim, inquiunt, *ſanctus pater Benedictus audiuit à Diabolo, Maledicte, & non Benedicte, nec illi nocuit: ita & his Wigberti maledictio non nocebit, immo magis proderit, ad Dominum dicentibus cum ſancto Dauid, Maledicent illi, & tu benedices.* Ecce qui docuerunt linguam ſuam mentiri, & maledicere, dicunt ſe maledicentibus benedicere, qui Chriſtum & Eccleſiam nō ceſſant blaſphemare: quales tradidit Apoſtolus ſatanæ, vt diſcant nō blaſphemare. Ecce enim, cū iuxta Canonū decreta non liceat alicui iudicare de iudicio Romanæ Eccleſiæ: illi quidē blaſphemāt Wigbertū, eundēq; Clementem Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, ſcribentes eum furem & hæreticum atque mendacē eſſe: inſimulantes eum, quod dici nefas eſt, Diabolo vel ſimulacro idoli ſimilē eſſe, ideoq; anathema ipſius ſibi nō nocere: præſumētes etiam Regē Henrichū quem Deus præcepit honorificare, multis modis ſimiliter blaſphemare. *Conatur etiam*, inquiunt, *ſtatua, quā erexit Nabuchodonoſor, ſe non adorantes catholicos aſtruere ſchiſmaticos. At nos*, aiunt, *fauente clementia Dei, certiſſima ratione probabimus, hoc errore non teneri: ſed eos potius, qui exemplo Dathan & Abiron inſurrexerunt in Gregorium, ſicut illi in ſummum ſacerdotem Aaron, qui conuenientes in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius, ſedentesque in concilio vanitatis, Gregorio, cui orbis terrarum communicauit, obedientiam contumaciter renunciauerunt, & ſe ab vnitate corporis Chriſti (quod eſt Eccleſia) per orbem terrarum diffuſa, ſeparantes: Wigbertum à ſede Apoſtolica in Synodis Romæ ſeptennio celebratis, excommunicatum ſibi Papam elegerunt: quaſi dicentes Domino, Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.*

CAPITVLVM XL.

QVum per Solomonem loquatur ſapientia Dei: *Ne in cogitatione quidē detrahas Regi, quia ego,* inquit, *os Regis obſeruo, & præcepta iuramenti Dei: & ſcito quia pro his adducet te Deus in iudicium.* Quum hæc (inquam) ita ſint, animaduertendum eſt, quomodo aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius conuenerint, qui ordinationi Dei, à quo poteſtas eſt, reſiſtunt: qui etiam Chriſtum Domini, Regem Henrichum ſcilicet, blaſphemantes, nomen ei atque impietatem Nabuchodonoſor imponunt: quum idem Rex atque Imperator videri ſe velit, atque appellari Catholicum, vtpote conſentientem omnibus bonis, qui ſunt ſolliciti ſeruare vnitatem in vinculo pacis. Sed dicit Dominus per Hieremiam Prophetam: *Ego,* inquiens, *dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis ſerui mei: inſuper & beſtias agri dedi ei, vt ſeruiant illi: & ſeruiēt ei omnes gentes, & filio eius & filio filii eius: gens autē & regnū, quod non ſeruierit Nabuchodonoſor Regi Babylonis, & quicunque non incuruauerit collū ſuum ſub iugo Regis, in gladio & fame & peſte viſitabo ſuper gentem illam, ait Dominus, donec conſumam eos in manu eius. Et viuo ego, dicit Dominus, quoniam iuramentum, quod dederat ei Rex Sedechias, & ſpreuit, ponam in caput eius, & morietur in prauaricatione, qua deſpexit me.* Deinde ſequitur, & dicit Dominus de falſis doctoribus: *Nolite audire verba Prophetarum dicentium vobis, Non ſeruietis Regi Babylonis: quia mendaciū ipſi loquuntur vobis: quia nō miſi eos, ait Dominus, & ipſi prophetant in nomine meo mendaciter, vt eiciant vos, & pereatis tam vos, quam Prophetæ, qui mentiuntur vobis. Nolite ergo audire eos, ait Dominus, & ſeruite Regi Babylonis.* Hoc eſt mandatum Domini ſuper Rege Ethnico, & vltra omnem terram impio: quanto magis ſuper Rege Chriſtiano & catholico? *Sed licet nos,* inquit Apoſtolus *aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizatum eſt vobis, anathema ſit.* Ex huius anathematis vinculo nullus certe liber exiſtit, quiſquis regiæ poteſtati reſiſtit vel detrahit: Et quiſquis iuramentum ſoluit, quod Domino ſuo reddendum Saluator in Euangelio præcipit, ac perinde (ſicut ſanctus Leo Papa ſcribit) *Si omnes & ſacerdotes & mundus aſſentiatur damnatis, damnatio conſentientes inuoluit,* " *non prauaricationem conſenſus abſoluit.* Gregorio, inquiunt, *cui orbis terrarum* " *communicauit, obedientiam contumaciter renunciauerunt.* Sed oues meæ (ait Dominus) *vocem meam audient: alienum autem non ſequuntur*, quia non no" uerunt vocem alienorum. *Et ſe ab vnitate,* inquiunt, *corporis Chriſti, quod eſt* " *Eccleſia, per orbem terrarum diffuſa ſeparauerunt.* Ecce quomodo mentita eſt iniquitas ſibi, quæ profitetur in ſcriptis ſuis defendere ſui partem Gregorii, qui certe non præfuit Eccleſiæ, ſed parti ſuæ: quoniam qui es benedictus Deus in ſecula, te per orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia. Illi

quippe

quippe exierunt à nobis, non nos ex ipſis. *Et Wigbertum à ſede Apoſtolica in Synodis Romæ ſeptennio celebratis excommunicatum ſibi Papam elegerunt.* Loquentes quidem blaſphemias, barbariſmum fecerunt, qui *ſeptennio* vitioſe dixerunt: qui à caritate, quæ fit de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta aberrantes, conuerſi ſunt in vaniloquium: volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Sicut enim ſæpe dictum eſt, non licet alicui iudicare de iudicio ſedis Apoſtolicæ, quæ habet facultatem ſine vlla Synodo præcedente, exoluendi quos Synodus iniqua damnauerat, & damnandi quos oportuit nulla Synodo exiſtẽte. Gregorius quippe, qui & Hildebrãd, non præfuit Eccleſiæ, ſed parti ſuæ. Ideoque (ſicut ait Gelaſius Papa) *quæ priuilegio vniuerſalis Eccleſiæ contraria probantur, nulla ratione ſubſiſtunt. Et elegentes*, inquiunt, *ſibi Papam Wigbertum, quaſi dixerunt, Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Ergo qui viam pacis neſcierunt, & in viam ſuam declinauerunt, ipſi vtique paſtores ignorauerunt intelligentiam, ſicut dicit Dominus per Eſaiam Prophetam: *Aperite*, inquit, *portas, & ingrediatur gens iuſta, cuſtodiens veritatem.* Vetus error abiit: ſeruabis pacem, quia in te ſperauimus. Domine dabis pacem nobis: omnia enim opera noſtra operatus es in nobis. Domine Deus noſter, poſſederunt nos domini abſque te: tantum in te recordemur nominis tui. *Ego* enim *ſum* (ait Dominus) *via, veritas & vita.* Sed Moyſes ſequeſter ac medius inter Deum & populum Iſrael, dixit ad Aaron ſacerdotem Domini, quãdo orta eſt ſeditio atque tumultus in Eccleſia Dei, vt ſtans inter viuos & mortuos oraret pro populo, vt ceſſaret plaga ab eo. cuius cauſa interitus erat ſchiſma pro ſacerdotio. Vnde loquutus eſt ad Chore & ad omnem multitudinem: *Mane*, inquit, *notum faciet Dominus, qui ad ſe pertineant, & ſanctos applicabit ſibi: & quos elegerit, appropinquabunt ei.* Et ait Dominus ad Moyſen: *Præcipe vniuerſo populo, vt ſeparetur à tabernaculis Chore & Dathan & Abiron*: ſurrexitque Moyſes, & abiit ad Dathan & Abiron, & ſequentibus eum ſenioribus Iſrael dixit ad turbam: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* Et cætera de eorundem ſchiſmaticorum ſuppliciis, quæ omnia in figuram contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correctionem noſtram, in quos fines ſeculorũ deuenerunt, ſicut dicit Apoſtolus. Vnde cõſiderandum eſt, quem ex his elegerit Dominus: vtrum Wigbertũ, an Hildebrandum, vel ſui ſchiſmatis ſucceſſorem Sergium, ſiue illum Ottonem ſacrilegum: qui ſicut dictum eſt ſupra furatus eſt Eccleſiarum priuilegia, ordinationes faciens in alienis parochiis cõtra ſanctorum Canonum decreta, vt eiuſmodi ſacrilegii exemplo aditus ianuaque pandatur omnibus hæreticis, ſi talis fuerit nõ paſtor, ſed inuaſor Apoſtolicæ ſedis. Qualis

certe fur & Hildebrand fuit: quoniam conſtat, eum oues Chriſti non in vnum congregaſſe, ſed vnum ouile Chriſti diſſipaſſe: qui & præcipiens aut conſentiens illicitas atque furtiuas ordinationes fieri in Metropolitanorum Epiſcoporum parochiis, ſpoliauit Eccleſias ſuis priuilegiis. Ideoq; iuxta quod per Malachiam Prophetam dicitur à Domino: *Diſperdidit Dominus virum, qui fecit hoc, magiſtrum & diſcipulum de tabernaculis Iacob, vbi eſt ſanctorũ congregatio*: quoniam vnus paulo poſt, quo venerat profugus, ad Salernam defunctus eſt in externis manſionibus: & alter nunc vſque vagatur in incertis ſedibus. Tales certe vel hæretici vel ſchiſmatici inſurrexerunt ad exemplum Dathan & Abiron contra ſacerdotium Domini. Qualis etiam fuit tertius illorum ſocius ille Sergius, qui inſurrexit contra Clementem Papam, per partium ſtudia ſubintroductus: atque ſtatim in ipſo ordinationis ſuæ ingreſſu profluuio ventris ſolutus paulo poſt interiit, diuino iudicio percuſſus.

Sergii exitus.

Sic quippe legitur in Eccleſiaſtica hiſtoria, Arrium ad Eccleſiam pergentem, Epiſcoporum & populorum frequentia conſtipatum, humanæ neceſſitatis cauſa ad ſecretum locum declinaſſe: vbi quum ſediſſet, inteſtina eius atque omnia viſcera in ſeceſſus cuniculum defluxiſſe, & ita dignam mortẽ blaſphemiæ & fœtidæ mentis exoluiſſe. Vnde conſtat, eos magis quam Wigbertum conſortes eſſe Arrii, quos conſtringit ſimilis pœna vel exilii vel ſupplicii. *Quod enim*, inquiunt, *ipſe Wigbertus ſe transfigurans in angelum lucis, quaſi ad docendum teſtimonia colligit de Scripturis, mirum non eſt: quia & Arrius hoc feciſſe legitur, de quo filius minor patre aſſeritur.* Sic vero, ſic oportet fieri per doctores Eccleſiarum, vt iuxta Pſalmiſtæ teſtimonium faciant iudicium conſcriptum, iungentes teſtimonio teſtimonium; quo ſcilicet iudicio cõſcripto nihil firmius eſt contra inſidioſos errores aduerſariorum: quo etiam nihil tutius eſt ad exhortationem & doctrinam fidelium. Certe Arrius nõ vtebatur diuinæ Scripturę teſtimoniis: ſed abutebatur, iuxta quod & iſti faciunt pſeudographi: de qualibus per Hieremiam Prophetam dicitur: *Quomodo dicitis, ſapientes non ſumus, & lex Dei nobiſcum eſt? Vere mendacium*, inquit, *operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum.* *Omnis* enim *arbor ex fructu ſuo cognoſcitur*, ſicut dicit Dominus. Ergo Wigbertus, qui & Clemens Papa, profert cum Apoſtolo, & docet ea, quæ ſunt fructus ſpiritus, ſicut eſt charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, manſuetudo, & cætera quæcunque pudica, quæcunque amabilia. *Nunquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?* dicit Dominus. Hi ſunt fructus à quibus ſpiritus maligni, qui in pſeudoprophetis loquuntur, valent dinoſci, ſpinæ videlicet ſchiſmatum, & horridi hæreſium tribuli, quibus eos, qui ſibi incaute appropiant, fœde lacerando contaminant: ſicut econtra per fragrantiam vuarum, ficorumque dulcedinem, apte

figuran-

figurantur fructus bonorum, qui pertinent ad Deum, qui ſanctos applicabit ſibi, & quos elegerit appropinquabunt ei. Sed (ſicut ſcribit ſanctus Gregorius ad ſupradictum Secundinum, ſeruum Dei Incluſum) *Peruerſi homines, qui eccleſiaſticam diſciplinam fugiunt; de ſuis actibus reprehendi pertimeſcunt: & nos quaſi de fide reprehendunt, quam ipſi neſciunt:* & dum neque in fide recti, neq; in bonis operibus intenti ſunt, cotidie deteriores fiunt, dum in eis culpa groſſeſcit, quæ quaſi de zelo feruoris fidei fieri etiam laudabilis appetit. *Sicut enim,* inquiunt, *ſanctus pater Benedictus audiuit à Diabolo, Maledicte, & non Benedicte, nec illi nocuit: ita & his Wigberti maledictio non nocebit.*

CAPITVLVM XLI.

VElint nolint, iam iudicati ſunt, quicunque contra Canones faciunt: & qui contra pacem, quam Chriſtus reliquit nobis, faciunt, & qui vnitatem Eccleſiæ diuidunt. Sed illi exierunt à nobis, non nos ab ipſis: nam *ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum,* ſicut dicit Ioannes Apoſtolus. Vbi enim eſt charitas, ibi pax: & vbi humilitas, ibi charitas. Humilitas quippe pertinet ad confeſſionem, quia confitemur nos peccatores eſſe: *charitas* autem *cooperit multitudinem peccatorum,* ſicut dicit Iacobus Apoſtolus. Sed Monachi, de quorum ſchiſmatibus atque ſcripturis tractamus, longe degenerauerunt ab illa, quam profeſſi ſunt, beati Benedicti paternitate: qui docent regiæ poteſtati, imò diuinæ ordinationi reſiſtendum eſſe, & exaltant ſe contra Pontificatum ſedis Apoſtolicæ: qui etiam ſe iuſtos & regulares Monachos eſſe profitentur, & cœleſtes ſe ac ſpiritales eſſe gloriantur, ſicut ſcripta ipſorum atteſtantur. Certe ſanctus Benedictus docet, nihil vtilius eſſe Monacho quàm humilitatem: oſtendens ex ſacræ ſcripturæ teſtimonio, genus eſſe ſuperbiæ omnem exaltationem. *Omni,* inquit, *vilitate, vel extremitate contentus ſit Monachus: & non ſolùm ſua lingua pronunciet, ſed etiam intimo cordis credat affectu, ſe inferiorem & viliorem omnibus.* Sed illi nunc Monachi, qualibus certe Phariſæis dicit in Euangelio Dominus: *Vos eſtis, qui iuſtificatis vos coram hominibus, Dominus autem nouit corda veſtra: quia quod hominibus altum eſt, abominabile eſt apud Deum:* illi inquam, ſic docent in ſynagogis ſuis, & ſic ſcribũt contra Pontificem Apoſtolicæ ſedis: *Caueto,* inquiunt, *tu ô Chriſtiane, ne Wigberto corde vel ore dixeris vnquam Aue.* Quin imò caue tu, ô Chriſtiane, ne vnquam ei dixeris Aue, qui ad te venerit, & doctrinam Chriſti non attulerit: quoniam qui ei Aue dixerit, communicat operibus illius malignis, ſicut Iohannes Apoſtolus ait. Credite experto, & qui veritatem dicit, Dei teſtimonium aſſcite: quia quum eiuſmodi genus Monachorum in noſtra

Ecce enim ipſi ſe iuſtos & regulares eſſe monachos profitentur, qui etiam ſimulacra peruerſorum dogmatum colunt & venerantur, quæ conflauit Diabolus in officina & domo illa, quæ vacat à ſeptem ſpiritualibus virtutibus, & diuinis ſacramentis, de quibus dicit Pſalmiſta: *Quoniam eloquia Domini, eloquia caſta, ſeptuplo ſunt purgata*: per timorem ſcilicet Domini per pietatem, per ſcientiam, per fortitudinē, per conſilium, per intellectū, per ſapientiam, vt exinde conſtet vni & ſeptiformi Eccleſiæ non alia recipienda eſſe eloquia, niſi ſeptempliciter purgata atque probata. Vnde & ſanctus Benedictus: *Conſtituenda eſt*, inquit, *nobis Dominici ſchola ſeruitij, in qua inſtitutione nihil aſperum, nihil graue conſtituturos ſperamus: ſed & ſi quid paululum diſtrictius dictante æquitatis ratione propter emendationem vitiorū, vel conuerſationem charitas proceſſerit, non illico pauore perterritus refugias viam ſalutis, quæ non eſt niſi anguſto initio incipienda: proceſſu vero conuerſationis & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorū Dei: vt ab ipſius nunquam magiſterio diſcedentes, in eius doctrina vſque ad mortem in monaſterio perſeuerantes, paſſionibus Chriſti per patientiam participemur vt regni eius mereamur eſſe conſortes.* Ex his vel paucis verbis poterit cōſiderari, quam ſpiritualis ſit inſtitutio atque doctrina beatiſſimi Benedicti: qui docet inter cætera, alumnos ſuos paſſionibus Chriſti per patientiam participari: qui quum in forma Dei eſſet, humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: cuius ſcilicet mortificationis exemplum vel indicium eſt renunciare mundo, & actibus eius, ac deſideriis. Quia ipſe dicit Dominus: *Qui non accipit*, inquiens, *crucem, & ſequitur me, non eſt me dignus*. Et quod docet ipſe pater Benedictus, conuerſantes in ſchola ſeruitii diuini non debere vnquam diſcedere à magiſterio Chriſti, hoc eſt, quod dicit Iacobus Apoſtolus: *Nolite*, inquiens, *plures magiſtri fieri, fratres mei, quoniam maius iudicium ſumitis: niſi dicatis idipſum omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodē ſenſu, & in eadem ſententia.* Sed in monaſteriis, vbi ad conuerſionem veniunt, vſq; ad mortem perſeuerare monachos & regula eiuſdem patris Benedicti inſtituit, & Chalcedonenſis Synodus ſub anathematis interpoſitione decreuit: niſi fortè fuerint quæſiti à ciuitatis Epiſcopo propter cauſam neceſſariam Eccleſiæ, iuxta quod conſtitutum eſſe videtur in decretis Syricii Papæ: *Monarchos*, inquit, *quos tamen morum grauitas, & vita ac fidei inſtitutio ſancta commendat, clericorum officiis aggregari & optamus & volumus: ita vt qui intra trigeſimum ætatis annum ſunt, in minoribus per gradus ſingulos creſcente tempore prouehantur ordinibus, & ſic ad diaconatus vel presbyterii inſignia maturæ ætatis conſecratione perueniāt. nec ſtatim ſaltu aſcendāt, niſi in his, quæ ſingulis dignitatib. præfixa ſunt, tempora fuerint cuſtodita.* At nunc omnia recta peruertuntur, & Monachi quoque terminos patrum tranſgre-

diuntur, & abſq; licentia proprii Epiſcopi ingrediuntur: immò inuadunt parochias alterius Epiſcopi: quales dicuntur Circumcelliones, iuxta ſententiam beati Auguſtini, vbi exponit verba Pſalterii: *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum*. Quem ſcilicet dulcem ſonum, & dulcem charitatem, & dulcem melodiam dicit monaſteria peperiſſe, & inde Monachos appellatos fuiſſe. *Qui enim*, inquit, *ſic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciant, & ſit in illis (quomodo ſcriptum eſt) anima vna & cor vnum, multa quidem corpora, ſed non multa corda: rectè dicuntur monos, id eſt, vnus, ſolus, quod interpretatur monachus.* Et idem Auguſtinus in tractatu Euangelii de fure & latrone, qui non intrat per oſtiū in ouile ouiū, ſed aſcendit aliunde: *Sunt*, inquit, *quidam homines, qui in ſuis gloriantur moribus, & alios poſt ſe trahere quærunt: non de Chriſti præceptis inſtruentes ſuos ſectatores ſed ſuis exemplis viuere eos ſuadentes.* De quibus aliò loco ipſa veritas ait: *Docentes doctrinas hominum, & mandata Dei contemnentes*, qui per aliam partem aſcendere quærunt, rapere & occidere, non vt paſtor ſaluare & cōſeruare. Hinc & per Hieremiam Prophetam Dominus ait: *Grex*, inquiens, *perditus factus eſt populus meus, paſtores eos ſeduxerunt, feceruntq; vagari in montibus. Omnes qui inuenerunt, comederunt eos: & hoſtes eorum dixerunt, Non peccauimus, pro eo quòd peccauerunt Domino, hæc paſſi ſunt, & hæc fecimus.* Hoc ipſum certe opprobrium, quod hoſtes Hieruſalē, & ciues Babyloniæ aliquando dixerunt: hoc etiam in ſe tranſtulerunt qui nunc iuxta eiuſdē Prophetæ vaticinium aſſumptiones falſas & eiectiones viderunt. *Non peccauimus*, inquiunt, *pro eo quod peccauerunt Domino, hæc paſſi ſunt.* Sed *ſi dixerimus* (ait Iohannes Apoſtolus) *quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Vnde Auguſtinus Epiſcopus: *Vbi eſt*, inquit, *charitas, ibi pax: & vbi humilitas, ibi charitas. Humilitas quippe pertinet ad confeſſionem quia confitemur nos peccatores eſſe. charitas autem cooperit multitudinem peccatorum.* Et iterum: *Signent ſe omnes ſigno crucis Chriſti, reſpondeat omnes Amen: cantent omnes Alleluia, baptizentur omnes, intrent Eccleſiam, faciant parietes baſilicarum: non diſcernūtur filij Dei & filij Diaboli, niſi charitate.* Hic eſt enim character ille, quo ſignati ſumus in diem redemptionis noſtræ: quia Dei diffuſa eſt charitas in cordibus noſtris per Spiritum ſanctū, qui datus eſt nobis: quo ſcilicet ſpiritu promiſſionis ſancto (ſicut ait Apoſtolus) ſignati eſtis. Sed quia acceperant characterem beſtiæ, & adorant imaginem eius, miſſi ſunt in ſtagnum ignis & ſulphuris, vbi eſt beſtia & pſeudoprophetæ, & cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum: ſicut dicitur in Apocalypſi per Iohannem Apoſtolum. Igitur filii Dei & filii Diaboli diſcernuntur charitate, ex qua contingit membrorum vnitatem concordare: vt ſi patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: & ſi gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.

Sed

107

Sed qui aſſumptiones falſas & eiectiones viderunt, *Non peccauimus*, inquiunt, *quia pro eo quod peccauerunt Domino, hæc paſſi ſunt.* Hæc ſunt verba eorum, qui pertinent ad Babylonem, ad terrenam ſcilicet ciuitatem, qui ſunt aduerſarii & hoſtes Hieruſalem, quæ interpretatur viſio pacis: cuius aduerſarius eſt quoque, atque hoſtis Rex Babylonis: qui vtpote gerens myſterium Diaboli, principis huius mundi, erexit ſibi ſtatuam contra Deũ cœli, vt adorent eum omnes, qui non pertinent ad ciuitatem Dei: quales etiam ſunt cultores peruerſorum dogmatum, quæ ſunt doctrinæ & mandata hominum: quibus vtpote venientibus contra doctrinam Chriſti, nõ eſt Aue dicendum, ne communicetur malignis operibus eorum.

CAPITVLVM XLII.

SEd neque hoc prætereundum, inquiunt, *quod Wigbertus ſe ſeruũ ſeruorum* « *Dei nominat mẽtiendo: ſanctam vero matrem Eccleſiam, id eſt, filios Dei, qui* « *ſpiritu Dei aguntur, quorum conuerſatio in cœlis eſt, ſynagogam Satanæ appellat.* « Ergo qui ſunt pacifici, hi dicuntur à Domino filii Dei: & qui charitatem habent, hi ſpiritum Dei habent. Nam in exordio naſcentis Eccleſiæ, venit Spiritus ſanctus ſuper credentes, & loquebantur linguis: nũc autem, quia exterioribus ſignis ſancta Eccleſia non indiget, quicunque credens in nomine Ieſu Chriſti, fraternã habuerit charitatem, Spiritui ſancto in ſe manenti teſtimonium perhibet iuxta quod Ioannes Apoſtolus docet: *In hoc*, inquiens, *ſcimus, quoniam Deus manet in nobis, in ſpiritu quẽ dedit nobis.* Hoc enim agit ſpiritus in homine, vt in illo ſit charitas: quoniam *charitas* (inquit Paulus) *diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Verum quoniam multi charitatem non habentes, & vnitatem Eccleſiæ peruerſo dogmate ſcindentes, nihilo minus Spiritum ſanctum in ſe eſſe contendunt, recte ſuper his ſequentia ſancti Ioannis verba nos inſtruunt: *Chariſſimi*, inquit, *nolite omni ſpiritui credere:* ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt: quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. A fructibus eorum cognoſcetis eos, dicit Dominus. Ecce enim ſummus Pontifex ſedis Apoſtolicæ arguitur mendacii, quia humilians ſe in omnibus, appellat ſe *Seruum ſeruorum Dei:* quod legitur beatus Papa Gregorius primus omnium in principio Epiſtolarum ſuarum ſcribendo, ſatis humiliter definiſſe, cunctiſque ſuis ſucceſſoribus documentum hoc ſuæ humilitatis dereliquiſſe. Sic vero, ſic ſancti omnes per humilitatem aſcenderunt ad exaltationem illam cœleſtem, de qua cecidit ille apoſtata Angelus per ſuperbiam, qui dixit in corde ſuo: *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum in monte Teſtamenti lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.* Quam ſcilicet Sathanæ altitudinem

imitantur hi, qui ſunt ex parte illius, quorum finis interitus. De quibus & Pſalmiſta loquitur: *Deiecisti eos*, inquiens, *dum extollerentur*. Poſtquã enim moti ſunt homines ab Oriente, & receſſerunt à vero lumine, tunc aduerſus Deum impietatis ſuæ turrim ædificauerunt, tunc dogmatum ſuperbias confinxerunt, curioſitate volentes non licita in ipſius cœli alta penetrare: & vocatus eſt locus ille Babel, id eſt, confuſio: quale myſteriũ iniquitatis nunc operatur per quoſdam, qui dicuntur Monachi, confundentes Eccleſiam pariter, & Rempublicam peruerſo dogmate ſuo: qui aduerſantur, & extollunt ſe aduerſus regiam poteſtatẽ, & aduerſus Apoſtolicam ſedẽ: putantes, legitimũ non eſſe regnũ, niſi quod per ſcelus fuerit quæſitũ: nec idoneũ eſſe Romanæ Eccleſiæ Epiſcopũ, niſi per quem pandatur omnib. hæreticis ianua & introitus in ouile Dominicum. Nouimus quidẽ domeſticam inſtitutionem eiuſmodi Monachorũ, quam vere poſſumus aſſimilare ſiliquis porcorum, de quibus non potuit ille ſaturari, quẽ dicit in Euangelio Dominus adhæſiſſe vni de principibus huius ſeculi: poſtquã diſſipauit portionẽ paternæ ſubſtãtiæ, tradẽs naturale ingeniũ luxui atq; deſidiæ. quũ ad imaginẽ Dei factus ſit homo, in intellectu ſcilicet, in mente, in interiore homine, in eo quod intelligit veritatẽ, diiudicat iuſtitiã & iniuſtitiã, nouit à quo factus eſt, poteſt intelligere creatorẽ ſuũ, laudare creatorẽ ſuum: quã ſcilicet intelligentiam habet, qui prudentiã habet: alioqui pater mendacii Diabolus aufert à cordibus hominũ Dei veritatem, aufert Dei imaginem, & imprimit apoſtaſiæ ſuę & mendacii imaginem. Quũ enim à cæteris animantibus per hoc maxime differamus, quod rationale animal ſumus, & loqui poſſumus: ratio autẽ omnis & ſermo, diuinis libris continetur, per quos & Deum diſcimus, & quare creati ſimus non ignoramus: mirandum eſt valde, quod nolunt aliqui, præcipue autẽ Monachi, quæ præclara ſunt diſcere, qui ne pueros quidẽ vel adoleſcentes permittunt in monaſteriis habere ſtudium ſalutaris ſciẽtiæ, vt ſcilicet rude ingenium nutriatur ſiliquis dæmoniorũ, quæ ſunt conſuetudines humanarum traditionum, vt eiuſmodi ſpurcitiis aſſuefacti non poſſint guſtare quã ſuauis eſt Dominus, qui dicit in Euangelio de talibus, *Væ vobis ſcribæ & phariſæi, hypocritæ, qui tuliſtis clauem ſcientiæ: vos enim*, inquit, *non intratis, nec ſinitis introeuntes intrare*. Igitur ignoratio diuinarum Scripturarũ, ignoratio eſt Chriſti, qui dicitur virtus Dei, & ſapientia Dei. Vnde & per Ieſaiam Prophetam dicit Dominus: *Eo quod appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem eius longe eſt a me, & timuerunt mandato hominum me, & doctrinis: ideo ego ecce addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & ſtupendo. Peribit enim*, inquit, *ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur*. Ecce enim, quod pro exercitio & induſtria

Monaſtica ſchola inſtitutio.

naturalis

[illegible] ingenii apud paganos olim iniuſtum & turpe videbatur, hoc [illegible]uc apud Monachos pro iuſtitia & ſanctitate tenetur & colitur: ſicut ſunt deſcriptę apud eos conſuetudines, & laxæ veſtes. Vnde & Quintilianus in primo libro de Inſtitutione orat: *Conſuetudo*, inquit, *ſi ex eo, quod plures faciunt, nomen accipiat, periculoſiſſimum dabit præceptum, non orationi modo, ſed quod maius eſt, vitæ. Vt ergo tranſeam*, inquit, *quemadmodum vulgo imperiti loquuntur, conſuetudinem ſermonis vocabo conſenſum eruditorum: ſicut viuendi, conſenſum bonorũ.* Hinc & Tullius in Rhetoricis: *Conſuetudo*, ait, *ius eſt abſq; lege, hoc eſt, abſq; ſcripto: quia lex dicitur à legẽdo.* Moyſes vero primus diuinas leges ſacris literis explicuit, & populo Dei ſeruandas contradidit. Nam omne ius legibus conſtat, & moribus. Sed ſicut Iſidorus Epiſcopus ſcribit in libris Etymologiarum: *Lex eſt conſtitutio ſcripta, & mos eſt vetuſtate probata conſuetudo non ſcripta.* Plenitudo autem legis eſt charitas, quia per ſacram Scripturam cognoſcit homo quid ſit, & vnde ſit, & quomomodo ſit, & ad quid vel quo peruenturus ſit. Cognoſcit etiam per ſacræ Scripturæ ſcientiam beneficia Dei, gratiam Dei, dona Dei: vt perinde poſſit debitas gratiarum actiones referre ſuo creatori, ſuo redemptori atque ſaluatori. Vnde & ipſa Dei ſapientia loquitur per Salomonem: *Sapientiam*, inquiens, *& diſciplinam qui abiicit, infelix eſt: & vacua eſt ſpes illorum in perpetuum, & labores eorum ſine fructu, & inhabilia ſunt opera illorum.* Sicut enim ſcribit ſanctus Auguſtinus, Deus mundum propter exercitium fecit, & omnibus copiis honeſtauit, duas proponens cauſas, præſentem & futuram, cœleſtem & terrenam, vt ad probationem eſſent hominum: vt qui ſprẽta futura vita præſentem eligeret, carni deputaretur: qui vero præſenti futuram anteponeret, ſpiritualibus dignus haberetur. Sed carnales delicias ſpiritualibus præferunt, qui naturale ingenium otio & deſidia torpeſcere ſinunt, qui etiam Euangelio Dei propter ſuas traditiones non obaudiunt. *Attendite*, inquit, *à fermẽto Phariſæorũ* quod eſt hypocriſis: *qui dilatant phylacteria ſua, & magnificant fimbrias, & ne induamini duabus tunicis*: quia vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Chriſtus vero ſimplicitatẽ colũbæ nos habere docuit: qui glorioſã Eccleſiam, non habentẽ maculam aut rugam, ſibi exhibuit: id eſt, quæ per peccatũ non habeat maculam, vel per duplicitatẽ rugam. Vnde & Cyprianus Epiſcopus, oſtẽdens in libro de Vnitate catholicæ Eccleſiæ, icc irco in colũbæ ſpecie Spiritũ Sanctũ veniſſe, vt debeamus in domo Dei, in Eccleſia Chriſti vnanimes habitare, cõcordes & ſimplices perſeuerare: *Hæc eſt*, inquit, *Eccleſia noſcẽda ſimplicitas, & obtinẽda, vt colũbas dilectio imitetur fraternitatis, vt manſuetudo & lenitas æquetur ouibus & agnis. Quid facit in pectore Chriſtiano luporũ feritas, & canũ rabies, & venenũ lethale ſerpentiũ, & cruen-*

ta ſæuitia beſtiarum? Gratulandum eſt, inquit, *quum tales de Eccleſia ſeparantur, ne columbas, ne oues Chriſti, ſæua ſua & venenata contagione prædentur. Cohærere & coniungi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pugna cum pace, tempeſtas cum tranquillitate. Nemo exiſtimet bonos de Eccleſia poſſe diſcedere: ſed qui iactantur, ſicut inanes paleæ tempeſtate: quorum peruerſa mens non habet pacem, dum perfidia diſcordans non tenet vnitatem.* Ergo longum eſt inter Monachos certamen atque diſcordia de veſte monachica, & apud eos, qui religioſiores videntur pro ſua iactantia: apud eos (inquam) tam ſolenne eſt & celebre, tamque ſanctum & venerabile nomen, quod eſt duplex veſtis, vt reliqui per monaſteria Monachi nullius meriti vel momenti æſtimentur ab eis, niſi induantur hac dyploide confuſionis. Sed *duabus*, inquit Dominus, *tunicis ne induamini. & habentes victum, & quibus tegamini, his eſtote contenti.* Contra hæc etiam diuina mandata affectant laxas veſtes, qui ſunt ſibi in hoc quoq; placentes: quũ ſuperbi, ſecundum Scripturas ſanctas, alio nomine appellentur ſibi placentes. Sed per naturale ingenium, quo illi minus ſapiunt, intellexit Lucanus quidam gentilis poeta, quod laxæ veſtes prætendant teporem quẽdam, & molliciem eorum, qui deſides ac pigri videntur ad virtutum exercitia:

> *Quicquid ad hos*, inquit, *tractus mundique teporem*
> *Labitur, emollit gentes clementia cœli.*
> *Illic & laxas veſtes, & fluxa virorum*
> *Velamenta vides.*

Sed ſanctiſſimus pater Benedictus, deſcribens quatuor genera Monachorum. *Tertium*, inquit, *Monachorum teterrimum genus eſt Sarabaitarum: id eſt, ſibi viuentium, qui nulla regula approbati, experientia magiſtra, ſicut aurum in fornace, ſed in plumbi naturam molliti, adhuc operibus ſeruantes ſeculo fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur: quibus pro lege eſt deſideriorum voluptas, quum quicquid putauerint vel elegerint, hoc dicant ſanctum: & quod noluerint, hoc putent non licere.* Vnde & per Solomonem dicitur: *Sunt impii, qui ita ſecuri ſunt, quaſi iuſtorum facta habeant.* Sed vos qui ſequuti eſtis me (ait Dominus) intrate per anguſtam portam: quia lata porta & ſpacioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quam anguſta, inquit, porta, & arcta, via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam. Ad hanc vero, quia difficilis eſt aſcenſus, ideo etiam ſanctus Hieronymus inter alia inſtitutionis monita proponit Monacho myſterium ſui habitus: *Vis*, inquiens, *ſcire, quales Dominus quærat ornatus? habeto prudentiam, iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem. His*, inquit, *cœli plagis includere: hæc te quadriga in altum, velut aurigam Chriſti, ad metam concitũ ferat.* Ergo ſancti Patres, qui vere erant Monachi, non verbis, ſed factis ita conſti-

conſtituerunt & tenuerunt modum atq; regulam monaſticæ veſtis, vt eſſet ad ædificationem ea vtentibus, & ad venerationem foris eam aſpicientibus. Vnde ſicut egregius vir Caſſianus ſcribit in quarto libro de Inſtitutis Monachorum: quidam de ſanctis Patribus ita inſtituit inter cætera quendam venientem ad conuerſionis ſtudium: *Noueris, inquit, te ab hodierno die huic mundo, & actibus ac deſideriis eius, eſſe defunctum, teque ſecundũ Apoſtolum mundo huic eſſe crucifixum, tibiq; hunc mundum: conſidera ergo conditiones crucis, ſub huius te deinceps ſacramento oportet in hac luce verſari: quia iam tu non viues, ſed viuet in te, qui crucifixus eſt pro te. Eo ergo,* inquit, *habitu ac figura, qua pro nobis in patibulo fuit ille ſuſpenſus, nos quoq; neceſſe eſt in hac vita degere: vt ſcilicet ſecundum Dauid affigentes de timore Domini carnes noſtras, vniuerſas voluntates ac deſideria non noſtræ concupiſcentiæ ſeruientia, ſed mortificationi eius habeamus affixa:* Vnde & Monachorum pater Benedictus, docens quomodo oporteat renunciantes ſeculo conuerſari in ſchola diuini ſeruitii: *Paſſionibus,* inquit, *Chriſti per patientiam participemur, vt regni eius conſortes eſſe mereamur.* Igitur Cuculla, quæ minor cella interpretatur, atq; ideo ſicut Monachus eſt vocabulum quoddam myſterii: ſic & cuculla eſt quædam virtus ſacramenti, ſuper qualem ſcilicet ſpiritualem habitum legitur quidam de ſanctis Patribus vidiſſe eandem virtutẽ ſtare, quam vidit ſuper baptiſmum ſtare. Cuculla autem, id eſt, minor cella, dicitur veſtis cucullata propter cucullum, qui eſt capitis operimentum. De quo ſic ſcribit quidam de antiquis poetarum. Cuculla.

Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Igitur cuculla eſt tunica talaris, & cucullata atq; manicata, habens ſpeciem crucis per quattuor partes extenſæ, vt eum qui crucifixus eſt mũdo, hæc quadriga ex omni parte concludat, atq; perducat ad cœleſtia, ſcil. prudentia, iuſtitia, fortitudo, atq; temperantia, ita vt prudentia deſurſum copulata ſit cum iuſtitia, quarũ neutra poteſt eſſe ſine altera: duæ vero altrinſecus virtutes, id eſt, fortitudo atque temperantia, ſic ſunt cognatæ prioribus, atq; coniunctæ, vt dum dextra contendit imbecillitatem infirmorum ſuſtinere, ſiniſtra contemperata ſit, & ſollicita ordinem, modum atq; opportunitatem rebus ſingulis reſeruare. Hęc iuxta ſententiam beati Hieronymi & ornamento ſunt, & munimento, quo ſcilicet monili nihil eſt (inquit) pretioſius, nihil ea gemmarum varietate diſtinctius, quando ex omni parte decoraris, cingeris, atque protegeris. Vnde & docet liber Eccleſiaſticus: *Quoniam beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei, ſtatuit caſulam ſine cucullam ad manus illius, & ſtatuit ſimul filios ſuos ſub tegmine illius, vt requieſcant bona per annum in caſula, ſiue in cuculla eius.* Sicut enim ſcribit Iſidorus Epiſcopus in lib. xix. Etymologiarum: *Caſula eſt veſtis cucullata dicta per*

diminutionem à caſa, eo quod totum hominem tegat, quaſi minor caſa: inde & cucula, inquit, *quaſi minor cella.* Scribit autem Monachorum pater [illegible] dictus: *Sufficere*, inquiens, *credimus Monachis per ſingulos cucullam, & tunicam, & ſcapulare propter opera.* Ecce primo facit generalem ſuper veſte Monachi deſcriptionem. Ac deinde infert numerum, & qualitatem: *Sufficit enim*, inquit, *Monacho duas cucullas habere, & duas tunicas, propter noctes, & propter lauare, & ipſas res.* Tunica quippe cum ſit veſtis diuerſarum formarum, ſiue fuerit linea, ſiue lanea, ſiue pellicea, atq; alia eiuſmodi plurima; hic dicitur certe talis tunica, qualis eſt camiſia: quarum duæ à ſancto Benedicto propterea vnicuique Monacho permittuntur, non vt ſimul portentur, ſed vt viciſſim induantur: vt dum vna lauatur, quod eſt lauare ipſas res, altera in vſu habeatur, & idcirco contra præceptum Domini, vel aliorum ſanctorum Patrum, ipſe pater Benedictus nihil docuiſſe vel conſtituiſſe probatur. Quod autem conſtituit propter noctes etiam tales tunicas haberi, inde eſt, quod in alio regulæ ſuæ capitulo præcipit, vt Monachi dormiant veſtiti, & cingulis præcincti: quoniam camiſia ſolet præcingi. Cama enim, vnde dicitur camiſia, eſt breuis lectus, ſicut in xx. libro Etymologiarum ſcribit Iſidorus Epiſcopus. Et ſupra in xix. libro: *Camiſiæ*, inquit, *vocantur, quia in his dormimus in camis, id eſt, in ſtratis noſtris.* Cæterum Baſilius Epiſcopus ſcribit in regula ſua de inſtitutione Monachorum: *Cũ autem duas tunicas habere prohibeat ſermo diuinus, quomodo poteſt hoc ſuſcipi? nihil inde poſſumus dicere, cum manifeſta diffinitione deſcriptum ſit, in qua dicitur: Qui habet duas tunicas, det non habenti, ex quo ſine dubio plurimos habere illicitum eſt. Quibus ergo habere duas tunicas non licet, his quomodo aliquid de diuerſitate indumentorum præcipi poteſt? Quæ autem*, inquit, *poſtmodum introducta ſunt humanæ vitæ artificiis, luxuriæ ingenio ſunt conquiſita.* Legitur enim in Eccleſiaſtica hiſtoria, quod Montanus quidam hæreticus duplicis veſtimenti author extiterit, & quod ſectatores eius initium ſumpſerint ex imperitia. Et quum præceperit Dominus duas tunicas non portari, nec veſtiri ambitione phariſaica, eos omnia agere contraria, & ea ſimul acquirere & congregare, quæ Dominus etiam habentes iubet abiicere. Proinde etiam ait in Euangelio Dominus: *Qui non baiulat*, inquiens, *crucem ſuam, & venit, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Crux quippe Domini non illa tãtum dicitur, quæ paſſionis tempore ligni affixione conſtruitur: ſed illa, quæ totius vitæ curriculo cunctarum diſciplinarum virtutibus coaptatur. Vnde & in ſigno crucis deſcribitur non ſolum tota Monachi vita, & inſtitutio; ſed omnis Chriſtiana actio, bene operari in Chriſto, & ei perſeueranter inhærere, cœleſtia ſperare, ſacramenta non prophanare: vt (*ſicut ait Apoſtolus*) *in charitate radicati & fundati, poſſimus comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & longitudo, & ſublimitas & profundum*: id eſt, crucem

Domini,

Domini, cuius latitudo dicitur in tranſuerſo ligno, quo extenduntur manus: longitudo à terra vſque ad latitudinem ipſam, quo à manibus & infra totum corpus affigitur: altitudo de latitudine ſurſum vſque ad ſummum, quo adhæret caput: profundum vero, quo terræ infixum abſconditur. Ergo ſicut dictum eſt cuculla eſt tunica talaris, & cucullata, atque manicata, vbi quaſi per quendam pædagogum docentur ſuperius comprehenſa ſanctæ crucis myſteria, vt in altitudine ſit charitas bene operandi, in longitudine perſeuerantia firmiter inhærendi, in altitudine contemplatio cœleſtis vitæ, inſcrutabilia in profundo Dei iudicia, vnde iſta in homines venit gratia. Sicut enim Monachus eſt vocabulum quoddam myſterii: ſic & cuculla eſt quædam virtus ſacramenti: quale ſcilicet veſtimentum ſic metitur in regula ſua ſanctus Baſilius Epiſcopus, iuxta doctrinam & præceptum Apoſtoli, vt nec breuius ſit, nec grandius, quam ad ſtaturam Monachi. Quam certe ſententiam confirmat ſanctus pater Benedictus Abbas, inquiens: *Prouideat de menſura, vt non ſint curta ipſa veſtimenta vtentibus ea, ſed menſurata.* Nam ſanctus Auguſtinus Epiſcopus ſcribit in libro de beata vita: *Modus*, inquiens, *vbique ſeruandus eſt, vbique amandus, ſi vobis cordi eſt ad Deum reditus. Modus enim animi eſt ſapientia, quæ & Dei eſt ſapientia: id eſt, Chriſtus: qui etiam cum veritas ſit, neque veritas*, inquit, *ſine modo, neque modus ſine veritate vnquam fuit, & ideo verum omne, quod loquimur; Dei eſſe probatur.* Vnde & Dominus excitans in nobis intellectum, vbi homo ad imaginem Dei factus eſt: *Eſtote*, inquit, *perfecti, ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Omnia enim in menſura, & numero, & pondere creauit Deus. Optimus eſt autem in omni re modus, & laudabilis vbique menſura: ſed in bonis quoque rebus quicquid modum exceſſerit, vitium eſt, ſicut Hieronymus ait. Per conſuetudinem autem turpe cœpit non videri, quod eſt turpe: quia recedit pudor blandiente conſuetudine. Ideoque pro virtutibus ducuntur ea, quæ ſunt vitioſa, & pro honeſtate, quæ ſunt inhoneſta: quæ omnia peccatores & Apoſtatę Angeli ſuis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia deuoluti, à cœleſti iugo receſſerunt. Ergo templum & altare, & adorantes in eo menſurantur, ſicut in libro Apocalypſis legitur: atrium autem, quod foris templum eſt, eiici foras iubetur, vt non metiatur. Latitudo quippe præſentis vitæ per atrium ſignificatur: atque ideo metiendi non ſunt, qui foris templum ſunt, qui per atrium deſignantur: quia anguſta porta eſt, quæ ducit ad vitam: & latitudo vitæ prauorum non admittitur ad menſuras & regulas electorum. Vnde etiam præcepit in Euangelio Dominus, conſtitutos in agro & operatione virtutum, non reuerti retro, vel aliquid de domo priſtinæ conuerſationis tollere: & ne alteram quidem tunicam tollere, quam Apoſtoli prohibentur habere. Sed quia otioſitas inimica eſt animæ: ideo propter opera tantum conſtituit ſanctus Benedictus alteram cucul-

lam, quæ dicitur ſcapulare: eo quod eiuſmodi veſtis apta ſit caput tantum & ſcapulas tegere. Sic enim ſcribit & docet beatus Baſilius in regula ſua de Inſtitutione Monachorum: *Reuera*, inquiens, *neceſſarium videtur, eum qui manuum opere vti in aliquo debet, expeditum eſſe, & in omnibus præparatum: ac ſine vllo impedimento inueniri ad omne boni operis miniſterium.* Vidimus nos aliquando veſtem cucullatam, paruam quidem: ſed ita moderatam, vt deſuper vſque ad renes tantum deflueret, & vtrinque vſque ad humerorum confinia pertingeret: qualis certe forma atq; menſura proprie dicitur ſcapulare, quod Monachis propter opera tantum aſſignatur ex mandato regulæ: quia ibi exprimitur vtrinque, vt & Monachus ſingularitatis ſuæ cuſtodiam per veſtem cucullatam attendat: & per breuitatem eius ſimul & per brachiorum nuditatem magis explicitus & impiger ad opera fiat. Rara autem eſt nunc apud Monachos, & inuſitata eiuſmodi veſtis: quia pauci, aut omnino nulli iſtius temporis Monachi ſtudent more Patrum labori aut exercitio operis: quum apud antiquos patres fuerit vſitatum, vt nullum ſuſciperent in conſortium ſuum, niſi probatus hoc meruerit per operis exercitium: quod orationum ſtudia, atq; lectionum præcipue valent contra impugnationes vitiorum.

Sarabata. Vnde & Sarabattas, hoc eſt, ſibi viuentes, appellat ſanctus Benedictus tertium genus Monachorum: *quoniam nulla*, inquit, *regula approbati experientia magiſtra, ſicut aurum in fornace, ſed in plumbi naturam molles adhuc operibus ſeruantes ſeculo fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur: quibus pro lege eſt deſideriorum voluptas: cum quicquid putauerint vel elegerint, hoc dicant ſanctum: & quod noluerint, hoc putant non licere.* Hinc beatus Hieronymus ſcribit ad ſacram virginem Euſtochium: *Tria*, inquiens, *ſunt genera Monachorum, ex quibus tertium eſt deterrimum, atq; neglectum, & quod in noſtra prouincia aut ſolum eſt, aut primum: apud quos*, inquit, *affectata ſunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, veſtis groſſior, crebra ſuſpiria, detractio clericorum: & ſiquando dies feſtus venerit, ſaturantur ad vomitum. Sed quia ſciunt Monachorum nomen glorioſum, ſub ouium pellibus lupos tegunt, Chriſtum mentitur Antichriſtus: & turpitudinem*, inquit, *vitæ falſo nominis honore conueſtiunt: qui etiam dum erubeſcunt pro Chriſto glorioſam cum Apoſtolo ſuſcipere nuditatem, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, & deſideria multa & inutilia & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.*

CAPITVLVM XLIII.

COnſideranda ſunt hæc, quæ ſancti Patres conſcribunt ſuper eo genere Monachorum, quod nunc in noſtra quoq: prouincia aut primum eſt, aut ſolum: quales etiam in publicum iam remerſerunt exitium, concitátes

regnum

regnum aduerſus regnum: qui non ab Apoſtolica ſede quidem abſtinuerunt, ſed multa contra eam geſſerunt, ſcripſerunt, & docuerunt: ideoque etiá à catholica Eccleſia apoſtatauerunt, qui in cathedra peſtilentiæ ſederunt, & ſupra altitudinem nubium ſedem ſuam poſuerunt: quale ſcilicet myſterium iniquitatis prætendunt in veſte ſua, vtentes capitio tunicæ pro cuculla, quæ dicitur minor cella, & habet ſpeciem crucis, ſicut dictum eſt ſupra. Vnde & beatus Iob, qui interpretatur dolens, & tenet typum vel Chriſti, vel Eccleſiæ, conqueritur ſe circumdari multitudine hæreticorum, quales ſunt fabricatores mendacii, & cultores peruerſorum dogmatum: *In multitudine*, inquit, *eorum conſumitur veſtimentum meum, & quaſi capitio tunicæ ſic cinxerunt me.* Tunicæ vero capitium circumdat induentis collum: collum autem, ſi ſtringitur, vocis vſus & vitalis flatus necatur. Corpus ergo Eccleſiæ quaſi capitio tunicæ cingunt, qui conſtrictis doctrinæ ſalutaris prædicatoribus, velut eius collum prementes, in ea claudere iter vocis volunt: quale ſcilicet myſterium iniquitatis prætendunt plures Monachi in veſte ſua, per quos fiunt, & facta ſunt ſchiſmata atque hæreſes in Eccleſia: qui etiam à matre filios ſegregant, oues à paſtore ſollicitant, Dei ſacramenta diſturbant: qui etiam Dei traditione contempta, alienas doctrinas appetunt, & magiſteria humanæ inſtitutionis inducunt. Qualem ſcilicet conſuetudinem ſolent defendere ac roborare per ſancti patris Benedicti teſtimonium, quo dicit peregrinum quemque Monachum conſuetudine loci, quam inuenerit, ſimpliciter fore contentum. Sed neceſſe eſt ex ipſius patris ſententia diſcernere, quid voluerit peregrinum aliquem Monachum, vtpote adhuc incognitum, & forte rudem atque indiſciplinatum, tenere in conſuetudinis propoſitione: cum idem pater adprime eruditus diuina lege, & ſatis exercitatus ſtudio moralis ſcientiæ, videatur conſentire cum cæteris doctoribus, qui dicunt morem eſſe conſenſum omnium ſimul habitantium, qui interpretatus conſuetudinem facit: ſicut eſt, aſſurgere maioribus, & vultumque inceſſum & ſermonem atque habitum ita moderari ac gerere, vt honeſtas naturæ perpendatur ex morum probitate. Nam ipſe pater Benedictus teſtatur, ſe regulá deſcripſiſſe, vt hanc (inquit) obſeruantes in monaſteriis, diſcant aliquatenus vel honeſtatem morum, aut initium conuerſationis tenere. cæterum poſſe eos, qui ad perfectionem conuerſationis feſtinant, per doctrinas ſanctorum patrum, & per inſtituta eorum ad celſitudinem perfectionis venire, cum ſermo diuinus, & autoritas veteris & noui teſtamenti rectiſſima ſit norma vitæ humanæ. Ideoque (ait) nihil debet Abbas extra præceptum Domini quod ſit, aut docere, aut cõſtituere, vel iubere: ſed iuſſio eius, vel doctrina vt fermentum diuinæ iuſtitiæ in diſcipulorum mentibus conſpergatur.

Oportet autem, inquit, *Abbatem eſſe doctum lege diuina, vt ſit vnde proferat noua & vetera.* Sicut enim dicit Dominus per Ieremiam Prophetã: *Stultus eſt omnis homo à ſcientia, & opera eorũ vana ſunt, & riſu digna.* Ergo licet Moyſes ſit, licet Petrus, aut Paulus ſit, in nihilũ deputabitur cuncta eorum abſq; Deo ſapientia: à quo eſt omnis modus, omnis ſpes, omnis ordo, omnis ſpecies, & omnis iuſtitia. Sed conualeſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex apud eos eſt cuſtoditus: de qualibus ſcribit Caſſianus ad Caſtorem Epiſcopum in libris de Regulis Monachorum, & inſtitutionibus: *Multi*, inquit, *per diuerſas regiones pro arbitrio ſuo habentes quidem (vt Apoſtolus ait) zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, diuerſos modos ac regulas ſibimet conſtituerunt, & tot propemodum regulæ ſunt vſurpatæ, quot etiam monaſteria, cellæq; conſtructa ſunt. Ideoq; conſtat has diuerſitates per prouincias vſurpatas eſſe, quia nec dum ſeniorum inſtitutionibus eruditi, neſcientes quidem ordinem diſciplinæ monaſterio præeſſe, feſtinant, & abbates antequam diſcipuli, quod libitum fuerit, obſeruari decernunt, promptiores ſuorum inuentorum exercere cuſtodiam, quam examinatam maiorum ſeruare doctrinam.* *Super hac re*, inquit, *viri & vita nobiles & ſermone ſcientiaq; præclari multa iam opuſcula ediderunt: S. Baſilium & Hieronymum dico, aliosq; nonnullos, quorum tenor ſciſcitantibus fratribus ſuper diuerſis inſtitutis vel quæſtionibus, non ſolum facundia, verumetiam diuinarum ſcripturarum teſtimoniis, copioſo ſermone reſpondet.* Vnde & legitur in Eccleſiaſtica hiſtoria, de priorum patrum temporibus, quomodo reſtiterunt lupis gregi Dominico inſidiantibus, qui nunc plus abundant iſtis nouiſſimis diebus. *Igitur hæreticis*, inquit, *per omnem locum zizaniorum modo pura verbi Dei ſemina ſaculantibus, & areas Apoſtolicæ doctrinæ adulterina admiſtione polluentibus, ex omni parte ſacerdotes Domini, velut vigilantes agricolæ, excutere & expurgare eorum mala ſeminamina ſtabant, & tanquam ſolliciti paſtores inſidiantes lupos gregibus Chriſti, clamoribus ſimul inſectationibusque repellere, commonendo fratres, inſtruendo, ſcribendo etiam longe poſitis, ipſos, ſicubi coram deprehendiſſent in communi perurgendo, & verborum luctamine, ac diſputationum certamine proſternendo, alij etiam poſteris conſulendo, quæſtiones eorum & peruerſas obiectiones editis commentariis confutando.* Hinc etiam ſanctus Leo Papa: *Non eſt*, inquit, *omnino ferendum, ſed profanis erroribus etiam quorundam ſacerdotum corda conſentiunt, vel (vt mitiùs dixerim) non reſiſtunt. Qua conſcientia honorem ſibi ſacerdotij præſtitum vendicant, qui pro animabus ſibi creditis non laborant* [illegible] *ſtruunt, & ouium ſepta non claudunt. Fures inſidiantur, & excubias* [illegible] *prætendunt. Morbi crebreſcunt, & remedia nulla proſpiciunt. Cum* [illegible] *illud addunt, vt his qui ſollicitius agunt, conſentire detrectent, & impietatem* [illegible] *toto orbe damnatam ſubſcriptionibus ſuis anathematizare diſſimulent,* [illegible] *ſe intelligi volunt, niſi quod de numero fratrum, ſed de parte ſint hoſtium?*

Et ite-

Et iterum idem qui ſupra, ſcilicet Leo Papa: *Non ſit peruerſis*, inquit, *liberum, ſimulare quod fingunt, ne ſub velamine nominis Chriſtiani decretorum imperalium ſtatuta declinent. Quia ideo ad catholicam Eccleſiam cum tanta cordis diuerſitate conueniunt, vt quos poßint, ſuos faciant: & legum ſeueritatem, dum ſe noſtros mentiuntur, effugiant.* Sicut enim ait ſanctus Auguſtinus: *Inimici Chriſti ita ſentiunt nullum ſibi eſſe pondus authoritatis ad ſuadendum, quod profertur contra doctrinam Chriſti, dum ſi non habeant nomen Chriſti.* De cætero, Deus patientiæ & ſolatii det vobis. Fratres, idipſum ſapere in alterutrum, ſecundum Ieſum Chriſtum, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum, & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

WALTRAMI NAVMBVRGENSIS EPISCOPI

Apologiæ LIBER III.

PRO CLEMENTE III. PAPA PER HENRICVM IV. Imperatorem ordinato, contra Epiſtolam Bernhardi Corbeienſis Monachi De Sacramentis extra Eccleſiam vſurpatis.

CAPITVLVM I.

DEVS itaque ſummus & verus cum verbo ſuo, & Spiritu ſancto, quæ tria vnum ſunt, Deus vnus, omnipotens & factor omnis animæ, atque omnis corporis, cuius ſunt participatione felices, qui fecit hominem rationale animal ex anima & corpore, qui eum peccantem nec impunitum eſſe permiſit, nec ſine miſericordia dereliquit:

qui bonis & malis eſſentiam etiam cum lapidibus, vitam ſeminalem cum arboribus, vitam ſenſualem etiam cum pecoribus, vitam intellectualem cum ſolis Angelis dedit: à quo eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo: à quo eſt menſura, numerus, pondus: à quo eſt quicquid naturaliter eſt, cuiuſcunque generis eſt, cuiuslibet æſtimationis eſt: à quo ſunt ſemina formarum, forma ſeminum, motus ſeminum atque formarum, qui dedit & carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationis fœcunditatem, membrorum diſpoſitionem, ſalutem concordiæ: qui & animæ irrationabili memoriam dedit, ſenſum, appetitum: rationali autem inſuper mentem, intelligentiam, voluntatem, qui non ſolum cœlum & terram, nec ſolum Angelum & hominem, ſed nec exigui & contemptibilis animantis viſcera, nec auis pennulam, nec herbæ floſculum, nec arboris folium, ſine ſuarum partium conuenientia, & quadam veluti pace dereliquit. Hinc nullo modo eſt credendus regna hominum, eorum dominationes & ſeruitutes, à ſuæ prouidentiæ legibus alienas eſſe voluiſſe. ſicut ſcribit ſanctus Auguſtinus in libro quinto de Ciuitate Dei, aſſerens veritatem catholicæ fidei. Quam certe fidem catholicam quum nos teneamus, & confiteamur, tamen hæretici eſſe & ſchiſmatici ab hominibus externæ communionis aſcribimur, quoniam iuxta doctrinam atque mãdatum beati Petri Apoſtoli, nos ſubditi ſumus Regi tanquam præcellẽti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis, & quia etiam communicamus Pontifici Apoſtolicæ ſedis. Sed qui debeãt æſtimari vel catholici, vel hæretici, poterit ex ſtudiis alterutrorum colligi, iuxta quod in ſuperiore libro aliqua eorum geſta & mores deſcripſimus. Quum noſtri denique aduerſarii exigentes à nobis, non nos ab illis, fecerunt ſchiſma in Eccleſiaſtico corpore, profeſſi etiam in ſcriptis ſuis, ſe defendere partem ſui Papæ Gregorii, qualibus certe ſcribit Apoſtolicus doctor Gelaſius: *Tollatur ergo*, inquit, *nomen è medio, quod Eccleſiarum diſcretionem procul à catholica communione operatur, vt ſyncera pax fidei communionisq; reparetur & vnitas*: & tunc quis noſtrûm contra venerandam vel inſurrexerit, vel nitatur inſurgere vetuſtatem, competenter & legitime perquiratur, & illic apparebit quis modeſto propoſito cuſtodiat formam, traditionemque maiorum, quis ſupra hæc irreuerenter inſiliens, quis rapina æqualem poſſe fieri arbitretur.

CAPITVLVM II.

HÆc hactenus, nunc vero ſicut ſupra promiſimus, de ſcriptis Clemẽtis papæ diſſeremus, probantes ea fidei catholicæ eſſe, quæ vir quidã, iniquus & doloſus quærit peruertere falſiſſima interpretatione: qui etiam plura præter hanc, quam adhuc in manu tenemus, Epiſtolam, profitetur

cui ſe ſcripſiſſe contra eundem Pontificem Apoſtolicæ ſedis? *In libello*, inquiens, *quem fecimus tibi ſcribi, optime ad omnia reſpondetur his quæ in Wigberti Epiſtolis inuenis*: ſed quis ſit ad quem ſcribat, textus ſcripturæ non indicat, cum nec proprii nominis, nec eius ad quem ſcribitur epiſtola, vocabuli mentionem aliquam ſcriptor fecerit: qui etiam in exordio ipſius epiſtolæ dicit, quod ſalutationem ei præfigere nolit: cum præcipiat Paulus Apoſtolus, fratres ſalutare ſe inuicem in oſculo ſancto. *Quod ſignum*, inquit, *ſalutationis in omni epiſtola ita ſcribo: atque ideo rogamus*, ait, *vos fratres per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in idipſum, vt non cito moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini neque per Spiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquã per nos miſſam, ſcientes quomodo oporteat vos conuerſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis, & manifeſtæ magnum Sacramentũ pietatis*. Eccleſia quippe Dei dicitur columna in his eſſe, qui ſcilicet firmiores cum eodẽ Apoſtolo Paulo ſolent imbecillitates infirmorum ſuſtinere: in quibus eſt etiam firmamentum veritatis, quia veritatem ipſi Euangelii confirmant verbis & miraculis. Sed magnum quidem Sacramentum pietatis ipſa dicitur Eccleſia, quoniam atteſtante beato Iob: *Pietatis eſt ſapientia, abſtinere autem à malis eſt ſcientia*. Pietas quippe, quæ eſt Dei cultus, Græce dicitur Theoſebia, θεοσέβεια quoniam ad colendum Deum ſoli Eccleſiæ competit religio ſancta atque ſincera. Sed ſicut ſcribit Auguſtinus in libro de Vera religione: *Paria quidem Sacramenta celebrant heretici, quamuis ſententia diſpares ſint; qui dum errores ſuos animoſius defendere, quam cautius corrigere malunt, excluſi à catholica communione & à participatione, quamuis parium Sacramentorum propria vocabula, proprioſque conuentus non in ſermone tantum, ſed etiam ſuperſtitione merentur*: vt Photini & Arriani, & qui noſtris temporibus emerſerunt, Paterini, de quibus poſtea ſumus dicturi. Patareni.

CAPITVLVM III.

SVnt autem Sacramenta; baptiſmus, chriſma, & corpus & ſanguis: quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia ſub tegumento corporalium rerum, virtus ſecretius ſalutem eorundem Sacramentorum operatur. Vnde & à ſecretis virtutibus, vel à ſacris Sacramenta dicuntur: quæ ideo fructuoſe penes Eccleſiam fiunt, quia ſanctus in ea manens Spiritus, eorundem Sacramentorum effectum latenter operatur: atque ideo nec bonorum meritis diſpenſatorum hæc dona amplificantur, nec malorum attenuantur, quæ viuificat Spiritus ſanctus: quia *neque qui plantat, neque qui rigat, aliquid eſt: ſed qui incrementum dat, Deus*. Horum enim quodlibet Sacramentum, ſi Verbis Euangelicis in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti aliquis et-

iam hæreticus conſecrauerit, illa ſanctitas Sacramenti verbis Euangelicis conſecrata vere integra manebit: quamuis fides illius ſub eiſdem verbis, aliud opinata quam catholica veritas docet, non ſit integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata. Vnde Auguſt. in libro cuius titulus eſt De vnico baptiſmo: *Non itaq;*, ait, *ideo non ſunt Sacramenta Chriſti & Eccleſiæ, quia eis illicite vtuntur non ſolum heretici, ſed etiam omnes iniqui & impii: ſed tamen illi*, inquit, *corrigendi & puniendi, illa vero agnoſcenda & veneranda ſunt: quia nec ipſa creatura, quam Deus condidit, mala eſt: nec verba Euangelii in quibuslibet errantibus reprehendenda ſunt: ſed error ipſorum, in quibus & ſacramenti integritas honoratur, & mentis vanitas emendatur.* Proinde Clemens papa arguit eos qui aliter credunt de ipſis Sacramentis Chriſti & Eccleſiæ, aſſerentes ea extra Eccleſiam Sacramenta non eſſe: qui etiam cum fidem catholicam non habeant, ſeſe catholicos appellant: cæteros autem qui multo rectius quam ipſi credunt, hæreticos atque ſchiſmaticos eſſe diiudicant. *Sciendum vero*, inquiunt, *quod Wigbertus arguit catholicos aſſerere, illa quæ ſiunt extra Eccleſiam, Sacramenta non eſſe, nec aliquam damnationem cuiquam conferre, aſtruens tam extra quam intra catholicam Eccleſia hæc omnia rata & vera exiſtere: aſſumitque in teſtimonium aſſertionis ſuæ Auguſtini ſententiam, in quodam tractatu in Euangelium Ioannis, contra rebaptizatores editam. Ita ergo*, inquit Auguſtinus, *nec foris, ſicut nec intus, quiſquam qui ex parte Diaboli eſt, poteſt vel in ſe vel in quoquam maculare Sacramentũ, quod Chriſti eſt. Quam & nos*, inquiunt, *ſententiam fideliter amplectentes, reſpondemus, hoc Auguſtinum de ſolo, vnde tunc agebatur, Baptiſmi dixiſſe Sacramento.* Notate obſecro, notate vtrorumque verba, vt pariter proficiamus in fide catholica: [quod nobis præſtare dignetur, qui ſine fine viuit & regnat, Amen.]

Incluſa videntur ab exſcriptore adiecta ad complendum libri mutilatum.

* *Cætera deſiderantur.* *

IVONIS

Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis,

IVONIS EPISCOPI CARNOTENSIS Epiſtola

Scripta A.D. 1099.

DE INVESTITVRA EPISCOPORVM ET Abbatum, pro Henrico IV. Imperatore & Philippo I. Rege Francorum, contra Vrbani II. Papa nouationes in Imperio & Regno.

HVGONI Lugdunenſi Archiepiſcopo, Sedis Apoſtolicæ Legato, IVO humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter ſalutem & ſeruitium.

Factum eſt vt imperaſtis, & manus à conſecratione Senonenſis *a* Electi continuimus, & litteras veſtras per Cõprouinciales Epiſcopos pro Apoſtolicæ auctoritatis obedientia direximus. Petendo itaque conſulimus, & conſulendo petimus diſcretionem veſtrã, vt parcius de cætero nos Apoſtolicæ obedientiæ vinculis adſtringatis, ne humeris noſtris importabilia imponendo, in inobedientiam labi, prohibente aliqua impoſſibilitate, vel imperante aliqua neceſſitate faciatis. quia facile eſt vobis comminante arcu de longinquo pugnare, nobis autem nimis periculoſum aduerſantem gladio de præſenti ferire. Nos tamen interdicta ſeu mandata pro fidei defenſione, pro fidelium correctione, pro imminentiũ vel futurorum malorum interdictione, promulgata à Sede Apoſtolica ſic volumus obſeruare, vt parati ſimus Deo cooperante quælibet aduerſa pro eorum defenſione tolerare. Cum verò ea, quæ indifferenter ſe habent, & in quibus non obſeruatis minimè ſalus periclitatur, vel obſeruatis minimè iuuatur, tam obnixè ſeruanda ſancitis: vel cùm ea, quæ antiquitas ſanxit, conſuetudo ſeruauit, & venerabilium auctoritas Patrum ſacrata firmauit, prout vultis, minuitis, aut mutatis: attẽdere debet prudẽtia veſtra, quid ſaluti eorũ quibus per omnia prodeſſe debetis, conferatis, vel quorũ inſtitutio ſit potiùs te-

a Daimberti.

Papalium Legatorũ tyrannis & iniquitas.

nenda, vel quibus obedientia potiùs ſit exhibenda; an illis ſanctis Patribus, qui adhuc nobis in ſcriptis ſuis loquuntur, an vobis, quibus nihil eſt aliud propoſitum, niſi priorum ſequi & honorare veſtigia. Neq; hæc dico, quod contra nouos exceſſus non liceat noua promulgare mandata: ſed
a C. contra. 25. q. 1. hoc dico, quòd dicit Papa *a* Zozimus Narbonenſibus: *Contra ſtatuta Patrum concedere aliquid vel immutare, nec huius quidem Sedis poteſt auctoritas. apud nos enim inconuulſis radicibus viuit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reuerentiam.* In libro quoque Pontificum, qui dicitur Diurnus, ita continetur de Profeſſione Romani Pontificis: *Nihil de traditione, quã à probatiſſimis prædeceſſoribus meis traditam & ſeruatam reperi, diminuere, vel mutare, aut aliquam nouitatem admittere, ſed feruenter vt eorum diſcipulus & ſequipeda totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonicè comperio, obſeruare, ac venerari profiteor.* Beatus quoq; Gregorius Maurentio Magiſtro pro cauſa Theodori: *Graue nimis eſt contra veterem vſum Sacerdotes ſibi quidquam arripere.* Item idem: *Omnia quæ vſus antiquitatis ſtatuit, inteméràta ſeruentur.* Inde Leo Quartus ſcribit Iudici Sardiniæ: *Nec mos, nec nouiter introducta conſuetudo noſtra eccleſiæ noſtris prædeceſſoribus fuit, contra canonum ſtatuta,*
b ep. ſt. 75. lib. 1 & in c. nos. diſt. 12. *noua vel inuſitata præſumere.* Item *b* Gregorius vniuerſis Epiſcopis Numidiæ: *Conſuetudinem, quæ contra fidem nihil vſurpare dignoſcitur, immotam permanere concedimus, ſiue de Primatibus conſtituendis, ſiue de cæteris capitulis.* Item Leo Quartus Lothario: *Quòd iuſta ac ſedula conſuetudo nos imitari non præcipit, ita ab hoc veluti à magno præcipitio nos cuſtodire oportet.* Nicolaus
c Nicol. P.P. epiſt. 70 & ha tur etiam C. 6 diſt. 12. quoque inter cætera ſic ſcribit *c* Hincmaro Remenſi Archiepiſcopo: *Ridiculum eſt, & ſatis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitus à Patribus ſuſcepimus, infringi patiamur pro libitu ſemper errantium.* Gelaſius quoque venerabilibus Epiſcopis per Dardaniam de eadem re ita ſcribit: *Quia per ambitiones illicitas non pudet quoſdam eccleſiarum iura turbare, & priuilegia, quæ Metropolitanis vel Comprouincialibus Epiſcopis decreuit antiquitas, auida*
d C. quia per diſt. 64. *præſumptione peruadere, non reſpicientes, d quoniam æterno iudici rationem pro hac Catholicæ ſinceritatis iniuria, quam de traditionum præiudiciis paternarum, non ſine perpetuæ damnationis interitu ſint reddituri; ſi in hac obſtinatione permanſerint, caritatem veſtram duximus inſtruendam, vt vos omnes in commune fratres per Dardaniam, ſiue per contiguam quamque prouinciam conſtituti, qui vos ſub Metropolitanis veſtris eſſe meminiſtis, & ab eiſdem ſubſtitui decedentes, ſicut vetus conſuetudo depoſcit, vnanimiter ſtudeatis Antiſtites & viciſſim ſi Metropolitanus humanæ conditionis ſorte receſſerit, à comprouincialibus Epiſcopis, ſicut vetus forma tranſmiſit, ſacrari modis omnibus cenſeatis.* Cum ergo tam iſta, quàm alia generalia inſtituta, tam abſolutè conſecrationẽ Metropolitani contineant, miramur cur priuatis legibus & nouis traditionibus veteres traditiones & conſuetudines remouere contenditis,

præcipien-

præcipiendo vt Senonenſis *a* Electus ante conſecrationem ſuam vobis præſentetur, & iure Primatus veſtri ſubiectionem & obedientiam profiteatur. Quod hactenus nec in Senonenſi prouincia, nec in aliis prouinciis antiquitas inſtituit, nec conſuetudo ſeruauit. Vnde Papa Nicolaus inter cætera ſic ſcribit Radulpho Archiepiſcopo Bituricenſi aliqua vltra ius Primatis ſibi vſurpanti: *b Primates vel Patriarchas nihil priuilegij habere præ cæteris Epiſcopis, niſi quantum ſacri canones concedunt, & priſca illa conſuetudo contulit, diffinimus, ita vt ſecundum regulas Nicenas c ſua priuilegia ſeruentur eccleſiis.* Quod ſi priuilegio veſtræ legationis eum vobis contenditis præſentari, qui nec apud nos nec apud vos ab aliquo eſt accuſatus; non ita Papa Leo Anaſtaſio inſtituit Theſſalonicenſi Epiſcopo Vicario ſuo, *d* ſed vt tantum de nomine Electi ad notitiam eius Prouinciales referant Sacerdotes: ipſe autem nullis difficultatibus, nullis dilationibus iuſtas fatigaret electiones. Quantum enim audiuimus, perſona nobiliter nata, competenter erudita, boni teſtimonii inter notos, cùm in eccleſia ſua Diaconatus fungeretur officio, ſine vlla diſſonantia gratuitam habuit electionē. Sed ſi his exactionibus modo cederet, diceretur munere linguæ vel officii ſuam comparaſſe conſecrationem.

a Daimbertus, cuius conſecrationem impediebat Hugo iſte Legatus Papæ.
b Citatur latinè ab Iuone epiſt. 83.
c c. 6. Nic. Concil. & in c. mos antiquus, diſt. 65.
d in c. de perſona, diſt. 65.

Quod autem ſcripſiſti, prædictum Electum inueſtituram Epiſcopatus de manu Regis accepiſſe, nec relatum nobis ab aliquo, qui viderit, nec cognitū. Quod tamē ſi factū eſſet, cùm hoc nullā vim ſacramēti gerat in conſtituendo Epiſcopo vel admiſſum vel omiſſū, quid fidei, quid ſacræ religioni officiat, ignoramus: cum poſt canonicam electionē *e* Reges ipſos Apoſtolica authoritate à cōceſſione Epiſcopatuum prohibitos minimè videamus. Legimus enim ſanctæ recordationis Summos Pontifices aliquando apud Reges pro Electis Eccleſiarum, vt eis ab ipſis Regibus *f* concederentur Epiſcopatus, ad quos electi erant, interceſſiſſe; aliquorū, quia conceſſiones Regum nondum *g* conſecuti fuerant, conſecrationes diſtuliſſe. Quorum exempla ſuppoſuiſſemus, niſi prolixitatem epiſtolæ vitaſſemus. Domnus quoque Vrbanus *h* Reges tantùm à corporali inueſtitura excludit, quantū intelleximus, non ab electione, in quantum ſunt caput populi, vel conceſſione; quamuis Octaua Synodus ſolùm prohibeat eos intereſſe electioni, non conceſſioni. Quæ conceſſio ſiue fiat manu, ſiue nutu, ſiue lingua, ſiue virga, quid refert? cùm Reges nihil ſpirituale ſe dare intendant, ſed tantum aut votis petentiū annuere, aut villas eccleſiaſticas & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regū obtinent Eccleſiæ, ipſis Electis concedere. Vnde Auguſtinus ſuper Ioannem, prima parte tractatu ſexto: *i Quo iure defendis villas Eccleſiæ, diuino an humano? diuinum ius in Scripturis habemus; humanum in Legibus Regum. Vnde quiſq; poſſidet quod poſſidet, nonne iure humano? Nam iure diuino, k Domini eſt terra & plenitu-*

e Iuo epiſt. 104. & in c. cū longe diſt. 63.
f c. Reatina, 16. diſt. 63.
g c. Agatho, & ſeqq. diſt. 63.
h Iuo epiſt. 233.
i c. quo iure, diſt. 8.
k Pſal. 23.

do eius. Iure humano dicitur, hæc villa mea eſt, hæc domus mea eſt, hic ſeruus meus eſt. Tolle iura Imperatorum, quis audet dicere, hæc villa mea eſt, meus eſt iſte ſeruus, mea eſt iſta domus? Item: *Noli dicere, quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & poſſeſſioni? Per iura Regum poſſidentur poſſeſſiones. Dixiſti, quid mihi & Regi? noli Dicere poſſeſſiones tuas, quia ad ipſa iura renuntiaſti humana, quibus poſſeſſiones poſſidentur.* Quod ſi hæc æterna lege ſancita eſſent, non eſſet in manu Præſidentium, vt ea in quibuſdam diſtricte iudicarent, in quibuſdam miſericorditer relaxarent, ipſis in honore accepto permanentibus contra quos iſta loquuntur. Nunc verò quia ea illicita maximè facit Præſidentium prohibitio, licita quoque eorundem pro ſua æſtimatione remiſſio; videmus nullos aut pene nullos pro huiuſmodi tranſgreſſione damnatos, plurimos autem vexatos, plurimas eccleſias ſpoliatas, plurima ſcandala exorta, diuiſum Regnum & Sacerdotium, ſine quorum *a* concordia res humanæ nec incolumes eſſe poſſunt nec tutæ. Videmus quoque miſeros Epiſcopos & Abbates, nec ruinis morum nec murorum reficiendis velle vel poſſe vacare, ſolùm ad hoc intentos, vt poſſint ſibi aliquam linguam magniloquam amicam facere, cuius nundinis ſe poſſint vtcunque defenſare. Multi quoque electi, qui gratuitam & canonicam habent electionem, quia huiuſmodi dilationibus vel fatigationibus impediuntur, *b* comparatis ſibi pecunia mediatoribus, & prolocutoribus, ne turpem patiantur repulſam, in Simoniacam offendunt aliquando conſecrationem. Cùm ergo omnis inſtitutio eccleſiaſticarum legum ad ſalutem referenda ſit animarum; iſtarum inſtitutionum tranſgreſſiones aut diſtrictius eſſent corrigendæ, vt ſaluti prodeſſent, aut interim ſilentio premendæ, ne ſpiritualia vel temporalia commoda ſupradictis modis impedirent.

Nec iſta dico tanquam velim aduerſus Sedem Apoſtolicam caput erigere, vel eius ſalutaribus diſpoſitionibus obuiare, vel meliorum ſententiis præiudicium facere, ſi viuis nitantur rationibus, & euidentioribus veterum Patrum autoritatibus. Sed hoc vellem cum multis mecum piè ſentientibus, vt Romanæ Eccleſiæ miniſtri tanquam probati medici maioribus morbis ſanandis intenderent, & non abire iſoribus ſuis audirent: *c Culicem excolantes & camelum glutientes; mentam, rutam, ciminum, & anetum decimantes, grauiora autem legis præcepta prætermittitis.* Cum per totum penè mundum flagitia & facinora videamus publicè perpetrari, nec ea à vobis aliqua iuſtitiæ falce reſecari. Quorum exempla quia vel à vobis non ſunt remota, vel vobis non ignota, non eſt meum eos ſpeciali ſermone taxare. Vos videritis quid de his & ſimilibus agere debeatis.

a ex Leonis I. PP. epiſt. 29. in c. 20 res autem 23 q. 5. Inquam re. Iuo epiſt. 106. & 214.

b Hinc laborare & periclitari eccleſias ait Iuo ep. 55. Inde Primas monetur nihil mora aut difficultatis adferre rectis ordinationibus c. 4. de perſona, diſt. 65.

c Matth. 23. Luc. 11. Huc refer Iuonis ep. 109 vbi de Legatis Papalibus conqueritur.

Nunc

Nunc verò ſpecialirer ad hoc intendit ſtilus meus, vt Electum *a* Se- *a Daimbertum, vt ſupra.*
nonenſis Eccleſiæ ſi nihil in eo, quod ſacris canonibus obuiet, repertum
fuerit, ſecundum morem antiquum conſecrari permittatis: quia de tan- *b ſingulis enim eccleſiis ſua priuilegia ſeruanda.*
tillo iure, quod habent Eccleſiæ noſtræ *b* nec volumus nec debemus
cedere; cum beatus dicat *c* Cyprianus: *Quàm periculoſum ſit in diuinis*
rebus, vt quis cedat iure ſuo & poteſtate, Scriptura ſacra declarat, cum Eſau
primatus ſuos inde perdiderit, nec recipere id poſtmodum potuerit quod ſemel *c. mos. diſt. 65.*
ceſſit. Quòd ſi huic petitioni noſtræ adquieueritis, conſecrato omni *c Epiſt. 9 lib 1. ad Magnum.*
ſtudio perſuadebimus, vt Primatum Lugdunenſis Eccleſiæ recognoſcat,
vobis ſicut Primati ſuo deferat & omnem debitam reuerentiam ſecun-
dum traditiones Patrum exhibeat. Qui ſi adquieſcere noluerit noſtris
perſuaſionibus, nos tamen ab his, quæ præceperit Apoſtolica Sedes, non
recedemus. Si autem petitionibus noſtris non adquieueritis, & aliquod
ſchiſma inde fuerit exortum contra votum noſtrum; ſecurè dicam, neque
iniquitas mea, neq; peccatum meum; neq; vos poteritis dicere, vobis non
fuiſſe prædictum.

De cætero prædam à Puteacenſibus in me & in Carnotenſem Eccleſiam factam iure poſſem à vobis repetere, ſi reuerentiam veſtram in ius vocare poſſem, qui ad ſuggeſtionem æmulorum meorum, prædictos ſacrilegos à me & Coepiſcopis meis communione priuatos, me neſciẽte communioni reddidiſtis, ac per hoc ſcelerum ſuorum impunitatem ad perpetranda maiora ſacrilegia relaxaſtis. Quod vtrum faciendum fuerit, vel poſt factum cognita veritate corrigendum, iudicet iuſtitia veſtra, cum iuſta vincula non ſoluat niſi vera pœnitentia. Si ad hæc omnia reſpondere non licet, vel non placet, ad hæc ſaltim duo vltima reſpondeat Sanctitas veſtra. Benè vale.

Reuerendi Domini,

SIGIBERTI ABBATIS GEMBLACENSIS

Epiſtola.

Scripta A. D. 1103.

NOMINE ECCLESIAE LEODIENSIS ſcripta contra Epiſtolam Paſchalis II. Papæ, Eccleſias HENRICO Cæſari & Imperio fideles excommunicantis & deuaſtantis.

OMNIBVS bonæ voluntatis hominibus, LEODIENSIS ECCLESIA veritatem fidei, & Catholicam vnanimitatem inconcuſsè tenens, S. D.

Stupendo & gemendo exclamo cum Eſaia, qui onus deſerti maris exaggerans, exclamat: *Sicut turbines ab Africo veniunt, de deſerto venit, de terra horribili viſio dura nunciata eſt mihi. Qui incredulus eſt, infideliter agit: & qui depopulator eſt, vaſtat.* Qui hactenus non intelligebat loquendo, quid ſit *deſertum mare:* nunc intelligat videndo, quid per *deſertum mare* ſignificetur, non ſolũ Babylonia, ſed etiam mundus & Eccleſia. Quamuis enim vt mare vndis, ſic mundus & Eccleſia affluant populis: tamen iure vocantur deſertum mare, quia mundus videtur eſſe deſertus à ſapientium, Principum gubernaculo, Eccleſia gemit ſe deſertam à ſano Præſulum conſilio. Quæ enim maior olim confuſio fuit in Babylonia, quam hodie eſt in Eccleſia? In Babylone confuſæ ſunt linguæ gentium: in Eccleſia diuiduntur linguæ & mentes credentium. Ait Petrus in Epiſtola ſua: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta.* Hactenus interpretabar, ideo voluiſſe Petrum per Babylonem ſignare Romam, quia tunc temporis Roma confuſa erat idololatria & omni ſpurcitia. At nunc dolor meus mihi interpretatur, quod Petrus prophetico ſpiritu dicens

Eccle-

Eccleſiam in Babylone collectam, præuidit confuſionem diſſenſionis, qua hodie ſcinditur Eccleſia. Nā quamuis Eccleſia ſit in Babylone mundi, tamen debet eſſe collectā per fraternam vnanimitatem. Qui ſint *turbines ab Africo*, diſcimus patiendo magis quam legendo. *De terra horribili*, à Romana ſcilicet Eccleſia, viſio dura nunciata eſt mihi: inde turbo vt tempeſtas venit ab Africo. Romanus enim Pręſul, pater omnium eccleſiarum, literas contra nos mittit Roberto Flandrenſium Comiti, quarum exemplar tale eſt.

Paſchalis Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Roberto, Flandrenſium Comiti, ſalutem & Apoſtolicam benedictionē. Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui in te virtutis ſuæ efficaciam operatur: quò reuerſus ab Hieruſalem Syriæ, in cœlorum Hieruſalem iuſtæ militiæ operibus ire contendis. Hoc eſt legitimi militis, vt ſui Regis hoſtes inſtantius perſequatur. Gratias ergo prudentiæ tuæ agimus, quod præceptum noſtrum in Cameracenſi parochia executus es. Idipſum de Leodienſibus excommunicatis pſeudoclericis præcipimus. Iuſtum enim eſt, vt qui ſemet ipſos à Catholica Eccleſia ſegregarunt, per Catholicos ab Eccleſiæ beneficiis ſegregentur. Nec in hac tantū parte, ſed vbicunque poteris, HENRICHVM *hæreticorum caput, & eius fautores pro viribus perſequaris. Nullum profectò gratius Deo ſacrificium offerre poteris, quam ſi eū impugnes, qui ſe contra Deum erexit, qui Eccleſiæ Dei regnum auferre conatur, qui in loco ſancto Simonis idolum ſtatuit, qui à principibus Dei ſanctis Apoſtolis, eorumq; Vicariis, de Eccleſiæ domo ſancti ſpiritus iudicio expulſus eſt. Hoc tibi ac militibus tuis in peccatorum remiſſionem, & Apoſtolicæ ſedis familiaritatē præcipimus, vt his laboribus & triumphis ad Cœleſtem Hieruſalem, Domino præſtante, peruenias. Datum Albani, 12. Kalendas Februarii.*

Super his literis cuius lumbi non repleantur dolore? Super his me obſtupefecerunt tenebræ: nec tantum pro honore periculi, quantum pro horrenda nouitate rei, quod tam lachrymabiles literæ potuerunt ſcribi à matre cōtra filias ſuas, quamuis peccantes. In iudicio Salomonis expreſſa eſt magnitudo maternę pietatis, quādo iudicāte Salomone, vt infans, pro quo contendebāt, gladio diuideretur, maluit mater filium ſuum ſub aliena muliere viuere, quam gladio iudicis diuidi. Dicit Eſaias: *Babylon dilecta mea verſa eſt mihi in miraculum.* Quid enim tam mirabile, imò quid tam miſerabile? Vidit olim Dauid Angelum Domini ſtantem extento gladio ſuper Hieruſalem: nos filiæ Romanæ eccleſiæ, ecce videmus Romanum Præſulem, qui eſt Angelus Domini, extento gladio ſuper Eccleſiam. Dauid orabat ne populus occideretur; angelus noſter porrigēs Roberto gladium, orat vt occidamur. Vnde iſte gladius angelo noſtro? Iubēte Ieſu, vt vendita tunica, emant ſibi gladium, dicunt diſcipuli: *Ecce duo gladii hic.* Et Ieſus, *Satis eſt.* Vt ex patrum dictis colligimus, eſt vnus gladius

ſpiritus,quod eſt verbum Dei.De quo Ieſus ait: *Non veni pacem mittere, ſed gladium*. Et Propheta: *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine*. Hūc gladiū diſtringit Ieſus magis contra carnales affectus, quam contra mundi aſſultus. Eſt & alter gladius ſpiritualis,quo mortificatis vitiis carnis, emitur corona martyrii. Cū ergo duos tantum gladios à Domino Apoſtoli habeāt,vnde iſte tertius Apoſtolico gladius, quē in nos porrigit Roberto armigero ſuo? Forte recurrit Apoſtolicus ad Ezechielē Prophetam, vt de manu eius tertium arripiens gladium,vadat ad dextram ſiue ad ſiniſtram, cædendo bonos & malos. Dicit enim Deus Ezechieli Prophetæ: *Vt duplicetur gladius, & triplicetur gladius interfectorum*. Puto, nō dabit Propheta tertium gladium Apoſtolico. Propheta namque duos Euangelii gladios oſtendens,per duos vnius gladii vſus,gladium Apoſtolico dandum duplicat, dicens: *Gladius gladius exacutus eſt & limatus. Exacutus*, vt cædat victimas: *limatus*, vt ſplendeat. *Exacutus eſt*, quia, vt ait Hieronymus, *qui malos percutit, in eo quòd mali ſunt, & habet gladiū interfectionis, vt occidat peſſimos, miniſter Domini eſt. Limatus* eſt, vt ſincerè prædicetur verbū Domini. Triplicato gladio armat Propheta interfectores, quia (vt ait Paulus) *nō ſine cauſſa iudex gladium portat*. Hic eſt gladius interfectionis magnæ, qui me cum Ezechiele obſtupeſcere facit. Quem enim non faciat corde tabeſcere, quod Apoſtolicus ad viuificandum vnctus, accingitur in nos tertio gladio interfectorū? O vtinam placatus dicat Deus etiā nūc angelo percutienti: *Sufficit nunc, contine manum tuam*. Nihil dico in Chriſtum Domini, ſed vicem noſtram doleo. Sed niſi Chriſtus Domini, veniens ad Caulas ouium, intraſſet in ſpeluncam purgare ventrem, nō præcidiſſet Dauid oram chlamydis eius. Si quis eſt Dauid, inueniens hunc Chriſtum Domini dormientem, omneſque milites eius dormientes, non mittat manū in Chriſtum Domini: ſed tantum tollat haſtam eius & ſcyphum aquæ, qui eſt ad caput eius dormientis. Hanc haſtam quam contra nos erexit, oſtendo cunctis: hunc ſcyphum aquę, qui eſt ad caput eius dormientis, porrigo cunctis ad guſtandum, vt ſapiant omnes quam inſipida ſit authoritas legis eius, qua diſtrinxit gladios laicorum in ceruices Clericorū. Si liceret dicere (ſalua Apoſtolicæ dignitatis reuerentia) ipſe nobis videtur dormiuiſſe. Dormierunt cum eo omnes conſiliarii eius, quando conduxit ſibi vaſtatorem Eccleſiarum Dei. Præcepit Paulus, vt verbum epiſcopi ſit *ſanum & irreprehenſibile*. Nos ergo non infirmamus aut reprehendimus verbum Epiſcoporū epiſcopi: ſed quia Apoſtolicus nō debet deuiare ab Apoſtolo, quærimus humiliter per ſingula, vtrum hæc Apoſtolici verba ſint per omnia grauitate Apoſtolicæ authoritatis ſana & irreprehenſibilia. Ecce vt pater dilecto filio ſalutem mittit, & Apoſtolicam benedictionem promittit. Sed vt multis videtur, non ea illi opera illi indicit,

118

quibus ſalutē & benedictionem à Deo promereri poſſit. Benedicit Deū, qui in eo efficaciam ſuæ virtutis operatur, quod Eccleſiam Dei debellat & depopulatur, ac per hoc cæleſtis Hieruſalem aditum ei pollicetur. Nūc recta via dilectum filium dirigat, ipſe pater nobiſcum videat. Vt vtamur verbis Auguſtini ſummatim collectis: *Deus qui dixit, Ego faciens pacem & creans malum, ſicut cætera ſuauiter diſponit, ita hoc etiam diſponit, vt bonum pacis per bonos faciat, malum verò belli per malos creet. Viens enim Deus animis hominum pro voluntatibus & meritis eorum, digna dignis opera imponit, vt dignis digna præmia rependat, bonis bona pro bonis, malis mala pro malis.* Quis vnquam populum Dei, quis vnquam Eccleſiam Dei impunè perſecutus eſt? Quoties peccabant filii Iſrael, ſuſcitabat Deus hoſtes qui contererent peccantes. Caſtigabat Deus quos amabat, & damnabat illos, qui vitio ſuo tales erant, vt per eos mala malis inferret. Dicit Deus per Prophetam: *vocabo ab Aquilone ſeruum meum Nabuchodonoſor, qui faciat omnem voluntatem meam.* Quam voluntatem, niſi vt peccantes diſperdat? Hunc ſeruum ſuum Deus pro merito ſeruitutis in bouem conuertit. Peccanti Dauid ait Deus: *Ecce ego inducam malum ſuper te de domo tua.* Hoc malum executus Abſolon, fugato patre ſuo, inuaſit Hieruſalem. Nunquid per hoc meruit cæleſtem Hieruſalem? Per Eſaiam dicit Deus: *Væ Aſſur, virga & baculus furoris mei ipſe in manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam illum, & ad populum furoris mei. Mandabo illi vt auferat prædam, & diripiat ſpolia,* & reliqua. Cur Deus intentat væ Aſſur, qui mala, quæ fecit, eo mandante fecit? Væ mundo ab ſcandalis. Dicit Deus: *Neceſſe eſt vt veniant ſcandala; væ tamen illi per quem ſcandalum venit.* Hoc Hieronymus ſic exponit: *Cum neceſſe ſit quidem vt veniant ſcandala, væ tamen homini qui, quod neceſſe eſt vt in mundo fiat, facit ſuo vitio vt per ſe fiat.* Quid multis opus? Ecce opera iuſtæ militiæ, quibus pater filium, Papa cæleſtis regis militem imbuit; per quæ poſſit contendere ad cæleſtem Hieruſalem, impugnando ſcilicet Eccleſiam Dei.

Gratias inquit *prudentiæ tuæ agimus, quod præceptum noſtrum in Cameracenſi parochia exequutus es.* Qualis & quāta ſit vaſtitas & cōtritio Cameracēſis Eccleſiæ, quis [illegible] colit ſine dolore? Ego quidē filia Romanæ Eccleſiæ, condolebam Cameracēſibus pro affectu germanitatis: nunc verò audiēs hæc mala inferri præcepto Apoſtolicæ authoritatis, iam amplius doleo: quia timeo matri meæ, ne in illam redundet illud, quod Deus dicit per os Eſaiæ: *Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiā ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.* & reliqua. Tantā Eccleſiæ deſolationem, tātam pauperum & viduarū oppreſſionem, tantam prædarum & rapinarum immanitatem, & quod his grauius eſt promiſcuā bonorum &

malorum occiſionem, hæc, & peiora his, præcepta Apoſtolici facta eſſe quis crederet, niſi ipſe ſuo ſe ore prodidiſſet? taceo Cameracenſem Epiſcopatũ in duos eſſe diuiſum, iudicio Romanæ eccleſiæ: taceo Walcherum, qui Apoſtolici conſenſu & authoritate probatus, & prior ordinatus fuit, ſubito exordinatum, excommunicatum, & alium ei ſubordinatum. Hæc iuſta ſint, nec ne, in Dei pendet ſententia. Non inuehimur in Chriſtum Domini, ad quem pertinet ſolicitudo omniũ eccleſiarum. Sed quia Apoſtolicus hæc mala ſibi adſcribit, & Eccleſia vaſtatori per gratiarum actionem applaudit, ſuper his mirandum an magis ſit dolendum neſcio. Cui hoc magis ſit periculoſum, iubenti an obedienti: Cui hoc magis ſit damnoſum, facienti an patienti, quis homo diſcernet? Nos attoniti hac nouitate rerum, quærimus vnde ſit hoc nouum exemplum, vt prædicator pacis ſuo ore & alterius manu inferat Eccleſiæ bellum. Contra Barbarorũ & inimicorum Dei inſultus, concedũt canones etiam clericis arma ad defenſionem vrbis & Eccleſiæ. Bella vero indici Eccleſiæ per authoritatem Canonicam, nuſquam ſcripturarum legimus. Quæro quod neſcio, dico quod ſcio: pacem Ieſus, pacem Apoſtoli, pacem Apoſtolici viri prædicant, peccantes arguunt, obſecrant increpant in omni patientia doctrina. Inobedientes iubet Paulus *dure increpari*: Quomodo durè increpentur inobedientes, dicit Ieſus; *Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum primò ſolum ſolus, ſecundò cum duobus aut tribus teſtibus, tertiò cum Eccleſia: ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Hinc ait Auguſtinus: *Illud quod ait Ieſus, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus: grauius eſt, quam ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubuceretur. Nam ibi quoque Ieſus ſubiunxit: Amen dico vobis, quæ ligaueritis in terra, ligata erunt & in cælo, vt intelligeretur, quod grauius ſit puniTus, qui velut relictus eſt impunitus.* Sic ſentẽtia veritatis expoſita ab Auguſtino, quis diuinæ vindictæ humanam vindictam ſuperponat? Qui illum perſequitur, quem Deus percuſſit, & ſuper dolorem vulnerum Dei addit, videat quid imprecetur illi Deus, qui iniquitates & dolores noſtros in perſona Dominici hominis portauit. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem illorum*, & reliqua. Si quis pro Apoſtolico dicat merito depopulandam eſſe Eccleſiam, cui incumbat excommunicatus Epiſcopus: audiat exemplum, in quo cauſſa cauſſæ, & perſona perſonæ reſpondet. Tempore primi Gregorii Papæ, defuncto Salonitanæ vrbis Epiſcopo, cum decreuiſſet Gregorius, vt pro eo Epiſcopus ordinaretur Honoratus; Maximus quidam auxilio militaris manus inuadens Epiſcopatum Salonitanum, & ab Epiſcopis conſecratus, à Gregorio excommunicatus eſt, & tamen miſſas celebrare præſumebat. Hunc Gregorius non aliis, quam ſacerdotalibus armis debellans, non ſuperordinauit ei Honoratum, non immiſit Eccleſiæ vaſtatorem: ſed tam diu peccantem ar-

tem arguit, donec ſeptimo excommunicationis eius anno tandẽ ad veniã petendam attraheret: eumque reſipiſcentem non exordinauit, non reordinauit, ſed ei in gratiã ſuam recepto, quod deerat, dato Archiepiſcopali pallio, ſuppleuit. Cũ ergo Salonitanæ cauſæ ſit ſimilis cauſſa Cameracẽſis, cur cenſura Romanæ Eccleſiæ in ſimili cauſſa nititur diſſimili ſententia? Martinus Turonenſis poſſet Apoſtolico ſufficere ad exemplum, vt deſiſtat ab oppreſſione innocentum. Priſcillianum Epiſcopum à Damaſo Papa pro hæreſi damnatum, Maximus Imperator accuſante Itachio Epiſcopo occidit: & vt omnes eius ſequaces vbiq; occiderentur, edixit. Martinus ergo atque Epiſcopi Itachium communione Eccleſiæ priuauerunt. Criminantes eum, quod eius accuſatione qualiſcunq; homo occiſus ſit. Maximus agebat cum Martino, vt Itachio cõmunicaret: & Martinus agebat cum Maximo, vt ſequaces Priſcilliani nõ occiderentur, ne etiam Catholici cum eis perirent. Quod petebat Martinus nullo modo impetraſſet, niſi ad tempus Itachio communicaſſet. Sic quodammodo anathema factus pro fratribus ſuis, retraxit ab eorum ceruicibus gladium Imperatoris. Qui damnauit accuſatorem Itachium pro morte hæretici, ſi adhuc viueret, non laudaret & iſtum, Cuius præcepto tot occiduntur pro cauſa Cameracenſium. Qui etiam cum periculo animæ ſuæ liberauit hæreticos à morte, quam grauiter ferret innocentes pro aliena culpa opprimi? Nos res rebus conferimus, cauſſis cauſſas opponimus. At Cameracenſes afflicti malis, Clamant ad Paſchalem, ſicut filii Iſrael afflicti malis, clamabant ad Moſen: *Videat Deus & iudicet, quomodo fœtere feciſti odorem noſtrum coram Pharaone, & prebuiſti ei gladium vt occideret nos?*

Idipſum de Leodienſibus excõmunicatis pſeudo clericis præcipimus. Iuſtum enim eſt, vt qui ſemet ipſos a catholica Eccleſia ſegregarunt, per Catholicos ab eccleſia beneficiis ſegregentur. Hic verò me inuaſit anguſtia, quaſi parturiẽtis. Vnde exclamare compellor: quia omnes parturientis dolores, hic meus dolor vincit. Filios enim genui, hoſque lacte alui fidei, hos pane veritatis confirmaui, & in virile robur prouexi. Ipſa me beatificabam: quia eis in Regis curia, & in Dei eccleſia florentibus nihil deeſſe credebam, quod vel ad corporis pertinet decorem, vel ad animæ ſpectaret valorem. Sed quid eſt ab omni parte beatum? Ecce mater mea, ſancta Romana Eccleſia, vult infligere eis notam excommunicationis, & inſuper erexit ſuper eos gladium Occiſionis. Super his ego quidem materno dolore torqueor: ipſi ætatem habent, loquantur pro ſe. *Idipſum* (inquit) *de Leodienſibus excommunicatis pſeudo clericis præcipimus. Statera doloſa non eſt bona*, ait Sapientia. Quia confert cauſſam noſtram cauſſæ Cameracẽſium, vt & nos patiamur quod patiuntur Cameracenſes. Nos quidem Cameracenſibus cõpatimur, nobis nihil tale verebamur. Cameracenſes, quia cauſſæ cauſſam perſonę per-

ſonam ſuppoſuerunt, gladiũ bicipitẽ ſibi ſuppoſuerunt: nos vero Leodiẽſes quare excommunicati dicimur? quare gladius nobis ſuperponitur? Quid dignũ morte aut excõmunicatione fecimus contra Canonicã regulam Eccleſiæ? In vno ſpiritu nos omnes, in vnum corpus baptizati ſumus, nos vnius moris Deus in domo ſua habitare facit. Obſecrat nos Paulus per nomen Domini, vt *nõ ſint in nobis ſchiſmata*. Quando ſignificatũ eſt Romanæ Eccleſiæ, quòd contentiones fuerint inter nos? Idipſum in Chriſto ſapimus: Idipſum dicimus. Non dicimus, *ego ſum Pauli, ego Cephæ, ego autem Chriſti*. Nunquid pro hac vnanimitate excõmunicati dicimur? Vt præcipit Paulus, obedimus, & ſubiacemus præpoſitis noſtris, qui vigilant pro animabus noſtris. Nobis legẽ Dei tenentibus obiiciũt, quod tranſgrediamur eorũ nouas traditiones. At illis dicit Deus: *Quare vos tranſgredimini mãdatum Dei, propter traditiones veſtras?* Iubet Deus, vt quæ ſunt Cæſaris, reddamus Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. In hanc ſententiã Petrus & Paulus pedibus eunt. Petrus inquit: *Deũ timete, Regem honorificate. Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis, nõ tantũ bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. hac eſt enim gratia*. Paulus: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Qui hoc omni animæ præcepit, quẽ a ſubiectione terrenæ poteſtatis excepit? Quia ergo Regẽ honoramus, quia Dominis noſtris nõ ad oculũ, ſed in ſimplicitate cordis ſeruimus: ideo excõmunicati dicimur? Sed Simoniaci ſumus. Simoniacos, quantũ ad nos, vitamus: & quos vitare nequiuimus, pro loco & tẽpore toleramus, certi quod ipſe Ieſus facto flagello de reſticulis peccatorũ, cathedras vendẽtiũ colũbas euertit, & nummulariorũ effudit æs. Vitamus, inquã, Simoniacos: nec minus vitamus illos, qui notã auaritiæ honeſto nomine prætexẽtes, quod gratis ſe iactant dare, vendunt ſub Charitatis nomine: & ſicut Montaniſtæ ſub nomine oblationum, artificioſius accipiunt munera.

Ob hoc dolendo miramur, cur excõmunicati dicamur, quãdo, à quo & quare excõmunicati ſimus. Nõ ab Epiſcopo noſtro, nõ ab Archiepiſcopo, cui Epiſcopus noſter ſuffragatur, nos excõmunicatos eſſe ſcimus. Sed nec à Papa Romano nos eſſe excõmunicatos credimus, quia ſcimus eũ non ignorare, quod ait Nicodemus: *Lex noſtra nõ iudicat quenquã, niſi audierit ab ipſo prius*. Nec Sodomitas dãnaſſet Deus, niſi deſcẽdiſſet ad ipſos videre, vtrũ clamorẽ, qui venerat ad eũ, opere compleſſent. Qui nihil a nobis audiuit, quẽ non Epiſcopus, nõ Archiepiſcopus aliquãdo contra nos interpellauit, quis crederet quod nos excõmunicauerit? Per ſcalã vſq; ad cęlos pertingẽtẽ, *vidit* Iacob *aſcẽdẽtes & deſcẽdẽtes angelos*. Et Ieſus ait diſcipulis: *Amẽ Amẽ dico vobis, videbitis cælum apertũ, & angelos Dei aſcendẽtes & deſcẽdẽtes ſuper filiũ hominis*. nõ filios hominis, id eſt Adæ, in ſua exprimit perſona. In aperto Eccleſiæ cælo & boni & mali intrant. Vos præſules eccleſiæ, qui eſtis an-

ſtis angeli Dei, gradatim ad nos deſcendere debetis, gradatim & nos ad vos aſcendere debemus. Quot gradibus ad vos aſcendimus, tot ad nos deſcendere debetis. Eſt primus gradus nobis ad Epiſcopum, ſecundus ad Archiepiſcopum: per quos aſcendere debemus ad gradum tertium: id eſt ad Papam Romanũ. Super filium hominis deſcenditis, Cum humilibus compatiendo condeſcenditis: Super filium hominis aſcenditis, cum verbo & exemplo humiles ad cælum ſuſtollitis.

Credo dicetis, nos ideo haberi excõmunicatos, quia fauemus Epiſcopo noſtro, fauẽti partibus Domini ſui Imperatoris. In hac re ſũt initia dolorũ, pro hac re erubeſcũt Cauſſæ malorum: quia Satanas ſolutus terrã perambulans, iam diuiſit Regnũ & Sacerdotiũ. Quia ergo Diabolus venit ad nos, habens iram magnã, patrem noſtrũ qui eſt in cælis oramus pro hoc ſpecialiter, ne nos inducat in tẽtationẽ hanc, ſed liberet nos à malo huius tentationis. Nobis dormientibus inimicus ſuperſeminauit Zizania in agro Eccleſiæ. Expectamus donec angeli, meſſores Dei, alligent Zizaniorũ faſciculos ad comburendũ. Num ideo dicimur excõmunicati? O quot manipulos tritici eradicauit, qui ante tẽpus Zizania à tritico diſcernere feſtinat! Quis iure reprehẽdet, quòd epiſcopus partibus Domini ſui fauet, cui promiſſam cũ iuramento fidelitatẽ debet? Periuriũ, nemo dubitat eſſe grande peccatũ. Deus ſolus iurat, & poenitet eum: quia ſapientia cuſtodit præcepta iuramẽti Dei: Sed nos, quos iuraſſe ſæpe poeniret, iurare prohibemur. Si iurat homo, iubet Deus vt reddat Domino iuramentum ſuum. Hoc nec ignorant illi qui regnum & ſacerdotium ſcindentes nouello ſchiſmate, & nouellis (vt quibuſdam placet) traditionibus. Illos qui regi periurant, ſe à culpa periurii abſoluere promittant, non attendentes quod Ezechiel ex ore Dei dicat de Sedechia, qui periurauit Domino ſuo Regi Nabuchodonoſor: *Qui ſoluit*, inquit, *pactum, nunquid effugiet?* Hoc Hieronymus ſic exponit: *Ex hoc etiam diſcimus, inter hoſtes ſeruandam fidem: & non conſiderãdũ cui, ſed per quẽ iuraueris. Multo enim melior inuentus eſt ille qui propter nomẽ Dei tibi credidit, & deceptus eſt: quam tu qui per occaſionẽ diuinæ maieſtatis, hoſti tu, imò iam amico, molitus es inſidias.* Quid laboramus in colligẽdis exemplis vitandi periurii? Tertium Decalogi mandatũ, de corde & ore Dei prolatũ, eiuſq; digito ſcriptũ hoc eſt: *Non aſſumes nomẽ Domini Dei tui in vanũ. Nec n. habebit inſontem Dominus, eum qui aſſumpſerit nomẽ Domini ſui fruſtra.* Cum tria prima Decalogi mandata ad cultũ Dei pertineant, diligenter inſpiciẽtibus videtur, quod in hoc tertio Decalogi mãdato cætera mandata pendeant: quia cũ fit quod Deus fieri præcepit, vel non fit quod Deus fieri prohibet: ideo vtiq; fit vel nõ fit, vt nomẽ percipiẽtis vel prohibentis Dei non aſſumatur in vanum. Quis magis in vanum aſſumit nomen Dei, quam ille qui violat hoc, quod per nomen Dei iurat? Deus iubet ne per cælum, ne per terram, ne per caput meũ iurem, ne forte per iu-

rem. Si culpa eſt periurare per creaturam Dei: quã grauius peccat, qui per creaturam Deum peierat? Hinc omnes perpenditis, quod ſit reus capitis, qui non reddit Cæſari quæ ſunt Cæſaris, ſecundum decretum Dei: vel qui Regem inhonorat contra decretum Apoſtoli, vel peierando aſſumit nomen Dei in vanum, per quod iurauit Regi fidelitatem.

Ecce quare excõmunicati dicimur? Sed quare pſeudoclerici vocamur, qui canonice viuentes, operibus meremur vt clerici vocemur? Non eſt, nõ eſt, inquam, de ſorte Dei, qui vult nos excludere a ſorte Dei. Non tales, ô mater Eccleſia, nutriuiſti, vt meritò vocemur pſeudoclerici. Quia n. vos voluntati noſtrę non dimiſiſti, non confundemus te matrẽ noſtram. Mirũ eſt de Domino Paſchaſio, quomodo ſic conuicia venalia inuenerit, bona mercatione videtur ea accepiſſe, quæ tãta in nos profundit facilitate. Modo enim nos excommunicatos nominat, modo pſeudoclericos ex motu animi vocat. Eructauit cor Dauid Regis verbum bonũ: euomuit cor Domini Paſchaſii vile conuicium, prout vetulæ & textrices faciũt. Petrus Apoſtolus docet: *Non dominantes in Clero, ſed forma facti gregis.* Paulus Apoſtolus ad Galatas delinquentes ait: *Filioli, quos iterũ parturio in Domino.* Hos igitur attendat Dominus Paſchaſius, pios admonitores, non impios conuiciatores. Male dictum excommunicationis Dominus Paſchaſius nobis improperat: ſed illud ante omnia timemus, quod Spiritus Sanctus per os Pſalmiſtæ dicit: *Maledicti omnes qui declinant à mandatis tuis.* Maledictũ excommunicationis, quod ex nouella traditione Hildebrandus, a Odardus, & ille tertius indiſcrete protulerunt, omnino abiicimus: & priores ſanctos patres vſque nunc veneramur & tenemus, qui dictãte ſpiritu ſancto, nõ animi motu, in maioribus & minoribus poteſtatibus grauiter delinquentibus, quædã diſſimulauerunt, quædam correxerunt, quædam tolerauerunt. Dominus noſter Epiſcopus communicat Regi & Imperatori ſuo, cui ex regalibus eius acceptis fidelitatẽ iurauit. Nimiũ effluxit tẽpus, quo hæc conſuetudo incepit: & ſub hac conſuetudine migrauerunt à ſeculo ſancti & reuerentes Epiſcopi, reddentes Cæſari quæ erant Cæſaris, Deo quæ erant Dei. Sed quid dicit Ambroſius ſuper Lucam? *Si Chriſtus,* inquit, *non habuit imaginem Cæſaris, cur dedit cenſum? Non de ſuo dedit, ſed reddidit mundo, quod erat mundi. Et tu ſi non vis eſſe obnoxius Cæſari, noli habere quæ mundi ſunt. Sed ſi habes diuitias, obnoxius es Cæſari. Si vis igitur nihil debere Regi terreno, dimitte omnia, & ſequere Chriſtum.* Item Auguſtinus ſuper Iohannem: *Apoſtolus voluit ſeruiri Regibus, voluit honorari Reges, & dixit: Regem reueremini. Nolite dicere, Quid mihi & Regi? Quid tibi ergo, & poſſeſſioni? Per iura Regum poſſidentur poſſeſſiones: per Imperatores & Reges ſeculi Deus iura humana diſtribuit generi humano.* Igitur ex verbis iſtorum & ſanctorum patrum, Conſulant ſibi Epiſcopi Regibus & Imperatoribus ob-

a Otto, qui poſtea Vrbanus II. dictus.

bus obnoxii, ex eorum regalibus acceptis, ne proprio gladio, id eſt eorum beneficiis, eos interficiant. Si quis denique reſpectu Sancti ſpiritus vetus & nouum Teſtamentum, geſtáque reuoluerit, patenter inueniet, quod aut minimè aut difficile poſſunt Reges & Imperatores excommunicari, ſecundum etymologiam nominum illorum, & iuxta determinationem excommunicationis, & adhuc ſub iudíce lis eſt. Admoneri quidē poſſunt, increpari, argui à timoratis & diſcretis viris: quia quos Chriſtus in terris Rex regum, vice ſua conſtituit, damnandos & ſaluandos ſuo iudicio reliquit. Ecce quare excommunicati vocamur, eo quod ſanctos & moderatos & antiquos patres tenemus, & pro poſſe imitamur. Epiſcopū, Archiepiſcopum noſtrum, prouincialem & comprouincialem Synodum ex antiqua traditione tenemus: & quicquid ibi de ſcripturis Sanctis diffinitum fuerit, Romam non refertur vſque ad grauiora negotia, de quibus non inuenitur in ſcripturis ſanctis authoritas.

Illos verò Legatos à latere Romani Epiſcopi exeuntes, & ad ditāda marſupia diſcurrentes, omnino refutamus: ſicut temporibus Zoſimi, Cœleſtini, Bonifacii, Concilia Africana probauerunt. Etenim vt à fructibus ipſorum agnoſcamus, non morum correctio, non vitæ emendatio, ſed inde hominum cædes, & Eccleſiarum De[illegible] oueniunt depredationes. Quia igitur antiquæ regulæ inhæremus, & non omni vento doctrinæ circumferimur, ecce vnde excommunicati dicimur? Verum Dominus Paſchaſius cur pſeudo clericos nos vocat? Pſeudoapoſtoli adulterabant verbum Dei, quos damnat Paulus in epiſtolis ſuis: nos non adulteramus, ſed fidē catholicam per Dei gratiam tenemus, fidei catholicæ opera in Deo exequimur. Regulam Canonicam ex patrum traditione habemus & reueremur, ſecundum illam viuimus, diiudicamur, ſatisfacimus, abſoluimur. Conſiliis Regum aut Imperatorum, aut in iſto aut in illo non interſumus: quia noſtræ ſuperiores poteſtates tale negotium habent inter manus, qui ex veſtigiis anteceſſorum prudenter tractabunt. Cur ergo Dominus Paſchaſius vult, vt exoluamus, quod non rapuimus? Cur pſeudoclerici vocemur, Vbi rectam lineam tenemus? Potius depoſito Spiritu præſumptionis, cum ſuis conſiliariis ſolerter recolligat, quomodo à beato Syluestro vſque ad Hildebrandum ſedem Romanam Papæ obtinuerunt, & quot & quanta inaudita ex ambitione illius ſedis perpetrata ſint: & quomodo per Reges & Imperatores diffinita ſint, & pſeudopapæ dānati, & abdicati ſint, & ibi plus valuit virtus Imperialis, quam excommunicatio Hildebrandi, Odardi, Paſchaſii. Dominus in Euangelio dicit: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo.* Et Paulus Apoſtolus in faciem Petro principi Apoſtolorum reſtitit. Ergo remoto Romanæ ambitionis typo, cur de grauibus & manifeſtis non reprehendantur & corrigantur.

Romani Epiſcopi? Qui reprehendi & corrigi non vult, pſeudo eſt, ſiue Epiſcopus ſiue Clericus. Nos verò per miſericordiam Dei iuxta regul. in obedientes & corrigibiles ſumus, & ſchiſma & Simoniam & excommunicationem per omnia, dictante ratione & Spiritu ſancto vitare volumus. Ex verbis B. Auguſtini, Reges & Imperatores ex legibus promulgatis, nihil ab hæreticis in hoc mundo poſſideri voluerunt. Igitur cum non ſimus hæretici, & hoc ſit ius Regum & Imperatorum; quare Dominus Paſchaſius ſolo contentus ſpirituali gladio, immittit Robertũ armigerum ſuum, ad deuaſtandos fundos & villas eccleſiarũ; quæ & ſi deuaſtanda eſſent, edicto Regũ & Imperatorũ deuaſtari deberent, qui nõ ſine cauſſa gladium portant. Ecce ſolutus eſt Sathanas, habens irã magnam, quem exterreat valida manus Dei. Quod excommunicati dicimur, non grauius iuſto feras: quia, vt credimus, nos ab excommunicatione excipiet ſaltẽ ipſa Romanorũ authoritas. Hildebrandus Papa, qui author eſt huius nouelli ſchiſmatis, & primus leuauit ſacerdotalem lanceã cõtra diadema regni, primo indiſcretè Hẽrico fauentes excõmunicauit: ſed reprehendẽs ſe intẽperantiæ, excepit ab excommunicatione illos qui Imperatori adhærebant, neceſſaria & debita ſubiectione, non voluntate faciendi vel conciliandi malum, & hoc [illegible] decreto ſcripſit.

Nec in parte tantũ ſed vbicunq; poteris Henricum hæreticorũ caput, & eius fautores perſequaris. Nullum profectò Deo gratius ſacrificium offerre poteris, quã ſi eũ impugnes, qui ſe contra Deũ erexit, qui Eccleſiæ Dei regnũ auferre conatur. qui in loco ſancto Simonis idolum ſtatuit: qui à principibus Dei ſanctis Apoſtolis, eorumq; Vicariis, de Eccleſiæ domo ſancti ſpiritus iudicio expulſus eſt. Cum Alaricus Rex Gotthorũ iret ad capiendam Romã, monitus à quodam ſeruo Dei, vt ab his malis ceſſaret: *Non volens*, inquit, *vado Romã: vir n. me quotidie torquens vrget, vt eam ad deſtruendã Romam.* Hoc exemplo vrget Apoſtolicus armigerum ſuum, vt totum depopuletur regnum: quod non poteſt fieri ſine cæde & ſanguine, & Eccleſiarũ Dei depopulatione. Alaricus quidẽ, in hoc mitior fuit, qui capta Roma Eccleſiis Dei pepercit, & à cæde hominũ abſtinuit. Nunc nihil excepto, immittitur Robertus ab Apoſtolico, vt non ſolũ in Cameracenſes & nos Leodienſes, ſed totus feratur ad diſpergendos omnes. Quis clamabit modo cũ Eſaia; *Quã pulchri ſuper montes pedes prædicantis & annunciãtis pacẽ, annũciantis bonũ, prædicãtis ſalutẽ?* Eũ qui debet eſſe prædicator pacis, zelus Dei adeò comedit, vt etiã in amicos pacis diſtringat gladiũ belli. Qualem n. zelum habuit Petrus in amputanda auricula Malchi qui Rex interpretatur, talem zelum habet modo vicarius Petri in amputanda auricula Regis hæretici, in quẽ omnimodis inuehitur. Dũ enim hæreticorũ caput, Dei rebellẽ, regni inuaſorẽ, Simoniaci idoli adoratorẽ, ab Apoſtolis & Apoſtolicis excõmunicatum

vocat, quaſi tot ictus ictibus addit, & tot vulnera animæ eius infligit, vt ſi infirmus in fide eſſet, deſperare poſſet. Sed qui in feriendo Petrũ imitatur, etiã in recondendo gladio Petrũ imitetur. Qui n. ſanauit auriculã Malchi, poreſt etiã ſanare auriculã Regis hæretici, ſi talis eſt quod abſit & pro nobis dolemus, & ipſi Domino noſtro condolemus. Nihil modo pro Imperatore noſtro dicimus: ſed hoc dicimus, q etiãſi talis eſſet, tamen eũ principari nobis pateremur: quia vt talis nobis principetur, peccando meremur. Eſto, concedimus vobis inuicti, eũ talẽ eſſe, qualẽ dicitis: nec talis à nobis repellendus eſſet armis contra eũ ſumtis, ſed precib: ad Deũ fuſis. Contra Pharaonẽ, cuius cor cõtra Deũ indurauit, Moſes ranã, muſcã, locuſtã, grãdineq; induxerat: has tamen plagas, non niſi orando, extenſis in cœlũ manib. auertere potuit. Et Paulus: *Obſecro*, inquit, *primò omniũ fieri orationes pro regibus & pro omnibus, qui in ſublimitate ſunt conſtituti*. Reges illius temporis, pro quibus Paulus orari obſecrabat, non Catholici, non Chriſtiani erant. Baruch quoq; ex ore Hieremiæ ſcribit, Iudæis à rege Babylonis captiuatis: *Orate pro vita Nabuchodonoſor regis & Balthaſar filij eius, vt ſint dies ipſorũ, ſicut dies cœli ſuper terrã: & det Dominus virtutẽ nobis, & illuminet oculos noſtros, vt viuamus ſub vmbra Nabuchodonoſor regis Babylonis, & Balthaſar filij eius: vt ſeruiamus eis multis diebus, & inueniamus gratiã in conſpectu illorũ*. Cur pro malis Regib. orari debeat, Paulus dicit, ſcilicet *vt tranquillã vitam agamus*. Eſſet Apoſtolicum, imitari Apoſtolum: eſſet propheticum, imitari prophetam. Sed peccatis noſtris merentibus, Apoſtolicus, qui etiam modo orare deberet pro Rege quamuis peccatore, vt tranquillam & quietam vitam agamus. Cum ita ſibi conſonent Apoſtolica & prophetica verba, quæro humiliter ego filia à matre mea ſancta Romana Eccleſia, vnde hæc anthoritas Apoſtolico, vt præter ſpiritualem gladium exerat in ſubiectos alterum occiſionis gladium. Non ego pro Rege, ſed pro Eccleſiarum matre, cuius parti timemus nos eius filiæ. Si enim Dauid non meruit ædificare templum Dei, quia vir ſanguinum erat, ſummus Pontifex ſi vel ſtilla ſanguinis veſtem eius tetigerit, quomodo in ſancta ſanctorum introibit cum ſanguine Chriſti, quem offerat pro ſua & populi ignorantia? O vtinam non cum Pilato tantum lauet manus ſuas, dicens: *Mundus ego ſum à ſanguine innocentium*: ſed etiam cum Petro dicat, *Domine, laua non tantum pedes meos, ſed & manus & caput*. Iudæi, non excuſauerunt manus ſuas à ſanguine Chriſti, quem ipſi hora tertia linguis ſuis, hora ſexta manibus Romanorũ cruxifixerunt: Apoſtolicus verò ſe excuſans, dicit cum Paulo, *Mundus ego ſum à ſanguine omnium veſtrũ*. Quis Pontificum Romanorũ ſuis vnquam decretis authorizauit, vt debeat Pontifex gladio belli in peccãtes vti? Gregorius primus huius nominis Papa, quid omnes ante ſe Papæ ſuper hoc ſenſerint,

& quid omnes poſt ſe ſentire debeant, oſtendit, ſcribens Sabiniano diacono: *Vnum eſt, quod humiliter ſuggeras ſereniſſimis Dominis noſtris: quia ſi ego ſeruus eorum in morte vel Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec Regẽ nec Duces nec Comites haberet, atq; in ſumma confuſione eſſet. ſed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miſcere formido.* Hoc exemplo omnes à primo Gregorio contenti, vtebantur ſolo gladio ſpirituali, vſque ad vltimum Gregorium: id eſt ad Hildebrandum, qui primus ſe & ſuo exemplo alios Pontifices contra Imperatorem acuit gladio belli. Quis poſſit Regem arguere? Melius nobis intellexit Iob, qui in libro Iob de Deo ait: *Qui vocat duces impios, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Quod Gregorius exponens: *Nullus,* inquit, *qui talem rectorem patitur, eum quem patitur accuſet: quia nimirum ſui fuit meriti, peruerſi rectoris ſubiacere ditioni. Culpam ergo proprij magis accuſet operis, quam iniuſtitiam gubernandis. Scriptum namq; eſt: Dabo tibi reges in furore meo. Quid ergo illos nobis praeeſſe deſpicimus, quorum ſuper nos regimina ex Domini furore ſuſcepimus? Sic ergo ſecundum merita ſubditorum, tribuũtur perſona regentium, vt ſæpe qui videntur boni, accepto mox regimine permutentur: ſicut Saul qui cor cum dignitate mutauit. Sic ergo pro qualitatibus ſubditorum diſponuntur acta regentium, vt ſæpe pro malo gregis, etiam vere boni rectoris vita delinquat. Certum vero eſt quod ita ſibi inuicem, & rectorũ & plebium merita connectuntur, vt ſæpe ex culpa rectorum, deterior fiat vita plebium. & ſæpe ex merito plebium mutetur vita rectorum. Sed quia rectores habent iudicem Deum, magna cautela ſubditorum eſt, non temere iudicare vitam regentium.* Hæc Gregorii verba agunt pro nobis, quod vos Deo iudicium ſuum tollatis, nec attendatis quod dicit Amos Propheta: *Væ deſiderantibus diem Domini.* Diem Domini deſiderat, quiſquis vult vel importunè vel intempeſtiuè de ſubiectis iudicat, vel voto cordis iudicium Dei præoptat. Non dicimus Imperatorem noſtrum eſſe hypocritam: ſed vos, qui eum habetis pro hypocrita, miramur quod non attendatis, qua cauſſa Deus faciat regnare hypocritam. Si enim ceſſarit cauſſa peccati, ceſſabit & pœna peccati. Quid de eo dicimus, quod Henricum ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris excommunicatum Sancti Spiritus iudicio dicit? Nimis illum deteſtatur, quem nec Regis nec Imperatoris nomine dignatur, quis poterit diſcernere cauſſam regni à cauſſa ſacerdotii? Niſi pax Dei quæ exuerat omnem ſenſum, copulet regnum & ſacerdotium, vno angulari lapide concordiæ, vacillabit ſtructura eccleſiæ ſuper fidei fundamentum. Vt poteſtatem regni probat vel improbat cauſa modusque regendi: ſic poteſtatem ſacerdotii probat vel improbat cauſſa modusque ligandi & ſoluendi. Nam Clemens ſcribit dixiſſe Petrum: *Ligabis quod oportet ligari, & ſolues quod expedit ſolui,* Qui præeſt cæteris, oportet agere vicem medici, non beſtiali

furore

furore commoueri. Qui ergo debet agere vicem medici, audiat etiam conſilium Sapientiæ: *Omnis*, inquit, *poteſtatis, breuis eſt vita. Languor prolixior grauat medicum breuem languorem præcidit medicus.* Sic & Rex hodie eſt, & cras morietur. Cùm ab omnibus indicatur Prælato virtus diſcretionis, quare Apoſtolici ſuccedẽtes ſibi inuicem, quaſi hæreditario bello excommunicandi, indiſcretè in Regem inſurgunt, cui pro regali dignitate, etiam ipſi ſubiici iubentur? Qui excommunicatur ſancti ſpiritus iudicio, vtique repellendus eſt à Dei domo. Quotieſcunque autem aliquis excommunicatur, aut ex cauſſæ aut perſonæ præiudicio, quis dicat hunc excommunicatum eſſe ſancti Spiritus iudicio? Dicitis cum Gregorio: *Quoquo modo liget paſtor, timeat grex vinculum paſtoris.* Dicimus & nos cum Gregorio: *Ligandi & ſoluendi poteſtate ſe priuat, qui ſubiectos pro ſuo velle & non pro eorum merito, ligat & ſoluit.* Dicitis: *Quoquo modo communicatur, ſi morte præuenitur, damnatur.* Hic nobis ſuccurrit Romanæ Eccleſiæ authoritas. Gregorius enim ſcripto & facto authorizauit, quod poteſt Romanus Præſul abſoluere excommunicatum iniuſtè ab aliquo. Si hoc poteſt Romanus Præſul, quis neget etiam Deum poſſe abſoluere, ſi quem Præſul Romanus iniuſte excommunicauerit? Nemo enim lædi poteſt ab alio, niſi prius lædatur à ſemetipſo.

Nullum profectò, inquit, *gratius Deo ſacrificium offerre poteris.* Qualiter hoc ſacrificio nihil ſit gratius Deo, quæro à te, ô mater mea eccleſia Romana. Deo enim non placet ſacrificium, niſi ſit mundum & immaculatum. Ideo enim lex in Paſcha offerebat Deo agnum immaculatum, vt etiam offerentes eſſent immaculati: quomodo ergò tam gratum eſt Deo hoc bellandi ſacrificium, quod non poteſt fieri ſine macula culparum? Dicit enim Malachias: *Si offeras Deo pecus claudum, cæcum, languidum, nonne malum eſt?* Apoſtolicus, qui hoc ſacrificium belli indicit Roberto filio ſuó, vellet, puto, redire ad zelum Phinees, vellet facere, quod fecit Moſes, vt manus Leuitarum conſecret in ſanguine fratrum ſuorum. Perierunt Filii Aaron offerentes ignem alienum: vtinam non pereat hic, qui etiam modo Deo offert ignem alienum: & non illum ignem, quem venit Ieſus mittere in terram, & vult vt ardeat. Quomodo, inquam, eſt gratum Deo ſacrificium, quod non videtur eſſe mundum & immaculatum? Sacrificium de rapinis pauperum erit gratum illi, qui odit rapinam in holocauſtum? Nec ſacrificio de lacrymis viduarum & pupillorum delectabitur Deus, vt ait Ieſus filius Sirach; *Non deſpiciet Deus gemitum pupilli & viduæ. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & à maxilla aſcendunt vſque ad Cœlum? & Dominus* [illegible]*ditor non delectabitur in illis?* Sacrificium de oppreſſionibus Eccleſiarum quomodo gratè accipiet

ille, qui dixit: *Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu & trementem ſermones meos*? Hac calamitate Apoſtolici belli, quot ſunt oppreſſi, de quibus Deus dicit: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*. Sacrificium humano ſanguine inquinatum, miror ſi placebit illi qui dixit: *De manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis ſanguinem hominis requiram*. Quod per modos ſacrificandi Ieſus in Euangelio tribus pene verbis concludit: *Omnis ſacrificans igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur*. Quàm planè eſt hoc concluſum, quis gratè Deo ſacrificet, vel quod ſit gratum Deo ſacrificium? Si ſacrificans igne Spiritus ſancti ſalietur, victima quoque ſacrificantis ſale ſapientiæ ſalietur. Et penetrans Ieſus altius ad intentiones cordis, addit: *Bonum eſt Sal. Quod ſi ſal inſulſum fuerit, in quo condietis illud? Habete in vobis ſalem, & pacem habete inter vos*. Tenorem huius Euangelici capituli quis melius exponet, quam rei & præſentis temporis conſequentia? Non poſſumus habere pacem inter nos, niſi habemus ſalem in nobis. Sed ſalem non habemus in nobis, ideo non habemus pacem inter nos.

Hoc, inquit, *tibi ac militibus tuis in peccatorum remiſſionem, & Apoſtolicæ ſedis familiaritatem præcipimus, vt his laboribus & triumphis ad cæleſtem Hieruſalem peruenias*. Hactenus Euangelicis, Apoſtolicis & Propheticis teſtimoniis innitebamur: & quod minus habebat materia, augebat exemplorum copia: hic verò quid dicam neſcio: quò me vertam non video. Si enim vtriuſque legis totam bibliothecam, ſi omnes totius bibliothecæ veteres expoſitores reuoluam, exemplum huius Apoſtolici præcepti non inueniam. Hildebrandus Papa vltimam manum ſacris canonibus impoſuit, quem legimus præcepiſſe Mathildi Marchioniſſæ, in remiſſionem peccatorum ſuorum, vt debellaret Henrichum Imperatorem. Quod iuſtè nec ne, ipſe vel alii fecerint, nulla authoritate diſcimus. Hoc ſolum dicimus, quia non poteſt aliquis aliquem indiſcretè ſoluere vel ligare. Ad hoc occurrit nobis ex Euangelio exemplum. Ieſus Chriſtus totum hominem ſine peccato agens, reſuſcitaturus Lazarum, videns alios pro illo plorantes, fremuit ſpiritu, turbauit ſemetipſum, lacrymatus eſt. Rurſum fremuit in ſemetipſo, iuſſit tolli lapidē mortuo ſuperpoſitū, eleuatis oculis orauit, voce magna clamauit; *Lazare, veni foras*. Quo prodeūte, ligatis manib. ac pedibus inſtitis, & ſudario facie ligata, dixit Ieſus diſcipulis, vt ſoluerent eū. Ecce in Lazaro peccatorē in Ieſu video prædicatorē. Quot affectus oſtendit Ieſus in Lazaro ſuſcitando, tot affectus oſtēdit prædicator in peccatore ſuſcitādo. Si peccator, vel pro peccatore prædicator turbauerit ſeipſum pœnitendo, ſi lachrymatus fuerit, ſi clamauerit: Veni foras confitendo peccata: ſi tulerit lapidem de duro corde peccantis:

124

cantis: tandem ad iuſſum Dei ſoluat inſtitas excommunicationis, tollat etiam à facie eius laborioſum pœnitentiæ ſudarium, & ſic liberatum ſinat abire. Hinc Gregorius ait, *Mortificat non morientem, qui iuſtum damnat: nititur viuificare non victurum, qui reum ſupplicio ſoluere conatur. Vera eſt abſolutio præcedentis, cum ſequitur arbitrium æterni iudicis. Sic diſcipuli Lazarum iam viuentem ſoluunt, quem Ieſus ſuſcitauerat mortuum: ſi enim mortuum ſoluerent, fœtorem magis oſtenderent quam virtutem.* Hæc Gregorius. Hunc morem diſcretè ligandi & ſoluendi hactenus tenebas, & nobis tenendum mandabas, ô ſancta mater Romana Eccleſia. Vnde ergo hæc noua authoritas, per quem reis ſine confeſſione & pœnitentia offertur præteritorum peccatorum impunitas, & futurorum libertas? Quantum feneſtram malitiæ per hoc patefeciſti hominibus? Te, ô mater liberet, Deus ab omni malo. Sit Deus tibi oſtium, ſit oſtiarius. Nullus in te introeat, niſi cui oſtiarius apperuerit. Te, inquam, tuumque Præſulem liberet Deus, & ab his qui (vt ait Micheas propheta) *ſeducunt populum* ca.3,v.4.
Dei: qui mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem. Etſi quis non dederit in ore eorum quippiam, ſanctificant ſuper eum bellum.

* *
*

Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis,

OTBERTI EPISCOPI LEODIENSIS, DVCIS BVLLIONÆ, &c.

Scripta A.D. 1106.

Epiſtola

DE VITA ET OBITV HENRICI IV. Imperatoris Auguſti, Ducis Bauariæ VII.

PROOEMIVM.

QVIS dabit capiti meo aquam, & fontem lacrymarum oculis meis, vt lugeam non excidia captæ vrbis, non captiuitatem vilis vulgi, non damna rerum mearum, ſed mortem Henrici Imperatoris Auguſti, qui ſpes mea & vnicum ſolatium fuit, imò vt de me taceam, qui gloria Romæ, decus Imperii, lucerna mundi extitit? Erit poſthac mihi vita iocunda? erit abſque lacrymis dies aut hora? aut tecum, ô dulciſsime, potero illius mentionem habere ſine fletu? Ecce dum ſcribo, quod dictauit impatientia doloris, cadunt lachrymæ, madent fletu literę, & quod notat manus, diluit oculus. Sed forſan impatientiam doloris mei redarguis, & vt fletum meum reprimam, ne fortè iis, qui de morte Imperatoris gaudent, innoteſcat, inſtruis. Rectè me doces, fateor: ſed non poſſum imperare mihi, quin doleam, non poſſum me continere quin lugeā, licet in me furorē ſuū exacuant, licet me mēbratim diſcerpere cupiāt: dolor timere neſcit, dolor illatas pœnas non ſentit. Nec ego ſolus mortē eius lamentor: hanc Roma plāgit, hanc omne Romanum Imperium deflet, hanc in commune diuites & pauperes, præter inſidiatores potentiæ vitæq; eius, lugent. Nec mihi priuata doloris cauſa eſt: publicā lamentari

cladem pietas me cogit. Nam illo recedente, iuſtitia terras reliquit, pax abiit, fraus in locum fidei ſubintrauit, chorus laudantium Deum conticuit, ſolennitas officii diuini ſiluit, vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum non auditur: quia qui hæc omnia ſolenniter ordinauit, nõ inuenitur. Monaſteria patronum ſuum, clauſtra patrem amiſerunt, quibus quid commodi, quid honoris ipſe conferret, nunc demum agnoſcitur, cùm extinctus ea non tenet. Ergo clauſtris omnibus vera dolẽdi cauſa ſubeſt: Nam cum illo ſepulto gloria eorum ſepulta eſt. Heu Moguntia, quantum decus perdidiſti, quæ ad reparandam monaſterii tui ruinam talem artificẽ amiſiſti? ſi ſuperſtes eſſet, dum operi monaſterii tui, quod inceperat, extremam manum imponeret, nimirum illud illi famoſo Spirenſi monaſterio contenderet, quod ille à fundo fundatum vſque mirá mole & ſculptili opere compleuit, vt hoc opus ſuper omnia Regum antiquorum opera laude & admiratione dignum ſit. Qualem etiam ornatũ ex auro, argẽto, lapidibus precioſis & ſericis veſtibus illi monaſterio contulerit, difficile eſt credere, niſi cui contingit & videre.

Tum denique homines noſtra intelligimus bona, Cùm quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus. PLAVT.

Vobis quoque, ô pauperes, vel maxima cauſa dolendi eſt: nam nunc demum pauperes facti eſtis, cùm paupertatis veſtræ conſolatorem amiſiſtis: ille vos pauit, ille manibus ſuis lauit, ille nuditatem veſtram texit: non ante ianuam, ſed ante menſam eius Lazarus iacuit: nec micas, ſed regias delicias expectauit. In ipſa menſa famem & fœtorem vlceroſi non abhorruit, cùm miniſter menſæ contra fœtentem nares corrugaret, aut obſtiparet. In cubiculo eius cæci, claudi, & diuerſis morbis confecti iacebant; hos ipſemet excalceabat, hos collocabat, hos de nocte conſurgens tegebat, nec abhorrebat vel eius tactum, quem ægritudo compulerat vſque ad ſordidandum lectum: iter eius pauperes præcedebant, comitabantur, ſequebantur: quorum curam tametſi ſuis intimis commendaſſet, ipſemet tamen eos tanquam nulli commendatos curabat. Sed & per curtes ſuas vſquequaq; ſtipendia pauperibus diſpoſuerat; quorum numerũ & obitum ipſe ſcire voluit, vt & defuncti memoriam ageret, & in eius locum alterum ſubrogatum noſſet. Sed quando ſterilitas anni famem indixit, multa millia pauenda ſuſcepit, verè memor verbi dominici præcipiẽtis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quid putamus quo dolore pauperes afficiuntur, cùm hæc bona, quę enumerauimus, ſe habuiſſe, & nunc non habere, recogitant? Quis enim illis hanc humanitatis curam impendit? quis quærit vbi æger cubet, vel quid alimenti poſtulet? quis amplius iis miſericordiæ officiis inſeruit, quibus Henricus Imperator inſeruiuit? O virum pietatis & humanitatis laude inſignem! Imperauit mundo, pauperes illi: Mundus illi, pauperibus ipſe miniſtrauit. Hæc de bono miſericordiæ in pauperes,

Henrici IV benignitas & comitas erga egenos.

quos multum amauit: & quod ab hominibus abſcondi non potuit, nō pro dignitate facti, ſed pro facultate ingenii primò locuti (quis enim ſcire poſſet, quæ ſolo Deo teſte peregit?) de aliis quoque virtutibus, quibus claruit, aliqua dicamus: Nam omnia dicere non ſufficimus.

Virtus bellica.

Solertia.

Prudentia & ſagacitas.

Statura heroica atque autoritas.

Nemo miretur, ſi luctui mortis eius vitæ quoque eius læta geſta immiſceam, cùm hic mos dolentium ſit, vt cùm extinctum amicum lugent, totam eius retro vitam & argumentum doloris ſui ediſſerant. Itaq; iuuat me de eo ſcribere, iuuat indulgere dolori, & mortuum flere, qui dum viueret gaudium meum fuit. Ille modò perſonam Imperatoris, modò tanquam militis gerebat: ex vno gerendæ dignitatis, ex altero documentū præbens humilitatis. Tam ſubtilis ingenii tamque magni conſilii fuit, vt dum ſententia Principum vel in cauſa decernendi iuris, vel in tractandis regni negotiis hæſitaret, ipſe citò nodum ſolueret, & quid æquius, quid vtilius eſſet, tanquam ex ipſius arcano ſapientiæ ſumptum, edocent. Intendebat aliorum verbis, ipſemet pauca loquebatur: nec prius ad ſententiam erumpebat, ſed aliorum expectabat. In cuius vultum aciem oculorum ſuorum fixiſſet, eius animi motus perſpiciebat, videbatque tanquam lynceis oculis, ſiue aduorſum ſe cor odii, ſeu gereret amoris. Nec illud laude vacat, quòd in turba Procerum cæteris eminentior & maior ſeipſo videbatur, & quod in vultu terribile quoddam decus præferebat, vnde intuitus aſpicientium tanquam fulmine reuerberaretur, cùm inter domeſticos ſuos, & raram turbam, vultu placidus & ſtatura æqualis appareret.

Rex Græciæ.

Rex Africæ.

Non ſolùm potentes Imperii ſui metuebant eū, ſed & Reges oriētis & occidentis adeò fama eius perterruit, vt antè tributarii ſint facti, quàm victi. Ipſe Rex Græciæ vt metum diſſimularet, amicitiam eius expetebat, & quem futurum hoſtem timuit, muneribus ne fieret hoſtis, præuenit. Teſtatur hoc aurea tabula Spirenſis altaris, tam artis nouitate, quàm metalli pondere miranda, quam Rex Græciæ, dum Imperatoris votum & ſtudium circa Spirenſe monaſterium feruere cognoſceret, nobile donū & tam eo qui miſit, quàm cui mittebatur, digniſſimum tranſmiſit. Sed & Rex Africæ, quia potentiā Imperatoris timuit multum, eius fiſco multum addidit.

Henrici in facinoroſis plectendis ſeueritas.

Oppreſſores pauperum oppreſſit, raptores in direptionem dedit, cōtra ſe contumaces, contraq; ſuam potentiam ſe leuantes, adeò retudit, vt in poſteris eorum regiæ vindictæ veſtigia vel hodie compareant: quo nimirum facto & ſuis in præſenti, & Imperii rebus in futurum prouidit, vt diſcant non diſturbare pacem, non armis Imperium vexare. Hic velim abrumpere ſtylum: nam ventū eſt ad factiones, ad fraudes & ſcelera, de qnibus vera ſcribere periculum, falſa crimen eſt: hâc lupus, hâc canis vrget. Quid igitur faciam? eloquar an ſileam? manus incipit & dubitat, ſcribit, & renuit, notat & delet, vt penè ignorem, quid velim. Sed turpe eſt inceptam

ptam materiam mutilatam relinquere, & caput abſque manibus pinxiſſe. Pergam igitur, vt cœpi, conſtans, & ſecurus inde, quòd fides tua ea mihi perſpecta eſt, vt hæc ſcripta nulli detegas, aut ſi qua foras exierint, autorem non prodas.

HENRICI IV. CÆSARIS AVGVSTI VITA.

Status Imperii poſt mortẽ Henrici III. Cæſ.

CVM Imperator Henricus, de quo nobis ſermo eſt, patri ſuo glorioſiſſimo Imperatori, tertio Henrico, adhuc puer ſuccederet in regnum (nam illo paruulo pater naturæ cõceſſit) regno priorem ſtatum adhuc tenente, non bella pacem diſturbabant, non claſſica quietem rumpebant, non rapina graſſabatur, non fides mentiebatur. Adhuc iuſtitia ſui vigoris, adhuc poteſtas ſui iuris erat. Hunc beatum regni ſtatum Agnes Imperatrix sereniſſima, virilis ingenii fœmina multum iuuit, quæ vnà cum filio Rempublicam pari iure gubernauit. Sed quoniã ætas immatura parum timori eſt, & dum metus languet, audacia creſcit, pueriles anni Regis multis ſuggerebant animum ſceleris. Igitur quiſque nitebatur maiori ſe æqualis, aut etiam maior fieri: multorumque potentia ſcelere creuit. Nec legis metus vllus erat, quæ ſub Rege paruulo, paruulam authoritatem habebat, & vt omnia licentius facere poſſent, primo puerũ matre ſpoliabant, cuius maturam ſapientiam, grauesque mores metuebant, illud cauſantes, non decere regnum adminiſtrari à fœmina, cùm multæ Reginæ legantur adminiſtraſſe virili ſapientia. Sed poſtquã Rex puer de ſinu matris abſtractus in manus Principum nutriẽdus venit, quicquid illi præſcribebant faciendũ, vt puer: quem volebant, exaltauit, quẽ volebant depoſuit, vt Regi ſuo nõ tam miniſtraſſe, quàm imperaſſe meritò dicantur. Cùm regni cauſam tractabant, non tam Regi, quàm ſuæ cauſæ conſulebant: idque præcipuũ eis fuit in omnibus quæ agerent, ante omnia ſuum quæſtum facere. Fuit hæc perfidia vel maxima, quòd eum quaſi ſub ſigillo ſeruandum in puerilibus actis ſuæ poteſtati relinquebãt, vt & ſic elicerent ab eo, quod affectabant. Sed cùm in eam ætatis & ingenii metam euaſiſſet, vt quid honeſtum, quid turpe, quid vtile, quid non, diſcernere poſſet, retractans quæ ſuggeſtione Principũ inductus geſſiſſet, multa quæ geſſerat, dãnauit: & ipſe iudex ſui factus, ex iis mutanda mutauit. Prohibebat quoq; bella, violentiã & rapinas. Nitebatur pulſam pacẽ & iuſtitiã reuocare, neglectas leges reſtituere, & ſceleris licentiam reſecare. Quos aſſuetos ſceleri, per edictum coercere non potuit, per cenſurã legis & iuris curiæ, mitius tamen quàm culpa exige-

Agnes Auguſta.

Henric. IV. puer à matre abductus, omnia ad aliorum præſcriptũ agit.

Corrumpitur nimia captatorum indulgentia.

Ex ephebus adoleſcentiæ peccata corrigit.

Vocatur in odium.

ret,correxit. Quod illi non iuſtitiam ſed iniuriam putantes, & qui per omne nefas ruebant, frena pati reſpuentes, qualiter eum vel extinguerent, vel priuatum facerent, conſiliis incumbebant, non recolentes ſe debere ciuibus ſuis pacem, regno iuſtitiam, Regi fidem.

Saxones in armis.

Igitur Saxones, gens dura, bellis aſpera, tam præceps ad arma quàm audax, vendicans ſibi prærogatiuam laudis ex incepto furoris, repente ſuper Regem armis ruebant. Qui cum paucis contra innumeros armatos, confligere periculoſum exiſtimans, vix elapſus vitam laudi, ſalutem fortunæ prætulit. Itaque videntes inceptum ſuum votis non reſpondiſſe, oſſa filii Regis: nec dum enim Imperator factus erat! ô inhumanam mentem, ô probroſam vindictam! effodêre. Qua vtraque iniuria grauiſſima Rex commotus, exercitum contra illam gentem duxit, conflixit, vicit: Vicit, inquam, aciem contra ſe inſtructam, non obſtinationem erectam. Nam licet eos in pugna congreſſos vinceret, victos fugaret, fugatos perſequeretur: licet bona eorum deuaſtaret, munitiones euerteret, & omnia quæ victori libent, faceret, non tamen ad deditionem cogi potuerunt. Iterum cùm inde digreſſus, reparato in breui exercitu, eos inuaderet, diffidentes viribus ſuis, vtpote in priori bello grauiſſimè contuſis, quod ſaluti proximum erat, ſe dedidêre, ſperantes Regem ſola deditione contentum gratiam ſuam facilè donaturum. Sed longè præter ſpem euenit: nam Rex eos exilio addictos, in alienas terras miſit, vbi dura cuſtodia conſtricti, relaxationis edictum expectarent. De quo exilio alii fuga elapſi, alii propter pecuniam à cuſtodibus dimiſſi, dum ad patriam & domum ſuam repedaſſent, recenti coniuratione ſe inuicem obligabât, vt parati eſſent, antè mori, quàm de nouo deditioni ſubiici. Sed & validior eorum coniuratio facta eſt, quia nonnulli Longobardorum, Francorum, Bauarorum, Sueuorum, data & accepta fide, illis conglutinati ſunt, qui Regem bellis vndiq; pulſarent. Videntes autem Regem bellis tangi poſſe, non deiici: vexari, non ſuperari: quippe cuius robur adhuc erat inexpugnabile: vt vires eius extenuarent, confictis conſcriptiſque ſuper eo criminibus, quæ peſſima & immundiſſima potuit odium & liuor excogitare, & quæ mihi ſcribenti & tibi legenti nauſeam pararent, ſi ea ponerem, vera falſis miſcentes, apud Romanum Pontificem Gregorium ſeptimum eum deferebant: non decere tam flagitioſum, plus notum crimine quàm nomine, regnare: maximè cùm ſibi regiam dignitatem Roma non contulerit: oportere Romæ ſuum ius in cõſtituendis Regibus reddi: prouiderent Apoſtolicus & Roma ex conſilio Principum, cuius vita & ſapientia tanto congrueret honori. Qua ſurreptione deluſus Apoſtolicus, ſimul & honore creandi Regis, quem ſibi fallaciter obtulerant, impulſus, Regem banno innodauit, & Epiſcopis aliiſque regni Principibus, vt à communione excommunicati Regis

Sepulcrũ filii Henrici violatum. *Saxonum acies, non obſtinatio victa.* *Infelix deditio.* *Inde nata conſpiratio & rebellio.* *Henricus accuſatur Gregorio VII. Papæ.* *Declaratur abſtentus.*

Regis ſe retraherent, denunciauit: ſe citò venturũ in Teutonicas oras, vbi de negotiis Eccleſiaſticis, & potiſſimũ de regno tractaretur. Quin etiam & hoc addidit: abſoluit omnes à iuramento, qui fidem Regi iurauerant, vt contra eum impelleret abſolutio, quos fidei tenuit obligatio. Quod factum multis diſplicuit (ſi cui diſplicere licet, quod Apoſtolicus fecit) & aſſerebant, tam inefficaciter quàm illicitè factum quod factum eſt. Sed nõ auſim aſſertiones eorum ponere, ne videar cum eis Apoſtolici factum reprehendere. Mox & Epiſcopi, tam illi quos amor, quàm quos timor in partem Regis traxerat, metuentes ordini ſuo, ab eius auxilio ſe plerique retrahebant: quod & maior pars Procerum factitabat. Tum verò videns rem ſuã in arcto ſitam, inito tam occulto quàm aſtuto conſilio, ſubitum & inopinatum iter in occurſum Apoſtolici arripuit, vnoque facto duo peregit, ſcilicet & banni ſolutionem accepit, & ſuſpectum ſibi colloquium Apoſtolici cum aduerſariis ſuis ipſe medius intercepit. Pro impoſito ſibi crimine paruam reſpondit: qui ad accuſationem inimicorum ſuorum, etſi vera fuiſſet, non ſibi reſpondendum aſſeruit. Quid vobis profuit hoc egiſſe, vt banno illigaretur, cùm de banno ſolutus potentia ſua potenter vtatur: Quid vobis profuit, eum fictis criminibus accuſaſſe, cùm accuſationẽ veſtram facili reſponſo, vt ventus puluerem, diſſipauerit? Imò quæ dementia vos contra Regem veſtrum & orbis rectorem armauit? Nihil conſiliata veſtra malignitas proficit, nihil peragit. Quem Dei manus in regno firmauit, veſtra deiicere non poterit. Vbi fides, quam illi iuraſtis? Quare beneficiorum, quæ regia liberalitate contulit in vos, obliti eſtis? Vtimini vel adhuc ſano conſilio, non furore, pœniteat vos incepti, ne fortior vobis ſuperueniens vincat vos, & pedibus ſuis conculcet vos, & ea vindicta feriat, quæ futuris demonſtret, quid regia manus valeat. Saltem vos, ô Epiſcopi, videte ne pereatis de via iuſta, videte ne tranſgreſſores fidei promiſſæ fiatis: alioqui quid conſequatur vos ipſi noſtis.

O ſceleſtã diſſiensiã.

Defectiones ex anathemate.

Henrici ad Papam profectio & expiatio.

Apoſtrophe ad Cæſaris aduerſarios vehemens.

Igitur Rex ab Apoſtolico digreſſus, benedictione pro maledictione accepta, Rudolfum Ducem ſuper ſe Regem creatum inuenit. Qui audita regreſſionis eius fama, antè paratus ad fugam quàm ad pugnam, antè pulſus quàm victus, in Saxoniam fugit. Facile eſt regnum accipere, difficile tueri. Sed nulli mirum ſit, virum in rebus bellicis exercitatum & ſtrenuũ tunc fugiſſe: Quia ſæpe iuſtior & victrix cauſa fortes in metum mittit & in fugam. O auaritiam, peſtem peſſimam, quæ bonos mores trãſuertit, & ſæpe ipſas virtutes ad vitia trahit! Iſte Rudolfus Dux eximius, vir magnæ authoritatis & laudis in toto regno, veri rectique tenax, fortis in armis. denique ſpectatus in omni genere virtutum: iſte, inquam, auaritia, quæ vincit omnia, victus, & ſupplantator domini ſui factus, fidẽ incerto poſtpoſuit honori. Fuere tum qui dicerent, ab Apoſtolico eum immiſſum, nec

Rudolfus Henrici æmulus.

Franguntur vires in milite cauſa.

Quem iuſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Papa ſua [illegible] [illegible].

vnquam tantæ virtutis virum magis auaritiæ quàm conſilio ceſſiſſe. Et hoc in argumentum ſumebant, quòd Apoſtolicus tacuit, dum poſt abſolutionem Regis Rudolfus regnum inuaſit: iuxta illud Comici: *Qui tacet, ſatis laudat.* Itaq; Rex cedente Rudolfo, cuius caput, ſi deprehenſus eſſet, vindex gladius dignè rotaret, Bauariam, Sueuiamque inuaſit, & coniurationis aduerſum ſe ſocios vaſtauit, munitiones eorum fregit. Nec tamen pro iniuriæ ſuæ materia ſe vindicabat, ſed ſciens in vltione freno vti, longè infra metam culpæ cohibebat habenas vindictæ. Sed Rudolfus vt dedecus fugæ virtutis facto recompenſaret, Wirtzburgenſem ciuitatem obſedit, vbi tamen fraude magis quàm virtute pugnatum eſt. Nam cùm Rex ad propellendum hoſtem exercitum conuocaſſet, inſtructa amborum partium acie, & primis inter ſe prælia miſcentibus, quidam equites regiæ partis mercede conducti, qui ſe Regis lateri quaſi fidi clientes applicuerant, ſubitò in ipſum arma verterunt: ſed ære munito corpori liuorem, non vulnus inflixerunt. Heu miſerrimi, quibus precium & ſceleris cauſa fuit & necis, quos vno in loco & crimen inuoluit & vindicta. Nam eos tot vindices deuictæ in fruſtra concidebant, vt in eis humani cadaueris figura periret. Fit tumultus, exoritur clamor, ſpargitur rumor, Regem interfectum. Quo rumore perterritus exercitus fugit, hoſtis inſequitur. Et quoniam in equis equitum ſalus, ſolis peditibus miſerabile fatum incubuit. Ideoque victoria quanto maior, tanto minoris tituli fuit. Sic hoſtis vrbe capta, impoſitoque præſidio, in Saxoniam regreſſus eſt. Quid, improbe, tibi profuit, vel indiſcreta cædes fugientis vulgi, vel fortuna captæ vrbis, cùm nec vrbe diu, nunquam autem regno potiaris? Rex enim breui poſt tempore cum exercitu reuerſus, ereptam vrbem recepit. Nam hi, quibus prouincia vrbis tuendæ tradita fuerat, ex vrbe profugerant. Poſtea Saxoniam cum exercitu ſæpius ingreſſus, aut victor aut æqua manu receſſit. Sed ad vltimum reuerſus, tam notanda quàm felici victoria vicit, magnumque mundo documentum datum eſt, vt nemo contra dominum ſuum conſurgat. Nam abſciſſa Rudolfi dextra digniſſima periurij vindictam demonſtrauit, qui fidem domino ſuo Regi iuratam violare non timuit: & tanquam alia vulnera non ſufficerent, ad mortem acceſſit etiam huius membri pœna, vt per pœnam agnoſceretur & culpa. Sed & aliud notandum in illa victoria contigit, videlicet quod tam victor, quàm victus exercitus: nimirum hoc ordinante deſuper diuina clementia, vt poſt ruinam capitis ex alterna fuga tolleretur nefas alternæ cædis.

Henrici & Rudolfi bellum ciuile.

Prælium Wirtzburgenſe.

Auri ſacra fames quid non mortalia cogis pectora.

Wirtzeburgum ab hoſte recuperatur.

Bella Henrici in Saxonia.

Rudolfus periurus dextrã amittit.

Sed gens dura nec damno monita eſt, nec ſigno, quin potius vt obſtinatione vinceret, quod manu non poterat, Hermannum nouum ſibi Regem conſtituit, qui & ipſe nouo modo periit. Nam cùm Saxones eum

Hermãnus Rudolfo ſurrogatus.

de terra

de terra ſua proturbarent, quicquid illud fuerit, quod eis in illo diſplicuit, reuerſus in patriam ſuam, portans inane nomen Regis, ad Hermannum Treuirenſem Epiſcopum ſe contulit, quem etiam ad auſum ſentiendi contra Regem inexpugnabilis munitionum firmitas impulerat. Quanta potentia Regis, qui alendus fuerat non ex ſuis, ſed ex opibus alienis? Quadam die cum iter ageret, incidit animo ſuo iocus ille, vt ad caſtellum, quo iturierant, ſub ſpecie hoſtium ruerent, & quæ audacia, quæ virtus animis defendentium ineſſet, tentarent. Quam mirabilem viam, quam inopinam ſæpe inuenit, quod futurum eſt vt fiat? Cumque portam abſque clauſtris & abſque cuſtode repertam irrumperent, aliis qui intus erant raptis armis viriliter contrà procurrentibus, aliis latebras eneruiter quæritantibus, fœmina ſexu, fœmina non animo, quæ in turrim euaſerat, molarem in caput Regis demiſit: & ſic ille manu fœminea, vt mors eius turpior eſſet, occubuit. Sed vt hoc dedecus dealbarent, fœminæ factum in virilem perſonam ex compoſito transtulerunt. *Eiuſdem miſerabilis interitus.*

Poſt hanc Regum fortunam in creatione Regum diu hæſitatum eſt, & caſus præteriti metus erat futuri. Vicit tandem cupiditas, & Ecbertum Marchionem ad ambitum regni forti manu impulit, qui tamen in morte ſerò didicit, quòd alter ex alterius damnis inſtrui poſſit. Vrbs erat in Saxonia, quæ quia fortunã Regis proſpero ire curſu videbat, in partes eius ſe conuerterat, præſumens fiduciam & ex loci ſui firmitate & ex regia ſubuectione. Quod indignè ferentes Saxonũ Proceres, vrbẽ obſidione vallabãt. Marchio verò Ecbertus, qui ſpe potiundi regni intumuerat, vt ſe accommodaret ad id, quod affectabat, maiori ſuper omnes robore ad obſidionem illam ibat, præmiſſaque multitudine cum paucis ipſe ſequebatur. Quem deuitantem à publica *via*, ne fortè incideret in hoſtes (quis enim tã potens qui hoſte careat, aut qui hoſtiles inſidias nõ metuat?) latens ſemita per quoddam arbuſtum duxit. Quàm occulta iudicia tua Deus, quàm miro ordine & abſcondis quæ facturus es, & aperis quod abſcondiſti! Iam meridianus ardor ſolis equos equorumque ſeſſores vrebat, & vt fit, ſitim æſtus accendebat. præterea tam grauis ſopor feſſis obrepſit, vt colla ſomno languida penderent, & equi frenis non feſſi liberam viam carperẽt. Haud procul in receſſu ſaltus ſolitarium molendinum conſpexere, quòd diuertentes ſopori ſe dedêre, miſſo interim molendinario, qui de villa potum ſitientibus afferret. Qui dum impoſito ſcapulis ſuis vtre feſtinaret, aliquos ſcutatos ad prædictam obſidionem tendentes obuios habuit, qui erant occultè fideles Regis, licet aduerſæ partis. A quibus interrogatus vnde prodiret, quò tenderet, cur tam anhelus properaret, neſciẽs ca lare, quod ſciebat, hoſpitem ſuũ & cauſſam itineris indicauit. Qui ſtupefacti, *Ecbert. Marchionis ambitus.*

ſeu metu, ſeu potius gaudio, verſantes inter ſe quid ageret, quid periculi, quidque præmii, quid virtutis, quid laudis, quid fidelitatis ineſſet, ſi tam magnum hoſtem Regis ferirent: occaſionem illam non fruſtra ſibi oblatã: maximam virtutem per maxima diſcrimina probari: incitatis alternatim animis, immiſſis equis ad molendinum properabant. Sed peruenerunt ante votis quàm equis. Incepta eſt pugna, quæ diu dura fuit & dubia, quia virtute pares & numero congreſſi, hi pro laude, illi pro vita pugnabãt. Regis tamen fortuna vicit, & hoſtis ferociſſimus non in acie ſed in molendino peremptus turpiter iacuit. Felix nimium es, & multi ſemper nominis mola, ad quam trahit homines nõ tam tuum volubile officium, quàm fama, quæ & molendo pugnam illam narras, & narrando molis. Sic ille cõuentus Procerum confuſus, procinctum ſoluit, ſic ab obſidione infecto negotio receſſit.

Rex in molendino.

Itaque res Regis in altiorẽ & feliciorẽ ſtatum ſe quotidie promouebant: aduerſariorum autem eius deorſum vergebant, & omne eorum inceptũ in turpem exitum deſinebat. Cùm ergo cernerent nullũ ſe habere ſucceſſum, nec in armis, nec in electione Regum; iterum ſe conuiciis armauerunt, & eum apud Apoſtolicum præter alia multa & nefandà criminati ſunt, quòd Reges chriſtianiſſimos, quos ipſi non ſine authoritate Apoſtolici creaſſent, ille ob crimen ſuum exortis à regno factus, occidiſſet, regnum ſanguine vſurpaſſet, igne, præda, ferro cuncta vaſtaſſet, & tyrannidẽ ſuam aduerſus Eccleſiam & regnũ omnibus modis exercuiſſet. Ad quorum criminationem Apoſtolicus eum iterum banno, vt ipſi iactabant, illigauit. Sed non magni ponderis ille bannus habebatur, eo quòd non rationis ſed arbitrii, non amoris ſed odii eſſe videretur. Cernens autem Rex Apoſtolicum ad hoc tendere, vt ſe regno priuaret, nec alia ſua obœdientia contentum, niſi è regno renuntiaret, ex obœdientia in rebellionem, ex humilitate in tumorem relabi coactus, hoc Apoſtolico facere parabat, quod Apoſtolicus ſibi facere intenderat. Ceſſa obſecro, Rex glorioſe, ceſſa ab hoc molimine, vt Eccleſiaſt. cum caput de ſuo culmine deiicias, & in reddenda iniuria te reum facias. Iniuriam pati felicitatis eſt, reddere criminis. Quærebat itaque rex cauſas & occaſiones qualiter eum eiiceret, inuentumque eſt eum Romanam ſedem olim abiuratam inſediſſe: quam idcirco abiurauerit, quia ad eam dum Archidiaconus eſſet, adhuc viuente domino ſuo per ambitionem aſpirare voluerit. Vtrum hæc vera ſint an falſa, parum comperi: alii aſſerebant, alii figmentum eſſe dicebant: vtriſq; Roma fuit in argumentum: his, quod Roma mundi caput, nunquam pateretur tale nefas: illis, quòd ea cupiditatis ancilla facile permitteret ob precium omne nefas. Mihi autem in medio res relinquenda eſt, cum incerta nec poſſim defendere, nec auſim affirmare. Igitur cum exercitu

Henricus ab æmulorum occaſu iterum Papæ accuſatur.

Inde iterata dira.

Talio.

Roma cupiditatis ancilla.

Romam pergebat, proterens in via quicquid obſtabat, oppida fregit, tumida preſſit, ardua curauit, factiones diſſipauit, in cuius aduentu Roma perſuaſa, quæ debuerat honores, arma, tanquam Pœnus Hannibal Alpes tranſcendiſſet, parabat, & Regi ſuo velut hoſti portas præcludebat. Vnde Rex iuſta cõmotus indignatione, vrbẽ obſidione, quã res poſtulabat, occluſit, & qui ſibi aditũ illis exitũ negauit. Miſſi circumquaq; qui caſtella frangerent, villas euerterent, bona diriperẽt: prouinciæq; nocuit foris, ꝙ Roma ſe clauſerat intus. Foris bella, intus metus erat, vndiq; machinæ ſurgebant: hinc murum aries pulſabat, inde miles ſcalis aſcendere parabat. Contrà qui in vrbe erant, tela, ſaxa, præuſtas ſudes, ignemque iactabant, interdum egreſſi, comminus committebant, vtrinque fortiter pugnatum eſt: hos cauſſa, illos periculum fortes fecit. Quadam die cum exercitus vterque pugna æſtuque feſſus, circa meridiem ſopori ſe dediſſet, nec ſpeculator (vt fortuna voluit) vigilaret, vnus ex ſcutariis propius ad murum, vt pila legeret, acceſſit. Cumque erectis & intentis auribus exploraſſet, intus neminem adeſſe (nam murum & propugnacula vacua cernebat) adiutus & animi confidentia, & corporis leuitate, manibus & pedibus ſurſum enitebatur, donec tandem muri ſummitatem apprehendit. Tum verò cùm iactatis circumquaque oculis neminem videret, inter ſpem & metum poſitus, toto corporis motu ſociis innuebat, vixque ſe à clamore, cùm tardius innuentem attenderent, abſtinebat. Qui raptis armis & ſcalis properantes, citiuſque (vt aiunt) dicto murum [illegible]erantes, captam vrbẽ ſerò defendentes interficiunt, capiũt, fugant. Deſignabatur iã Rex recluſum portarum aditum, vbi & ſequens à præeunte trudaretur, & præcedens à ſequente premeretur: ſed in vltionem temerariæ præcluſionis iuſſit, vt fracto muro, tã latum ſibi ingreſſum panderent, quo totus exercitus æquato iunctoque latere ſe ſimul immergeret. Igitur vbique mors, vbique luctus erat. Roma contremuit, dum impulſa turrium altitudo corruit. Fugit Apoſtolicus, & qui omnes in periculum impulerat, omnes in periculo deſeruit. Tandem Romam præſumptionis ſuę pœnituit, & quæ prius meruiſſe poterat, vt à Rege donis honoraretur, nunc ingenti pecunia apud Regem vix obtinuit, ne tota ſubuerteretur. Mox ſedatis omnibus, Rex cauſam cur veniſſet, in publicum protulit, quod de Apoſtolico crimen accepiſſet, retulit: multis hoc ira factum confeſſis, Clemẽtem Papam ad electionem omnium inſtituit: à quo ipſe communi omniũ fauore conſecratus Imperator, & Patricius factus, Romæ ſe per aliquod tempus, dum omnia in ſolidam reformaret concordiam, continuit.

Nec prætereundum, quod & relatio fidelium perſonarum in Teutonicas oras diffamauit, & ipſa Roma aſſerit. Imperator conſueuerat quoddam oratorium orationis cauſſa frequentare, & nullum diem, quin

veniret, prætermittere. Elegerat autem ſibi in eodem auditorio locum orationi familiarem, vbi tanto intentius, quanto ſecretius orationi vacaret. Hanc eius conſuetudinem dum quidam profanæ mentis attenderet, ſeu propria ſeu potius aliena inſtimulatus nequitia, grande ſaxum ſuper trabem ad feriendum deſuper caput Imperatoris poſuit, ſublataq; ia de laqueari tabula, quæ caput Imperatoris recta deſpiciebat, mittendo pōderi foramen aperuit, demiſſo tunc ſæpe explorans, ne ſaxum in cadendo falleret. Poſtquam ſatis exploratum eſt, miniſter doli ſurſum in nocte ſcandens, deſuper obſeruabat, dum Imperator ſtaret ad orandum in loco quo conſueuerat. Tamen ille auidus alieni exitii, ſed neſcius ſui, cùm pondus in caput Imperatoris libraret (Imperator autem parū ſe de loco mouerat) cum pondere infelix ipſe pondus illæſo Imperatore cecidit. Per totam Romam citò res innotuit, & plebs, quæ non facilè ſedari poteſt, dū mota fuerit, inuito Imperatore, ſemianime corpus per rupes per ſaxa tractum, in fruſtra diſcerpſit. Tum verò cuncti rem ſigno non euentui aſſignantes, fide & animis Imperatori deuinctiores facti ſunt: & inimicum conſilium non ſolùm illi fideles firmauit, ſed & multos ex inimicis fideles fecit: Sicq; dum nocere ſtuduit, profuit.

Deniq; Imperator omnibus Romę compoſitis, impoſitoq; vrbi prędidio, ne ei fidem mutaret, nouæ dignitatis apicem gerens, in Teutonicum regnum reuerſus eſt. Sed nulla fortuna longa eſt. Nam hi, quos Imperator Romæ præſidio impoſuerat, ægritudine correpti, quam & locus & tēpus intulerat erat enim æſtas ne vno quidem ſuperſtite mortui ſunt. Tunc Roma iugo præſidii ſublato, compos arbitrii ſui facta ad ingenium rediit, & reſumptis aduerſus Imperatorem armis, pulſo Apoſtolico alium conſtituit. Nam ille prior Gregorius à vita diſceſſerat. Quod vbi Imperatori compertum eſſet, iterum aduerſus Romam exercitum promouit. Sed in Italiam veniens, cum legati à Roma pactum pacis ferentes occurrerēt, & cùm inimici moliminis fama ſequeretur, relicto in Italia filio Conrado, iam tum regni ſui hærede deſignato, regreſſus eſt, ſcilicet qui ſe graſſanti Mathildi, & pæne totam Italiam ſibi vendicanti, opponeret, & regnum, quod futurum erat ſuum, de manu fœminæ tolleret. Quid facient inimici, cum inſurgant in parentes ipſi filii? vnde ſecuritatem ſibi quis promittat, cum nec ab eo tutus ſit, quem genuit? Ceſſent iam connubia: nemo ſibi optet hæredem: hæres tuus erit hoſtis tuus. Nam non ſolùm te domo tua prædiisq; ſpoliat, ſed & vita ſpoliare feſtinat. Filius Imperatoris, quem in Italia relictum à patre, & quam ob cauſam relictū diximus, à Mathilde perſuaſus, quem enim aſtutia fœminea non ſubuertat, aut decipiat? iunctus inimicis patris, coronam ſibi impoſuit, regnum inuaſit, profanauit ius, & ordinem confudit, impugnauit naturam, quærebat patris ſanguinem:

quia

quia non niſi ſanguine patris regnare potuiſſet. Quod vbi ad hoſtes Imperatoris currens fama pertulit, exultabant, plaudebant, cantabant, laudabant factum filii, præcipuè fœminam ducem facti. Mittebant properè legatos, qui ſtimulum animo noui Regis adijcerent, & adderent oleum camino, qui per ſe, ſed contra ſe fidem & opem perpetuam iurarent. Quanquam dudum ſe tam filio quam patri nunquam obtemperaturos coniuraſſent. Imperator autem ad hanc famam tametſi intus doluit, in grauitate tamen ſua ſe foris tenuit: & non ſuam ſed filii fortunam conqueſtus eſt. Cùm autem eum ab incepto reuocare non poſſet, non tã ſuam iniuriam, quàm exemplũ iniuriæ per vltionem tollere quærens, filium exhæredare, & fratrem eius Henricum adhuc puerum in regnum promouere cogitabat. Igitur multis Procerũ conuentibus habitis, Imperator ſuper filio ſuo Conrado cõqueſtus eſt: quia additus hoſtibus, regnum inuaſiſſet, & quòd patrem non ſolùm regno ſed & vita priuare conaretur: iniuriam ſuam publicam eſſe debere, vel ſi nullum ea moueret, ſaltem hoc Reip. cauſa præſtarent, vt per vim neminem & ſcelus regnare paterentur: tranſferrent potius electionẽ in minorem filium ſuum, quàm iure maior amiſiſſet. Plærique contrà nitebantur, magis vtentes ingenio quàm iuſto & vero. Multi autem publico bono fauentes, ſententiæ votoq; Imperatoris concordabant. Tandem omnibus in vnam ſententiam coeuntibus, & concordi fauore approbantibus, Imperator minorẽ filium, inuaſore prius ex decreto curiæ diiudicato, hæredem regni ſui conſtituit: à quo, ne & ipſe abiret in viam fratris ſui, iuſiurandum accepit. videlicet ne vnquam ſe vel de regno, vel de prædiis patris eo viuente niſi fortè ex cõſenſu ipſius intromitteret. Iam tũ murmur & metus erat, inter duos fratres inteſtina bella fore, magnamq; regni cladem futuram. Sed qui omnia diſpenſat, hunc metum letho maioris filii ſuſtulit, & vt regnum in vnam concordiam redire poſſet, occaſionem dedit.

Quibus ita tranſactis, hoſtes Imperatoris detruncato toties capite non habentes cui adhærerent, pactione ſubacti, quod optimũ erat, in pacẽ bella, in domeſticam ſecuritatem caſtra conuerterunt. Igitur vt vbiq; pax & tranquillitas eſſet, conuocatis ad curiã Primatibus, pacẽ per totum regnum ſub iuramento firmari fecit. Et ad inhibenda mala quę fiebant, grauem pœnã in trãſgreſſores decreuit. Quod quidem pacis decretũ quantũ miſeris & bonis profuit, tantũ peruerſis & potentibus nocuit: illis copiã, iſtis egeſtatem & famem intulit. Nam qui in milites bona ſua diſtraxerãt, vt multo milite ſtipati procederent, & aliis armorum copia longè præſtarent, hi dum ſibi licentia rapinarum erepta eſt quod pace illorum dictũ ſit egeſtate laborabant, cellaria eorum penuria & fames poſſidebat. Qui nuper ſpumeo ferebatur equo, contentus eſſe cœpit vel ruſtico iumento.

Qui nuper non aliam veſtem quærebat, niſi quæ rubeo murice tincta arderet, bene ſecum actum aiebat, ſi nunc veſtem quam natura ſuo colore tinxiſſet, haberet. Gaudebat aurum non ſe iam in luto calcari, dum ferreis calcaribus inopia cogeret vti. Denique quicquid vanitatis, quicquid ſuperfluitatis corrupti mores intulerant, totum penuria magiſtra reſecabat. Oppida in ripis poſita, quibus præda nauium victum præbebat, nauta ſecurus, eſuriente oppiduli Præſide, præteribat. Mira res, nec minus ridicula. Alii iniurias ſuas iniuriis vindicant, Imperator ſuas pace vindicabat.

Cum autem Domini cum ſatellitibus ſuis per aliquot annos hac lege ſtringerentur anxii, quòd non liceret eis vti libertate peruerſitatis ſuæ, iterum aduerſus Imperatorem murmur mouebant, iterum ſuper eius factis ſiniſtrum rumorem ſeminabant. Quid illud (rogo) eſt, quod adminiſtri? Nempe hoc erat, quod ſcelera prohibebat, quod pacem & iuſtitiam reuocabat, quod iam latro viam non obſedit, quod ſylua ſuas inſidias non occultauit, quod nautis mercatoribuſque liberum erat ſuam ire viam, quod vetitis rapinis raptor eſuriebat. Cur, obſecro, vobis non aliunde niſi ex rapto viuere placet? Reddite agris, quos ex agro depuliſtis armis: coæquate numerum ſatellitum ad menſuram facultatum, recolligite prædia veſtra, quæ ſtultè ſparſiſtis, vt multos armatos haberetis, & redundabunt omnibus bonis horrea & cellaria veſtra: nec erit amplius neceſſe aliena tollere, cùm quilibet ex proprio poſſit abundare. Sic fit, vt nec Imperator crimine denotetur, nec bellum in regno moueatur. Sic fit, vt & corpori ſatisfacere habeatis, & animas veſtras (quod fœliciſſimum eſt) ſaluetis. Sed nihil ago, aſinum ad lyram voco: Conſuetudo mala aut nũquam aut vix tollitur. Igitur aſſueti rapinis, vt occaſionem repetendæ conſuetudini inuenirent, mouendis iterum bellis animum intendebant, iterum æmulum Imperatoris reperire quærebant. Ad quam rem filium eius maximè idoneum exiſtimabant. Itaque vt ſuggeſtioni locum inuenirent, quæ prima decipiendi lenocinia erant, frequenter eum venatum ſecum abducebant, conuiuiorum illecebris ineſcabant, iocis in diſſolutionem animi mulcebant, & ad pleraque facienda, quæ adoleſcentia ſuadet, ſecum trahebant. Denique vt fit inter adoleſcentes, quodam ſodalitatis glutino vincti ſunt, vt etiam fidem dextramque mutuis ſacramentis darẽt. Cum ergo eum multis dolis irretitum decipi poſſe conſiderarent, quadã die inter alia tanquam ex obliquo patrem eius in mentionem adducebãt: ſe mirari, quod tam durum patrem pati poſſet: nihil eum à ſeruo differre, cùm omnia quæ ſerui ſunt, toleraret: patrem eius ſenem eſſe, & moderandis regni habenis inualidum: ſi inueſtituram regni vſque ad obitum eius differret, haud dubium quin alter illud ſibi præriperet: illũ multos fauto-

res

res habiturum propter inuidiam & odium patris ſui: ſe autem omnium vota in ſe transferre, ſi non cunctaretur ſuſcepti regni gubernacula poſſidere, maximè cùm patrem eius excōmunicatum & Eccleſia dudum reiecerit, & Proceres regni reprobauerint. Nec ſibi obſeruandum, quod incautè iurauerit, imò tum demum ſe ſanctificaſſe, ſi iuramentum excommunicato iuratum irritum faceret. Pater verò de filio nihil mali ſuſpicatus, familiaritatē eius cum maioribus regni probauit, ſperans eos ſibi poſtmodum tanto fidelius & validius auxilium ad obtinēdum regnū laturos, quanto prius inuicem in amore magis coaluiſſent. Quid multa? ſtatim illectus & abſtractus à concupiſcentia, malignæ ſuggeſtioni (vt ſemper ſeductilis eſt adoleſcentia) nec voto defuit nec facto. Igitur filius Imperatoris obſeruans tempus recedendi à patre, quando id maximo patris incommodo fieret, euntem illum cum exercitu contra quoſdam Saxonum rebelles, qui per legatos obuiam Imperatori miſſos pactioni inſiſtebant, repentè abſtractis ab eo multis, deſeruit, procul dubio deſerendus ab iis, qui ſibi, vt deſertor fieret, perſuaſerunt. Miſſis Imperator poſt eū legatis, tam lacrymis quàm mandatis reuocauit, obteſtans eum, ne ſenem patrem cōtriſtaret: imò ne patrem omnium offenderet, ne ſe ſputis hominum exponeret, ne ſe fabulam mūdo faceret. Inſuper meminiſſet, qua ſe ſibi cautione obligaſſet: hoſtes eſſe non amicos, inſidiatores non conſultores, qui ſibi talia ſuggeſſiſſent. Ille prorſus abnuit, & ſe non vlterius ſecum patrem habiturum, quia excommunicatus eſſet, aſſeruit. Ita ſub ſpecie cauſſæ Dei ſuam cauſam egit. Illico Bauariam, Sueuiam, Saxoniam percurrit, proceres conuenit, attraxit omnes (vt ſunt ingenia nouarum rerū cupida) & ſubintrauit in regiam poteſtatem, tanquam ſepeliiſſet patrem. Mox caſtellum Norinberch minax obſedit, vbi quanta virtute pugnatū ſit, clades vtriuſq; partis argumento fuit. Sed obſeſſis quanto minus ſpei, tanto plus animi inerat: & niſi Imperator ſceleri parcens, caſtellum tradere præcepiſſet, adhuc ibi caſſa obſidione laboraret, excepto ſi ſola fames, quæ cuncta expugnat, illud non expugnaret. Ecce quanta pietas patris! Reddidit contra filii factum paternitatis affectum: non attendit iniuriam ſed naturam: maluit oppidum tradi, quàm filii diſcrimine liberari: maluit eius iniurias tolerare, quàm vindicare. Igitur oppidani oblata qualem vellent pactione, oppidum tradiderunt: dimiſſoque exercitu, Rex Ratisbonam ſe contulit, vt eam, dum adhuc ancipiti penderet animo, ſtabilem ſibi fixaque fide immobilem faceret. Quod vbi comperit Imperator (ſedit enim tunc in vrbe Wirtziburgenſi) reputans filium vel in itinere vel in vrbe comprehendi poſſe, tam præcipiti tamque tacito curſu veſtigia eius ſequebatur, vt iter eius non antè, donec modica turba ſuorum, tranſito Danubio, ad vrbem immiſſis equis ruerent, præſciretur. Obſtupefactus filius

ad tam ſubitam & inopinatam rem, ex vrbe profugit. Cur fugis non fugiendum? cur fugis patrem tuum? ſequitur te, non perſequitur: ſequitur, inquam, non vt hoſtis, ſed vt pater: non vt perdat, ſed vt ſeruet: ſequitur vt turbatam ex te Rempublicam in quietum ſtatum reſtituat, & tuis rebus in futurum proſpiciat. Miſſis illico Rex nunciis per Bauariam & Sueuiam, ſparſum exercitum recolligit. Quæ res Imperatorem coegit, vt & ipſe exercitum cogeret. Igitur exercitus vterque ad fluuium, cui Regino nomen, ſe ſibi oppoſuit: hinc pater, inde filius: hinc pietas, inde furor conſedit. Cumque potentiores vtriuſque partis, tanquam tanti diſſidii mediatores conuenirent, qui ex parte Imperatoris erant, perſuaſibilibus illecti verbis, & multis magniſque pollicitationibus attracti, erga Imperatorem in fide frigebant: & niſi domeſticam fraudem præſenſiſſet, ſolus cum paucis periculo relictus eſſet. Igitur quod faciendum fuit, ſceleri fortunæq; cedendum putauit, & ad ſimilitudinem Dauid, ne filius parricida fieret, fugit. Quàm mirabiliter gratia Dei operatur? quàm euidenti ſigno nos docet, ſi doceri vellemus, ſi cæcum cor non haberemus? Cogitans Imperator, quòd inimici ſui via, qua venerat, perſequerentur eum,

Dux Boiemiæ.

ad Ducem Bohemiæ diuertit, qui quamuis nuper eum in arcto non bene reliquiſſet, cum magno tamen honore ſuſcepit, & vſque in Saxoniam deduxit: vbi quamuis infeſtos & fortes inimicos haberet, per eos tamen, & ab eis vſque ad Rhenum honorificè deductus eſt. Vnde hoc? niſi quòd manus Domini erat cum eo, & inuiſibilem ducem habebat, qui eum ſecurum per tela, per hoſtes ducebat? Hoc miraculo monitus es, ô fili Imperatoris, ſi moneri poſſes, vt diſceres venerari patrem tuum, non perſequi, quem venerati ſunt, cùm in manus eorum veniſſet, etiam inimici. Sed duriùs moneberis, cùm ex hac tam leni admonitione nō corrigaris. Cùm autem Imperatoris fuga cognita eſſet, euentus ille multos ab eo ſeduxit, multumq; rebus filii ſui accedere, ſuis autem decedere fecit.

Continuò Rex vt fauentem ſibi fortunam vrgeret, curiam Moguntinam ad natalem Domini indixit, inuitauit Proceres, accerſiuit multos, vt cunctis innoteſceret, quia dominus rerum eſſe vellet. Ad quam curiam etiam Imperator, conuocatis neceſſariis ſuis, venire diſpoſuit, volens in ratione ponere, rectè ne ſecum an ſecus actum eſſet. Quod cùm agnouiſſent aduerſarii eius, metuentes ſibi & cauſæ ſuæ, ſi veniret ille, tam armatus multitudine, quàm ratione, hanc fraudem Regi ſuggerebant, vt obuius patri ſumpto valde pænitentis vultu culpam fateretur, & gratiam expeteret: dolere ſe, quòd malignæ ſuggeſtioni conſenſiſſet, paratum ſe ad omnem ſatisfactionem, dum gratiam inueniret. Et ſi ſic occaſionem fraudis inuenire poſſet, vteretur illa: ſin autem, fraus ipſa pro fide, ſimulatio teneretur pro veritate. Hac inſtructus arte cùm veniſſet ad patrem, pater credu-

credulus verbis & lachrymis filii, irruit ſuper collum eius, flens & deoſculans eum, grauiſus inſtar illius Euangelici patris, reuixiſſe filium, qui mortuus erat, & inuentum, qui perierat. Quid multa? condonauit filio tam pœnam quàm culpam: & hoc fuit illi iniuriam filii vindicaſſe, paterna lenitate filium corripuiſſe, iuxta illud Comici: *Pro magno peccato filii, paululum ſupplicij ſatis eſt patri.* Poſt hæc patrem ſicut ficta pœnitudine, ſic & conſilio fefellit, ſuggerens ei, quemadmodum ſibi ſuggeſtum fuerat, vt dimiſſa tanta multitudine, ad curiam ambo mediocri copia venirent: nihil eſſe, cùm ipſi coiiſſent in concordiá, quod illi reſiſteret: vaſtari omnia, ſi pergerent ea copia. Placuit conſilium patri: bonum quidem, ſi fraudulentum non fuiſſet. Dimiſſaque multitudine, non plus quàm trecentis viris ad curiam filio comite pergebat. Ventum eſt ad nocturnam manſionem: ibi ſe filius obſequio patris totum impendebat, ibi ſe pater cum filio mirum in modum per totam illam noctem oblectabat, colloquebatur, colludebat, amplexabatur, oſculabatur, auidus recõpenſare damnũ oblectationis diu intermiſſæ: ſed neſcius illam oblectationis noctẽ vltimã eſſe. Mirũ, fraudẽ vimq́ tam ordinatã fortunã habuiſſe. Poſtera namq; die cũ appropinquarẽt Moguntiæ, venit nuncius ſubornatus qui diceret, Bauaros & Sueuos cũ ingenti multitudine Moguntiã veniſſe. Tũc filius ſuggeſſit Imperatori, nõ eſſe tutũ venire in medios hoſtes, niſi prætẽtatis eorũ animis: audaciã hominũ nullis regi frenis: diuerteret potius ad caſtellũ, quod iuxtà erat, dum ipſe cõueniret eos, & à ſententia incœpti deduceret, & ad eũ ob requirendã eius gratiã, ſecum adduceret. Fecit Imperator vti filius ſuggeſſerat, diuertit ad caſtellum, non cernens laqueum doli, quem texerat pulchra ſpecies mendacis fidei. Cùm autem Imperator cum paucis intraſſet, occluſa porta, fidelibus eius aditus negabatur, detectaq́; fraude, qui receptus eſt vt Dominus, tentus eſt ibi vt captiuus. Itaque appoſitis patri cuſtodibus, cum hoc fraudis triumpho ad Moguntinam curiam reuerſus filius, tanquam rem virtutis egiſſet, cum magna iactantia retulit, quo ingenio patrem comprehendiſſet. Tum verò curia plauſu lætitiaque reſonabat: & nefas iuſticiæ fraudem virtuti aſcribebant. Statim miſſo legato, patri mandauit, vt, ſi vitam ſeruare vellet, abſque mora ſibi crucem, coronam & lanceam, cæteraq́ue regalia tranſmitteret: & munitiones, quas firmiſſimas tenebat, in manum eius transferret. Nec ille cunctabatur omnia quæ iuſſus eſt facere, nec Imperium pluris habebat quàm ſe. Sed non in hoc ſatis feciſſe videbatur, niſi & ipſe coràm veniret, & in conſpectu omnium Imperio renunciaret. Venit ergo non ſuæ poteſtatis, ſed in comprehenſione adductus: ſolus coram eis, qui dudum coram ſe ſteterant, ſtetit: nec orationis libertatem habens, vt captiui fortuna poſtulabat, loquebatur. Inquiſitus de ſpõtanea

Imperii renuntiatione, non quod voluntas habuit, ſed quod neceſſitas coëgit, reſpondit: ſe videlicet Imperio renunciare, non vi coactum ſed propria volũtate inductum, ſibi iam defeciſſe vires ad moderandas regni habenas, non ſe eius iam cupiditate teneri, quod longo vſu didiciſſet, habere plus moleſtiæ quam gloriæ: tempus eſſe, vt honore cum onere depoſito, prouideret animæ ſuæ: tantùm filius caueret, ne quid tale faceret in ſe, quod indignum eſſet, & illum facere & ſe pati. Multos & oratio Imperatoris & fortuna ad gemitus & lachrymas cõmouit: filium autem ad miſerationem nec ipſa natura mouere potuit. Et cùm caderet ad pedes filii, orans, vt recogitaret in ſe ſaltem ius naturæ, nec vultum nec animam ad patrem reflexit: cũ ipſe potius ad patris pedes aduolui debuiſſet, eò quod illi regnum cuius hæres ab ipſo deſignatus fuerat, impatiens moræ, præripuiſſet. Præterea veniã precabatur ab omnibus, quos vnquã iniuſtè læſiſſet. Sed & pedib. Apoſtolici legati aduoluitur, orans & obſecrans, vt ſe à banno ſolueret, & cõmunioni Eccleſię redderet. Laici miſericordia moti, veniã dabant. Legatus autẽ domini Apoſtolici abſolutionẽ negabat, aſſerens non hoc ſuæ poteſtatis eſſe: oportere ab ipſo Apoſtolico abſolutionis gratiã eum expectare. Quid multa? abrenunciata Imperiali dignitate priuatus diſceſſit, & ad quandã ciuitatẽ, quam filius victui illius permiſerat, receſſit. Quàm impotens potentia mundi, quàm inſtabilis! Sed nec potentia dicenda eſt, quæ ad omnia quæ vult efficax non eſt, & quam quiſ aſſequitur, amittere poteſt.

His ita tranſactis, finitaque curia, Rex ſuperiores Rheni regiones & vrbes pertranſiit, &, vt res poſtulabat, hos beneficio, illos iniuria ſibi ſubiecit. Cũ aũt intraſſet Alſatia, ibi fortuna eius aliquantulũ hæſit, ibi pugnã tã infelici euentu quàm imprudẽti geſſit incepto. Nã cũ in villa Rufach, q̃ multitudine prę ualet & armis, ſatellites eius ſuperbè graſſarẽtur, frequẽtia ciuium iniuriam prohibebat. nec enim dũ iniuria modum excederet, patiens eſſe poterat. Audito tumultu, rex properabat, non vt iniuriam prohiberet, ſed iuuaret; non vt pugnã ſedaret, ſed amplius cõmoueret. Quæ res totius villæ turbã exciuit: ruit irreuocabile vulgus, fœmina cum viro, ſeruus cũ domino, ignauus cũ forti: & vt plærunq; fit, animum iniuria miniſtrauit. Incepta pugna, incepta eſt fuga. Nã qui regiæ partis erant, cum viderent impetum furentis turbæ, & rem in arcto ſitam, conſiderantes in virtute ſua cladem, in ſola fuga ſalutem, qui poterant fuga vitã ſeruabãt. O infelicẽ euentum, ô dedecus regni! fugiente rege, regalia inſignia vulgi præda facta ſunt. Reſipiſce tandẽ Rex bone, reſipiſce, & ſupernã irã in hac ſorte tua recognoſce. Iudiciũ irę Dei eſt, vt fugeres, qui patrẽ fugaſti: & inſignia perderes, quæ patri abſtuliſti. Sed his poſtea receptis, interueniente pacto pacis & gratia venię, Regẽ ſententiã mutare fecit altũ vulnus iniurię,

vt maiori robore collecto, villam incendio prædaque vaſtaret, & in homines loci illius indiſcreta cæde ſæuiret. Sed quod in ſe fortuna tantum auſa eſt, ex patris conſilio prodiſſe ſuſpicatus, nouas iniuriarũ cogitationes in eum cogitare cœpit: & ne ſibi eſſet obſtaculi materia, vel ad comprehenſionem eius, vel ad expulſionem animum intendit. Itaq; Leodii, vbi eum fidem & fortunæ ſuæ receptaculum inueniſſe audierat, Paſcha ſibi celebrandum ſtatuit, vt & ipſum, ſi fieri poſſet, comprehenderet, & ab Epiſcopo, qui ſui honoris æmulum recepiſſet, iniuriam expoſtularet. Cumque pater audiſſet, quòd filius Leodii Paſcha celebrandum ſtatuiſſet, legationem ad eum in hunc modum direxit: *Si interrogem te, fili dulciſſime, traditio hominum an mandatum Dei præſtantius, magiſque tenendum ſit; reſpondebis, niſi à vero deductus ſis, ſimilem eſſe iumentis, qui cœleſtia terrenis, humanis diuina non præferat. Cur ergo magis audis eos, qui tibi ſuggerunt, perſequere patrem tuum, quàm verbum ipſius Dei, honora patrem tuum? Iſti te decipiunt, non inſtruunt: iſti honori tuo non prouident, ſed inuident: iſti ſub ſpecie fidei, perfidiæ laqueos nectunt: non aliter peruenire potuerunt ad deſtructionem honoris tui, niſi per deſtructionem noſtri. Fuerit ſanè, vt peccatis meis exigentibus (quæ ſententia aduerſariorum meorum eſt) abiecerit me Deus, ne regnem: attamen tuum non erat, in abiectionem meam operam dediſſe, & regnum quod tibi paraueram, mihi præripuiſſe. Barbara regna tam inhumanum facinus damnant ac deuouent: ipſi Pagani abhorrent, & qui Deum neſciunt, quid in diligendis hominibus naturæ debeant, recognoſcũt. Sed quid mirum, ſi maligna ſurreptio ſeductilẽ & immaturam ætatem decepit, cùm etiam ſenes & fixum animi ſtatum ad malum mala cõſilia nonnunquam inflectant? Fortuna mea alieni potius, quàm tui ſceleris eſt. Nã tu in manibus ſuadentium eras, non ille in tuis. Si autem iniuriam addideris, non iam excuſari poteris, cùm & factam crimen eſſe ſcias, & infectã non facere queas. Audiui enim, quòd Paſcha Leodii celebrandum decreueris. Quo in loco fides & pietas Epiſcopi me recepit, cùm non eſſet, qui vel beneficiorum noſtrorum recordaretur, vel fortunæ compateretur: cuius profectò beneficiis in me te decet regia liberalitate reſpondere: tantoque certior de eius fide poteris eſſe, quanto fidelius erga nos probatur egiſſe. Hic, niſi te fortè domo receperit, me ſecu in feſtiuitate Paſchali retinendum decreuit. At dicis, dignum & conueniens eſſe, vt ea feſtiuitas nos iungat, potiùs quam diuidat: te velle, te cupere, vt ibi tecum agam dies Paſchalis lætitiæ. Quod quidem & ego admodùm cuperem, ſi non eſſet, quod timerem. Neque enim non poſſum non timere eos, quos mihi vitam permiſiſſe pœnitet, dum in manibus eorũ mors & vita fuiſſet. Omnia mihi ſuſpecta ſunt; omnia timẽda ſunt, maxime in turba, vbi tanto difficilior eſt periculi cautio, quanto maior ſceleris occaſio. Inde eſt, quod ex medio eorum, qui me oderunt, longè receſſi, & in extremis regni tui finibus me contraxi, vt vel ſeceſſu loci tutus ſim, vel ſi fortuna mea poſtulauerit extraneam humanitatem expetere, cum regno tuo cedere poſſim. Precor*

Hoſtilis conatus aduerſus patrem.

Henrici patris ad filium legatio.

ergo vt cauſſa patris tui Paſchalem curiam alibi diſponas, & in domo eius, qui me humanitatis gratia recepit, cùm non liceat Imperatorē, ſaltem hoſpitem eſſe ſinas, ne vel in meum ludibrium, vel in tuum opprobrium narretur, quòd in ſolennitate Dominicæ Reſurrectionis incerta hoſpitia fortuna mea quærere cogatur. Si feceris quod poſtulo, maximas grates habeo: ſin autem malo villicus eſſe in externis regnis, quam ludibrio haberi in regnis quondã meis. Hanc legationem patris aure ſurda audiuit filius, nec à ſententia ſua deduci potuit. Quamobrem

Leodiẽſis & Henrici Limburg. fides.

cùm iam inſtãte Paſcha pater recedere vellet, Epiſcopus & Henricus Dux (qui & ipſe ab Epiſcopo fuerat inuitatus) eum recedere prohibebãt: non ſe poſſe pati, vt in tãta feſtiuitate è tectis hominũ ſyluas peteret latebraſq; ferarũ: illum quidem abſque cauſa deſtitutum Imperio, ſed non amicorũ obſequio: ſi pace frui permitterentur, nihil ſe magis quàm pacem velle: ſin autem res armis agenda ſit, arma ſibi non defore. Ille verò ne eis materia cladis eſſet, cedere quam manere vtilius aſſerens, tandem eis cùm importunius inſtarent, cõſenſit, & vt poſtulabãt manſit. Iamq; multus equitatus faciẽ Regis longè præcedens ad pontẽ fluuii, qui vocatur Moſa, venerat,

Henri. Limburg. F. ad pugnam ſe comparat.

& alterius ripæ crepidinem filius prædicti Ducis cum paucis occupat. Nã turbam armatorũ non lõgè per opportuna loca in inſidiis locauerat. Qui vt pugnã prouocaret, nunc equum in rectam curſus lineam immiſit, nunc in orbes flexit & reflexit, & ſi pares numero cõfligere ſecum auderent, inquiſiuit. Nec mora, tranſierũt ad eos totidem ex parte Regis, mixtiq; inter ſe vario reflexu, nunc pugnam inferebant, nunc fugam agitabant. Interim vnus & alter tranſito ponte ſociorum numerũ latenter auxit, & rupto certaminis pacto, ex æquali inæqualem fecit. Quod videns filius Ducis terga cùm ſuis vertit, non tam vt fugeret; quàm vt falleret: nec tam vt fugiens periculum vitaret, quàm vt ſequentes in periculũ deduceret. Hi autẽ, qui ex aduerſa ripa erãt, viſa fuga, præcipiti curſu pontẽ tranſeuntes fugientes perſequebantur, ignari futuræ ſortis & fraudis, quæ latebat. Poſtquam enim ventũ eſt ad locũ, vbi diſpoſitæ fuerant inſidiæ, exurgentes de inſidiis, impetu magno in perſequentes ferebantur. Illi autem inopino territi periculo metuq; turbante, nil rationis in armis habentes, in fugam ſe retorſerunt. Sed quid profuit auertiſſe pectora, & vulneribus terga dediſſe? Itaq; multi capti, multi truncati, multi occiſi ſunt: victorque cruentus non alium modum ſceleris habebat, niſi quem faſtidium faciebat. Ad pontem verò vbi fugax multitudo ſe coarctauerat, tanto plus ſceleris impia manus peregit, quanto minus conſtipata turba ſe mouere potuit. Sed multò plures fluuius abſorbuit, quàm enſis hauſit. Nã cùm hoſtis à tergo premeret, impellente metu ſe in fluuium præcipitabãt, & attoniti confuſiq; de morte in mortem ruebant. Erat ibi cernere & aliam miſeriam vel maximam, cùm pons multitudine prægrauatus repentè corruit, & fluuius homines

equoſq;

equoſque pariter inuoluit. Nulli locus erat euadendi; nulli profuit ingenium natandi. Nam aut armorum pondere aut inhærentium connexione fatigatus, in profundũ trahebatur. Quod malum vt ſceleſtius eſſet, in ipſa die Paraſceue contigit, creuitq; magnitudo ſceleris ex reuerentia tẽporis. His ita tranſactis, Rex iter Coloniã conuertit. Sed cùm illa quoq; aditum ſibi præcluſiſſet, in villa, quæ dicitur Bonna, Dominica tantũ Paſchæ peracta, Moguntiam feſtinus rediit. Et ſparſis vbiq; legatis, querimoniam ad proceres in hunc modum direxit: *Si per inuaſionem regnum occupaſſem, tamẽ reſiſtentes poteſtati noſtræ retunderem, in quantum poſſem. Nunc autem cùm in ſumpta regni dignitate veſtris paruerim præceptis, auſus eſt quiſpiam impune in publicam contumeliam regnum & nos armis vexare. Cùm enim Leodium iuiſſemus, vbi nobis curia Paſchalis habenda fuerat, ad fluuium Moſam veniſſemus, Epiſcopus Leodienſis & Dux Henricus, de quorum fide & obſequii deuotione multum præſumebamus, nobis latenter inſidias poſuerunt, & noſtros inſcios & ad pugnam imparatos cædebant, capiebant, fugabant. Quæ & quanta clades ibi acciderit, tam pudet referre quam inultum dimittere. Igitur conſtrictus & euentus aſperitate & temporis articulo Coloniam diuerti. Quæ cùm me recipere ſatis ſuperbe refutaret, apud villam Bonnam ſanctum diem Paſcha vtcunque peregi. Cui vnquam regiæ perſonæ tanta contumelia facta eſt? Nec ſolùm me petit hæc contumelia, vos deſpecti eſtis. iſti præſumptores decreta veſtra authoritatem habere nolunt, ſua tantùm ſtatuta firma eſſe volunt: denique in quos totum regni pondus ſe reclinet, habere cupiunt; Regem, quem conſtituiſtis, deſtituere parant, vt nihil eorum quæ vos decerneritis, ratum ſit. Igitur hæc iniuria mea regni potius eſt, quam mea. Nam vnius capitis licet ſummi deiectio, reparabile regni damnum eſt: Principum autem conculcatio, ruina regni eſt. An hæc impune feremus? & ex ignobili patientia noſtra magis tumebit eorum ſuperbia? Abſit, vt qui dicimur inhonorati, dicamur & inulti. Pauca dixiſſe ſat eſt: deſides animi prolixæ cohortationis ſtimulo opus habent: in ſtrenuis cauſa magis adiumentum facit quàm verba. Quia igitur contra tam ſuperbos hoſtes R.P. viribus vtendum eſt, expeditionem vobis & rogando præcipimus & præcipiendo rogamus. & cuius collectioni tempus Kalendas Iulias, locum Wirtziburgenſem vrbem præfinimus.*

Henricus V. ad ordines Imperii querimonia.

Cum ergo audiſſet Henricus Dux & Colonienſes cũ Leodienſibus; quòd ſuper ſe Rex exercitũ ducere vellet, arma parabant, copias colligebãt, vrbe firmabãt, & ad reſiſtendũ pari voto ſtudioq; ſe accingebãt. Sed & Imperatorẽ conſiliis & precibus vrgebant, vt Imperialẽ dignitatẽ, quam non ratione conuictus, ſed vi ferroq; mortem intentante coactus dimiſiſſet, reſumeret, ſe ſibi nec armis defore nec animis: multos illũ in breui fautores habiturũ; quia multi multũ abominarẽtur tã inſolitũ facinus & inhumanũ. Quorũ importunitati hàc ille ratione reniti cœpit: Impoſſibile eſſe amiſſũ imperiũ, armis repetere, quod poſſeſſũ armis retinere nequiuiſſet:

Apparatus aduerſariorum.

Henricus pater nititur imperium repetere.

Eius prudentia & modeſtia.

illud ſibi non eſſe tanti, vt multorum exitio recipiendum exiſtimaret: beatius ſibi & tutius fore, vt priuatus, licet indignè deiectus, viueret. Sic vtrinque data redditaque ratione, cùm inſtare non deſinerent, ne benignitatem circa ſe remoueret à ſe, nec ad integrum conſenſit, nec abnuit, prouidusque futuri, præcipites eorum animos ſpe dubia ſuſpendit. Igitur

Colonia opere munitur. primò Coloniam, quæ primum impetum latura fuerat, vallo turribuſque muniebant, & congeſtis belli ſtipendiis, impoſitoque præſidio periculum ſuum fortibus animis expectabant. Sic & alias vrbes, quas inuadendas credebant, munitione, machinis & robore militum firmabant. Sed & edictum ſub comminatione crudeli vbiq. ſpargebant, vt aduerſus exercitū in magna ſuperbia ſuper ſe venturum parati eſſent, & patriam, libertatem, vitamque defenderent, nec ſinerent vxores ſuas corruptionis ludibrio

Obſidetur ab Henrico F. ſubſterni, vel agros in alienos dominos diſtrahi. Iam Rex Rhenum cum exercitu valido trāſierat, & primò Coloniam, quæ quaſi caput inter alias vrbes eminebat, magno impetu inuaſit, putans ſe ſibi membra facilius ſubiicere poſſe, contrito tam valido capite. Sed res longè præter ſpem euenit. Nam cruenta repulſa retroacti, procul locatis caſtris vrbem obſidione vallabant. Magis autem dixerim obſeſſores ab obſeſſis obſeſſos. Nam præreptis ſibi nauibus, quæ per Rhenum deſcendentes exercitui commeatum portabant, premente fame quaſi quadam obſidione conſtricti laborabant. Interim vt vrbem ab obſidione liberarent, totius patriæ

Henrici patris prudens conſilium. robur vndique coibat. Sed Imperator tam cruentum facinus deteſtatus, pugnam obnixè diſſuadebat: cur eis tantus ardor pellendæ obſidionis ineſſet, quæ non niſi magna ſui clade pelli poſſet: tollerent omnem ſolicitudinem capiendæ vrbis, quæ & ex firmitate murorum & ex forti milite tutiſſima, & omni victus genere eſſet opulentiſſima, accedēte & Rheni beneficio, qui per naues delicias, quas appeterēt, inuito obſeſſore ſubminiſtraret: ſinerent potius eos in cladem ſuam furere, & inexpugnabilem vrbem, vnde vulnera tantùm cæſoſque reportarent, impugnare: ſinerent eos latè vaſtare, dum ruris copia conſumpta, eſurire inciperent: ſinerēt eos graſſari, dum equos vireſque labor eneruaret: fore vt victoria ſibi paruo conſtaret, ſi paululum tolerantia & opportunitate temporis vti voluiſſent. Sic Imperatoris hortatu à pugna reuocati, hoſtiles tantùm excurſus obſeruabant & ignaros loci paſſim cædētes metū hoſti, ne longius euagaretur, incutiebāt. Omnia verò, quę prędixerat Imperator, euenerūt. Quoties enim tentabāt portas infringere, ariete murū perrūpere, tormentis turres deiicere, infecto negotio, vulnera tantum & funera ad caſtra reportabant. Sed neque vlterius progredi latitante in inſidiis hoſte, præſumebant: homines & equi exhauſti tam alimentorum penuria quam laboris improbitate viribus deficiebant. Nam agris in circuitu vaſtatis, nihil repetie-

periebant. Acceſſit his malis etiam morbus, quem fœtor caſtrorum (vt fieri ſolet) aere vitiato cōcitauerat, qui non ſolum vulgus, ſed ipſos Principes aut ægritudine confecit, aut letho rapuit. Huiuſmodi rerum aduerſitate fatigati, quid facturi eſſent, ambigebant, quia volentes mori, occaſionem pugnæ non inueniebāt: aut ſi reditum pararent, certi quòd hoſtis à tergo premeret, exercitum ſuum fuga ſpargendum metuebant.

Qua tempeſtate mentis dum fluctuarent, ſubitò fama veniens, nubila tantæ perturbationis in ſerenum conuertit. Retulit enim, Imperatorem mortis debitum perſoluiſſe. Ad quam famam primò hæſitabant. Sed cùm nuncius extremum munus patris, annulū videlicet & gladium, cum mandatis filio portans veniſſet, tanta lætitia oborta eſt, vt voces gratulantium minimè ſedari poſſent. Sed nō minor luctus circa funus Imperatoris erat: Proceres plangebant, vulgus lamentabatur, vbique gemitus, vbiq; planctus, vbique vox dolentium audiebatur: ad exequias illas viduæ, pupilli, deniq; totius patriæ pauperes conueniunt: deflent ſe orbatos patre, fundunt in corpus lacrymas, deoſculantur largas manus, vix auellebantur ab amplexu extincti corporis, vix illud condendi copia dabatur. Sed nec tumulū deſerebant, ibi vigiles lacrymis & orationibus vacabant, plangendo recitantes, & recitando plangentes, quænam opera miſericordiæ feciſſet in ſe: quanquam mors eius plangenda non fuit, quam bona vita præceſſit, qui fidem rectam, ſpem firmam, compunctionem cordis amaram in extremis ſuis tenuit, quem nec de pudendis admiſſis publicam agere cōfeſſionem puduit, qui tota cordis auiditate Dominici corporis cibū ſumpſit. Fœlix es, Imperator Henrice, qui tales excubias, tales interceſſores tibi paraſti, qui nūc multipliciter auctum de manu Domini recipis, quod in manus pauperū abſcondiſti: turbulentum regnum pro tranquillo, defectiuum pro æterno, terrenum pro cœleſti mutaſti. Nunc demum regnas, nunc diadema portas, quod tibi nec hæres tuus præripiat, nec aduerſarius inuideat. Ergo continendæ ſunt lacrymæ, ſi cōtineri poſſunt: huic tuæ fœlicitati debetur tripudium, non luctus; exultatio, non planctus; voces gratulantium, non dolentium.

Mors.

Luctus funebris.

Poſt hunc rerum euentum hi, qui contra regiam maieſtatem bellum ſuſceperant, mortua ſpe ſua animis & viribus deficiebant, & quod in illo rerū articulo faciendum fuit, ad gratiam Regis deditione, pecunia, quoq; modo quiſque poterat, recurrebant.

Rerum commutatio.

Ecce habes de geſtis, de expenſis in pauperes, de fortuna, de obitu Imperatoris Henrici, quæ ſicut non poterant abſque lacrymis à me ſcribi, ſic non poterunt abſque lacrymis à te legi.

Epilogus.

ff

Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis,

WALTHRAMI NAVMBVRGENSIS EPISCOPI

Tractatus

Scriptus A. D. 1109.

DE INVESTITVRA EPISCOPORVM & Abbatum, pro iuribus Imperatoris & Regum.

contra Paſchalem Papam.

LEo Conſtantini filius imperauit annis quinque in regno Græcorum & Romanorum. Poſt quem vxor eius Hyrene, filia Caiani Auarum (id eſt, Hunorum) Regis, cum filio ſuo Conſtantino imperauit annis decem. Verùm Conſtantinus matrem ſuam Hytenem imperio priuauit, ſolusque annis ſex imperauit. Hyrene autem ſuper erepto ſibi imperio, fœmineo dolore abuſa, Conſtantinum filium ſuum oculis & imperio priuauit, & ſola annis ſex imperauit. Romani autem, qui ab Imperatore Conſtantinopolitano iam animo deſciuerant propter tardum & infructuoſum illius auxilium cōtra Tyrannos, accepta occaſionis opportunitate, quia mulier, excæcato Imperatore Conſtantino filio ſuo, imperabat, a vno omnium conſenſu Carolo Magno Imperatorias laudes acclamauerunt, eumque per manus Leonis Papæ coronauerūt, Cæſarem & Auguſtum appellantes.

a al. vnanimi conſ.

Igitur ex quo Byzantium Thraciæ ciuitas, tertiò à primo Conſtantino in nouam amplificata, & in regiam vrbem eſt exaltata, euolutis annis circiter. CCCCLXVIII. diuiſo à Conſtantinopoli Romano Imperio, Carolus Magnus

136

Magnus Rex Francorum primus imperauit Romanis annos XIIII. Extunc à Græcis in Reges Francorum translata eſt Imperatoria dignitas; & Adrianus Papa, collaudantibus Romanis & plena Synodo, Primatum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Ducum, & Principum acclamante Carolo Magno, eiuſque ſucceſſoribus futuris Imperatoribus, ſub anathemate conceſſit Patriciatum Romanum; & per ſe vel per Nuncios ſuos confirmationem in electione, & in conſecratione Romani Pontificis conceſſit; & inueſtituras Epiſcoporum eis determinauit, vt non conſecretur Epiſcopus, qui per Regem vel Imperatorem non introierit purè & integrè: exceptis, quos Papa Romanus inueſtire & conſecrare debet ex antiquo dono Regum & Imperatorum, cum aliis quæ vocantur regalia, id eſt, à Regibus & Imperatoribus data Pontificibus Romanis in fundis & reditibus. In hac conceſſione continentur regales Abbatiæ & Præpoſituræ. Ex hoc conſtituto Carolus Magnus Aiſtulfum, Deſiderium, alioſque Reges & Tyrannos, bello, cæde, & exilio deleuit, qui fundos & bona Eccleſiæ Romanæ, aliarumque Eccleſiarum inuaſerant, omnia reddens libertati.

Alii Reges & Imperatores, ſucceſſores Caroli Magni, defenſionem Romanæ Eccleſiæ & aliarum Eccleſiarum timore Dei & Charitate ſancti Petri deuotè proſequuti ſunt, inueſtituras Epiſcoporum facientes, eorum conſecrationibus vel per ſe vel per Nuncios ſuos aſſiſtentes, iuxta quod Paulus Apoſtolus ait ad Corinthios; *Non quod primum ſpirituale, ſed quod animale, deinde ſpirituale.* Magnus etiam Gregorius Theodorico & Theodeberto & Brunnihildi ſcribit, vt abſque Symonia inueſtituras Epiſcoporum faciant. Hic etiam primus Gregorius non eſt conſecratus, donec Mauritii Imperatoris interfuit aſſenſus.

Ioannes Papa inueſtituram Leodicenſis Epiſcopatus, quam Carolus Rex fecerat Richario Prumienſi Abbati, planè confirmat, & inuaſionem Hilduuini per Giſilbertum Comitem de Capremonte ſub anathemate damnat.

Papa Leo primo Othoni, aliique plures Pontifices Romani idem confirmauerunt ſub anathemate Regibus & Imperatoribus.

Vnde mirum eſt, imò periculoſum in ſalutem animarum, quod ea, quæ ſancti anteceſſores ex magna neceſſitate & patentiratione ſub anathemate cõfirmauerunt, à tempore Gregorii, qui & Hiltiprandus, ſub abſolutione immutantur.

Qui à primo Conſtantino, quem Silueſter baptizauit, geſta & decreta reuolucrit, patenter inueniet, quòd per Reges & Imperatores, & deuotos Laicos, Romana Eccleſia, aliæque in orbe

terrarum Eccleſiæ, in fundis & mobilibus ditatæ & exaltatæ ſunt, ſibique tutelas & offenſiones contra Tyrannos & raptores retinuerunt, vt gladius Regalis & ſtola Petri ſibi inuicem ſubueniant, quaſi duo Cherubin conuerſis vultibus reſpicientia in propitiatorium.

Romani Pontifices, aliique Præſules, de fundis & rebus per deuotos Laicos & Laicas adquiſitis. & à ſeculari poteſtate confirmatis, ſtruxerunt & ornauerunt eccleſias: & à quibus acceperunt gratiam, non debent eis inferre contumeliam: & ſi de inueſtituris peccauerunt, exemplo primi Gregorii exhibeantur. Quod Paulus dicit; *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.*

Hieronymus in epiſtolis ſuis dicit; *Quadringentos Epiſcopos Imperiales literæ ad Synodum contraxerunt.* In hoc virtus Imperialis egit, quod excommunicatio Pontificis agere non potuit, vt ſine captione ſine damnatione, ſine contumelia, tot Epiſcopi ierint & redierint. Excommunicatio enim quantum intelligitur & timetur, tantum cauendo vitatur: & punitio corporalis in vita vel in membris, in rebus vel in fundis, plures reſipiſcere facit ex iuſtitia Regali.

a al. Omni enim Pôt. *a* Domno autem Pontifici ſummopere cauendum eſt ex medulla Scripturarum, ne quando ille ligat in terris, quæ Deus ſoluat in cœlis: & quando ſoluit in terris, Deus liget in cœlis. Hoc euenit ex illa gloria prælationis, nimiiſque motibus animorum, quando ſuccedentes Pontifices præcedentium Pontificum decreta & excommunicationes immutant & ſoluunt. Vnde cum Dominus Ieſus, ipſa veritas, dicat: *Si malè loquutus ſum, teſtimonium perhibe de malo*: mirum eſt & periculoſum in Chriſti puſillos, quòd antiqua conſtituta ſub anathemate confirmata *b* nouis immutationibus ſoluunt, & inde nolunt reprehendi, obiicientes: *Romana iudicia non ſunt retractanda.* Si Romana iudicia non ſunt retractanda, non videtur puſillis Chriſti canonicum & ſalubre, vt à tempore Gregorii (qui & Hildeprandus) ea ſoluantur, quæ ſub anathemate confirmauerunt Siluester, Leo, Adrianus, Primus Gregorius, Leo, Benedictus, erga reges & Imperatores, de inueſtiendis Epiſcopis per illos; à quibus, & etiam à deuotis Laicis & fœminis, fundi & alia mobilia Eccleſiis *c* Domni in orbe terrarum prouenerunt, ſibique tutelas & defenſiones rerum Eccleſiaſticarum retinuerunt contra tyrannos & raptores. Si in ſucceſſione quiſque ſoluit, quod prædeceſſio ſub anathemate confirmauit: ecce oritur confuſio puſillis Chriſti, cui parti potiùs aſſentiendum ſit antiquæ an nouæ. Pars antiqua in paupertate mediocri & honeſta arguit, obſecrauit in patientia & doctrina, & parcendo iuſtitiæ maiores & inferiores perſonas ad correctionem adduxit. Noua autem pars ex votis fidelium inſoleſcens, ſub ſpecie religionis omnia trahit ad ſe manibus expanſis

b al. ſtatuta.

c al. Omni.

137

expanſis, cum Dominus dicat: *Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris; & Deo, quæ ſunt Dei.* Gregorius, Auguſtinus, Ambroſius, teſtantur, ea quæ ſunt data Eccleſiis à ſeculari poteſtate & confirmata, potius à ſeculari poteſtate retinenda.

Legitur etiam de Epiſcopis Hiſpaniæ, Scotiæ, Angliæ, Vngariæ, quomodo ex antiqua inſtitutione vſque ad modernam nouitatem per Reges introierint cum pace temporalium purè & integrè. Qui pacificè ſollicitus eſt, reuoluat vitas Patrum, & hiſtorias legat, & intelligat. Sed Epiſcopatus, qui ſub Romano degunt Imperio, maioribus fundis & amplioribus vigent iuſticiis: & ideò propter maius ſcandalum à ſtola Petri diſcretiùs tractandi ſunt. quia non omnes ſunt Petrus, qui tenent ſedem Petri: ſicut Scribæ & Phariſæi, qui ſederunt ſuper cathedram Moyſi, non omnes fuerunt Moyſes. Elatio enim ex prælatione, & indiſcretio ex correctione, pariunt ſcandalum in confuſionem: & fit manifeſtè illud, quod Dominus in Euangelio dicit: *Vos Scribæ & Phariſæi circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proſelytum: & cum inueneritis, faciatis filium gehennæ duplo magis quàm vos.*

Longè etiam ante decretum Adriani Papæ, eiuſque ſucceſſorum, Reges, qui non erant vncti, & Maioresdomus, inueſtituras Epiſcoporum fecerunt: ſcilicet Dagobertus, Sigibertus, Theodericus, Hildricus, Pipinus filius Beggæ Maiordomus, Theodebertus. Ab his inthronizati ſunt, Remaclus, Amandus, Audomarus, Autpertus, Eligius, Lampertus, aliique ſanctiſſimi Præſules: cùm Reges iſti in moribus ſuis ſatis fuerint notabiles, & ſolo nomine Regum per Maioresdomus viuebant. Poſtquam autem Romani, ingruentibus vicinis & grauibus bellis, deſciuerunt à Græcis Imperatoribus ex cauſis ſupradictis: Papa Stephanus ob infeſtationē Longobardorum venit Pariſios, & aſſenſu Romanorum & Francorum in Regem & Imperatorem vnxit Pipinum, filium Caroli Martelli, nati ex Alpaide; propter quam ex pellicatu increpatam, Pontifex Lampertus Martyr factus eſt. Vnxit etiam idem Pontifex Stephanus filios eiuſdem Pipini, Carolum, qui agnominatus eſt Magnus, & Carolomannum fratrem eius, confirmans ſtirpem illorum in Regia & in Imperatoria dignitate. Ibi de inueſtiendis Epiſcopis per Reges antiquam conſuetudinem confirmauit.

Ex horum collectione purè & integrè ſeruanda eſt antiqua conſtitutio, ne puſilli Chriſti ſcandalizentur. Nil enim refert, ſiue verbo, ſiue præcepto, ſiue baculo, ſiue alia re, quam in manu tenuerit, inueſtiat aut inthronizet Rex & Imperator Epiſcopum: qui die conſecrationis veniens, annulum & baculum ponit ſuper altare, & in curam paſtoralem ſingula ſuſcipit à ſtola & ab auctoritate ſancti Petri. Sed congruum magis eſt, per

baculum, qui eſt duplex, id eſt temporalis & ſpiritualis. Operarius enim
in ſeminandis ſpiritualibus dignus eſt mercede ſua, non in accipiendis
temporalibus, iuxta quod Paulus ait: *Si ſpiritualia vobis ſeminamus, non eſt
magnum, ſi carnalia* (id eſt temporalia) *à vobis metamus*. Præcedens inue-
ſtitura per Regem in fundis & rebus Eccleſiæ contra tyrannos & rapto-
res, quieta & pacifica reddit omnia.

Sequitur autem cōſecratio, vt bannus Epiſcopalis banno Regali con-
ueniens in communem ſalutem operetur. Et ſi Epiſcopis faciendum eſt
a al. ho- Regibus *a* hominium, & ſacramentum de Regalibus, apertius eſt ante
magium. conſecrationem, cùm Paulus Apoſtolus dicat: *Vnuſquiſque in ſuo ſenſu ab-
undat.* Omnia diuina & eccleſiaſtica per magiſtros eccleſiarum ad pacem
& quietem puſillorum Chriſti tendere debent. Legitur enim in libris Re-
gum & Machabæorum, quòd à Regibus Iudæis & Gentilibus Sacerdotes
inueſtituras acceperunt etiam in Iudaiſmo.

A Petro vſque ad Siluestrum, qui Conſtantinum baptizauit, Impera-
tores Romani erant Gentiles & Chriſtianorum perſecutores: & in fundis
& rebus Eccleſiaſticis pauperes erant Eccleſiæ: & à timoratis Chriſtianis,
qui tunc pauci erant, Romæ & alibi conſtituebantur Epiſcopi. Poſtquam
autem à Silueſtro per Chriſtianos Reges & Imperatores dotatæ, ditatæ,
& exaltatæ ſunt Eccleſiæ in fundis, & aliis mobilibus: & iura ciuitatum
in telonijs, monetis, villicis, & Scabinis, Comitatibus, Aduocatiis, Syno-
dalibus bannis per Reges delegata ſunt Epiſcopis; congruum fuit & con-
ſequēs, vt Rex, qui eſt vnus in populo, & caput populi, inueſtiat & inthro-
nizet Epiſcopum, & contra irruptionem hoſtium ſciat, cui ciuitatem ſuam
credat, cùm ius ſuum in donum illorum tranſtulerit.

Primus Gregorius conqueritur dolendo de quodam Epiſcopo, qui
adeò pauper erat, vt de Epiſcopatu ſuo contra frigus hyemalem veſtem
habere non poſſet. A tali Epiſcopo, forſitan Sancto, non erat Regi ne-
b homa- ceſſarium exigere *b* hominium, ſacramentum, obſides. Ex hoc, prout ſunt
gium. conſuetudines in regnis per orbem terrarum, de Epiſcopis inueſtiendis
ſeruanda ſunt antiqua iura.

Sicut enim Primus Gregorius dicit: *Si voluiſſem*, inquit, *hodie gens
c al. Deū* *Longobardorum nec Regem nec Duces haberet*: *c quia c Dominum timus, in
alicuius ſanguinem me miſcere nolui.* Ita ſucceſſores ipſius Gregorii cauere
d al. va- debent ſcandalum, ne contriſtent *d* nouiter Reges in ſuis antiquis *e* iuri-
niter. bus, per quorū anteceſſores caput & membra exaltata & confirmata ſunt:
e al. mo- ſed iuxta Paulum à Pontifice Romano & Regibus omnia fiant in charita-
ribus. te & humilitate, remotis ſuperbia & contentione. Quapropter apud Pō-
tifices & Reges fiant Eccleſiaſtica purè & integrè, quia Dominus Ieſus di-
cit:

cit: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum* a *lucidum erit*: id eſt, ſi intentio bona eſt, & opus bonum eſt. Si Romani Pontifices intendunt Regibus auferre antiqua iura de inueſtiendis Epiſcopis, timent, dubitant, dolent puſilli Chriſti. Reges enim ſi in Epiſcoporum inueſtituris exceſſerint, poſſunt à timoratis viris & Pontifice Romano argui, & ad rectam correctionis lineam reduci. Si autem in promotione & conſecratione Epiſcoporum Pontifex Romanus exorbitauerit, & ſub verbo ſummæ prælationis ad voluntatem ſuam egerit, non vult vt reprehendatur; cùm Dominus Ieſus ſe reprehẽdi conceſſerit, dicens: *Si malè locutus ſum, teſtimoniũ perhibe de malo*, &c. Iſti autem: *Summus* (inquiunt) *Pontifex à nemine iudicetur.* Et ſi ab illa ſumma auctoritate ſub ſpecie religionis introducuntur perſonæ contra oculos Dei, ecce periculum eſt in capite & in membris: id eſt, qui ſcienter operantur, & ſcienter cooperantur. Vnde Dominus Ieſus hypocriſin, & auaritiam, & cupiditatem Sacerdotum in Euangeliis ſuper omnia arguit, vocans illa *Sepulchra dealbata*; & peccatum mulieris adulteræ miſericorditer ſuſcipit; & tria genera Eunuchorum humanè definit; pro ſe & pro Petro tributum ſoluit; Regibus iubet debita reddi. Petrus, Paulus, aliique in orbe terrarum viri ſanctiſſimi concedunt in ſententiam Domini noſtri Ieſu, qui omnibus dixit: *Beati pacifici, quoniam regnum Dei poſſidebunt.* Sunt autem *pacifici*, qui ex contentione, arrogantia, cupiditate, ex nimiis motibus animorum non mouentur, non adinueniunt commutationes contra antiqua iura propter pacem cõſtituta, maximè propter poteſtates ſuperiores, in quorum pace (iuxta Paulum) tranquillam vitam agere debemus.

a *al. luceſcit* [?] *na.*

Notandum eſt autem Pontificibus Romanis & eorum ciuibus, quando orta fuerat diuiſio in electione Pontificũ, & in communione ciuium, non eſt pax reſtituta niſi per Græcos Imperatores, quandiu Imperium ibi fuit: & per Francos Imperatores, ex quo Imperium Romanorum datum eſt eis. Et quidam Græci Imperatores Chriſtiani quoſdam Romanos Pontifices, viros ſanctiſſimos, vſque ad exilium & mortem immiſericorditer tractauerunt; ſicut legitur de Agapito, & de Ioanne: Imperatores autem ex Francis honeſtè & piè deduxerunt, ſicut legitur de Stephano, & de Leone excæcato.

De diuiſione Cleri & populi in electione Romani Pontificis, *b* compreſſa per Honorium Auguſtum, ex Græcis ita legitur: *Bonifacius* XL. *Romanæ præſedit Eccleſiæ. Contra hunc Bonifacium ordinato Eulalio, & per hoc diſſidente Eccleſia, ambo iuſſu Honorii Auguſti vrbe egrediuntur. & ſic reprobato Eulalio, iuſſu Auguſti Bonifacius, quia prior ordinatus fuerat, Sedi Apoſtolicæ reſtituitur.*

b *al. comprehenſa.*

De diuiſione Romanorum ciuium in electione Pontificum per Imperatores ex Francis adnihilata, ita legitur. Otto Primus Ioannem, quem Adalbertus *a* Papam conſtituerat, iudicio Canonico deponi fecit, & Leonem ordinari fecit. Et iſte Ioannes ſe cum vxore cuiuſdam oblectans, à Diabolo percuſſus eſt, ac ſine viatico mortuus. Poſt reditum Ottonis, Romani ex ambitione quendam Benedictum ſuperpoſuerunt. Imperator rediens, obſeſſa Roma, Romanos cæde & fame adeò afflixit, vt Leonẽ Papam ſe recepturos promitterent, & iurarent. Benedictus reiectus non ſolùm Papatu, ſed etiam Sacerdotio, à Leone exordinatur. Idẽ Benedictus Symoniacè Papatu Romano inuaſo, cùm eſſet rudis literarum, alterum ad vices Eccleſiaſtici officii exequendas, ſecum Papam conſecrari fecit. Quod cùm multis non placeret, tertius ſuperducitur, qui vices duorum expleret Romæ. Vno itaque contra duos, & duobus contra vnum de Papatu altercantibus, Rex Henricus, filius Chonradi, contra eos Romam vadit, & eis Canonica & Imperiali cenſura depoſitis, Suuiggerum Babenbergenſem Epiſcopum Papam fecit, qui & Clemens vocatus eſt, Romanę Eccleſiæ CXLVI. præſedit: & viciſſim ab eo Rex Henricus in Imperatorẽ benedictus eſt, iurantibus Romanis, ſe ſine eius conſenſu, eiuſque ſucceſſorum, nunquam Papam electuros.

a al. Pontificem.

Igitur hæc ſcandala grauia paſtores animarum cauere debent coram *b* Domino ambulantes in vera ſimplicitate, propter Chriſti puſillos. Ex quo cum Imperium Romanorum Carolo Magno acclamatũ eſt, ſunt anni trecenti & nouem. Eſt autem annus præſens MCVIIII. quando vltimum Paſcha fuit ab incarnatione Domini, ſecundum cyclum Dionyſii.

b al. Deo.

* * *

Reueren-

Reuerendorum, Illuſtrium, Generoſorum, ac Nobiliſſimorum,

DECANI ET CONVENTVALIVM PRINCIPALIS ABBATIÆ LAVRISHAMENSIS

Libellus Supplex

Anno 1111.

AD HENRICVM V. IMPERATOREM, CONtra Hildebrandinos Monachos de Hirſaugia, Eccleſiæ & Imperii perturbatores, & pacis publicæ hoſtes.

SVMMO poſt Dominum Regi, pleno meritorum,
Cuius ius latè protenditur Imperiale,
Grex expulſorum de ſede ſua Monachorum,
Quicquid reuerà poterunt oramina crebra.
Plaudentes manibus in laude Dei iubilamus,
Propter & incolumis, quia a redditus es modò nobis,
Spretis & profugis ſpes vnica rebus in arctis.
Vt pullus volucris reſidens nido ſine plumis
Cum dapibus matrem vix expectat redeuntem.
Sic & noſtra tuum ſitientia corda recurſum
Vix expectabant, & ſemper adhuc inhiabant,
De mærore graui ſperantia ſe releuari,
Vnde moleſtamur, lacrymiſque per ora rigamur.
Et quia veniſti, ſaluet te gratia Chriſti;
Hos & conqueſtus noſtros adtende miſertus.
Sunt igitur tecti ſpecie quidam Monachali,
Dicti de milio * Milienſes nomine digno,

a *ab expeditione Romana.*

* *Airſaugienſes Nam milii Germanus no: Æ Hirs.*

Factis ſylueſtres, ſylueſtria corda gerentes.
Qui quaſi Doctores diſcurrunt per regiones,
Simplicium mentes verſutè decipientes.
Hoc autem temerè præſumunt ſchiſma docere,
Quod neque vir nuptus, caſta quoque coniuge functus,
Et nec legitimo mulier ſociata marito,
Coniugium condemnarũt Hildebrandini. Vnquam ſaluentur, niſi primum diſſocientur;
Et quæ poſſideant, diſiuncti, cuncta relinquant.
Hoc quia ſit falſum, legale probat documentum;
Nam quum fecit Adam Deus, vxorem dedit Euam,
Inſtituitque duos velut vno corpore iunctos
Lege maritali, mentiſque fide ſociali,
Ad genus humanum procedere multiplicandum,
Ne fierent in eis defectus poſteritatis,
Dicit & humanæ ſtirpis factor Deus ipſe;
A ſe coniunctum ſolui non poſſe per vllum.
Præceptoque pari mandat ſententia Pauli;
Vt vir ad vxorem ſeruans quem debet amorem,
Chriſtus vt Eccleſiam, ſincere diligat illam;
Ac velut vna caro; maneant in fœdere caro.
Hildebrandinorum hæreſes. Multæ ſunt aliæ nouitates, dogmata, ſectæ,
Dando vel in melle, quas grex docet & colit ille.
Quas, quia ſint vanæ, piget & pudet enumerare,
Quæ rogo de Monachis Milienſibus haud ſtupet auris?
Illorumque loqui cui non ſint facta pudori?
Aut ea quis referens non ſit frontoſus & amens?
Attamen hi tales ſimulant ſe ſpirituales,
Quum tantum viſi mox inclamentur iniqui,
In quem doctorum non eſt deſpectus eorum;
Se præponentes in dogmatibus meliores.
Hi Domini Papæ teſtantur nomen inane,
Inueſtituras damnant. Sceptrigeroque tui faciunt opprobria iuri,
Ac vos iudiciis vſos profitentur iniquis:
** Papã Paſchalem & Imperatorem propter pactum inueſtituram.* * Ambos damnandos & ab Eccleſia remouendos.
Atque (quod eſt grauius, & quod timidè recitamus)
Affirmant cunctis ſibi per famulamina iunctos,
Aut quibus alloquium ſit vel communio tecum,
Torquendos flammis æternæ perditionis
Ne citò pœniteant (Cæſar) tua teque relinquant.
Spernunt in tantum rectores Eccleſiarum,
Vt per eos aliqui penitus renuant benedici,

140

Et quæcunque gerant, ſtatuant, doceant, ea ſpernant;
Quodque nefas factu, quod & eſt miſerabile dictu,
Tam grauis in clerum turget contemptus eorum,
Vt nolint Miſſas audire per hunc celebratas,
Nil diuinorum quærentes officiorum,
His ſacris illum dicentes haud fore dignum.
Dedecus heu magnum rectoribus Eccleſiarum,
Talia de terra qui non curant abolenda.
Hi quoque ſemi viri, turpes, molles, vice plumbi
Diſſimiles auro fornacis in igne probato,
Quodlibet, id faciunt, hoc & licitum fore dicant,
Quæ nolunt per ſe, ſtatuunt non illa licere,
Ex toto ſpretis legalibus atque veternis
Conſuetudinibus, quas Abba docet Benedictus.
Hi quoque manſueſcunt in vultibus ac hilareſcunt, *De his VValtramus lib. 2. in fi. de Vnit. Eccleſia.*
Sed ſub mente dolum retinent, rabiemque luporum,
Fraus facit hos vulpes, lepores metus, ira leones.
Hi per tonſuras grandes, grandesque cucullos
Audent mentiri Chriſto, planè Phariſæi,
Alba ſepulchra foris, ſed abintus plena pudoris.
Nam quoniam laudis ſunt percupidi popularis,
Dilatant tunicas ſibi, magnificantque cucullos,
Triſtes, pannoſi, pallore ſuperſtitioſi,
Demiſſa fronte. Quid multa? noui ſycophantæ.
Per caput abraſi, terratenus & manicati,
Tanquam non virtus monachum faciat, ſed amictus;
Aut quaſi relligio pietaſque notetur in illo,
Quum non induuias hominis damnet Deus vllas,
Veſte ſub agnina, ſi mens etiam ſit ouina,
Nam nihil agnina prodeſt toga mente lupina.
Iam, Rex inſignis, tibi ſeductoribus illis
Strictim detectis, & olentibus vndique ſectis, *Fratres Laici Milienſes, vulgo Barbati dicti.*
Nunc quoque Barbati qui ſint, attentius audi.
Sicut ergo Laici Milienſibus aſſociati,
Quos riſus populi dedit hoc agnomine fungi,
Sunt quia prolixis barbis ad pectora pexis
Deformes, hirti, reuera moribus hirci,
Barbis hircorum ſimiles, laruis tragicorum.
Quos quia vulgaris circumfert aura fauoris,
Auſtera facie ſunt, & tonſi caput altè,

Cautius anciſis certoque tenore Capillis,
Et ſunt immenſis indutis Calceamentis,
Amphibalis longis vtentes, & ſpatioſis,
Quos quid habere putant, ſubmiſſa fronte ſalutant.
Gratia, Pax vobis, Benedicite, Credite nobis,
Mille Pater noſter, demandat grex tibi noſter.
Per venias centum verrunt barbis pauimentum,
Vt Domini ſeruos plebs mobilis æſtimet ipſos:
Verum fallaces fore ſe produnt & inanes,
Dum nihil eſt intra, quod in hiſdem cernitur extra.
Fædera namque thori iungentes more priori.
Sollicitant, tædas immo violant alienas,
De ſe tam natis quam natabus generatis.
Intuitu duri, verum factis Epicuri.
Magna ſed vt paruis claudamus plurima paucis,
Hoc etiam certis dinoſcitur experimentis,
Horum Conſiliis & Cartis vndique miſſis,
Plurima perfidiæ mala ſæpe patrata fuiſſe,
Schiſmatis errorem totum ſpargendo per orbem.
Vnde ſuper Regnum nunc conſtat ſurgere regnum,
Et contra gentem bellis confligere gentem.
Vnde modo crebris dolet omnis terra querelis.
Nos quoque iam canos, ætate laboreque tardos,
In Clauſtris alitos per viginti quater annos,
Antiquas leges patrum ritusque ſequentes,
Fecerunt profugos, nati volimine pulſos;
Dum deſignati ſumus illis * aſſociari;
Præfatas hæreſes ſectaſque ſequi renuentes.
Nunc ô Romani, Rex inclyte, gloria regni,
Cuius honor ſceptri pertingit ad vltima ſecli,
Talia cur pateris, cur hæc finire moraris?
Cur non Domne doles, noſtros miſerando dolores?
Oris Teutonicis cur pullulat hæc hypocriſis?
Cur inuicte tuis tardas finem dare curis?
Noueris in Chriſto, niſi tempore protinus iſto
Concidat hæc hæreſis, res aduerſas patieris.
Cura, labor creſcent, & nunquam bella quieſcent.
Quare iudicium fac Chriſto iudice dignum,
Confer opem miſeris, inopumque mouere querelis,
Vnica tu nobis ſpes, portus, & aura ſalutis,

* al. aſſimilari.

Adlocat

Ad loca nos properè natiua iubeto redire,
Quo valeamus ibi Domino ſeruire quieti;
Vt mos Teutonicus iubet, atque pater Benedictus.
Et ſi ſit voti compos oratio noſtri,
Oramus pro te tam nunc, quàm tempus in omne.

Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis,

EBERHARDI ARCHIEPISCOPI SALISBVRGENSIS, &c.

Oratio

DE HILDEBRANDI PAPÆ Antichriſtiano Imperio, recitata in Comitiis Imperii Ratiſponenſibus, ſub FRIDERICO II. *Imperatore Auguſto habitis.*

CHRISTVS Seruator, Dominus & Deus noſter, relicto æ-therio ſolio, atque (vt ita loquar) immortalitate, mortalis pauperque effectus eſt, vt nos immortales atque diuites efficeret. Cumque deuictis inferis triumphabundus rurſus in cœlum rediturus eſſet, pacem ſuam nobis reliquit; concordiam atque mutuum amorem, tanquam notam atque teſſeram, qua ciues ſui à militibus inferi Iouis diſcernerentur, aſſignauit. Summopere quoque admonuit, vti falſos Chriſtos, falſos Prophetas vitaremus; qui tecti pelle ouina, nimirum Chriſtiano nomine atque Pontificio titulo, nobis dominari atque illudere cuperent. Quos ex ſpinis atque operibus, nempe auaritia, luxu, contentione, odio, inuidia, bellis, diſcordiæ malis, libidine dominandi, ambitione, cognoſci oportere [illegible] Quidnam apertiùs hiſce verbis, quàm Babylonis Phariſæos atq; [illegible] cœleſtis Imperator indicauit? Sub Pontificis Maximi titulo [illegible]

Auentin. lib. 7. Annal. Boior. fol. 684.

[illegible] Babylonis.

le lupum ſæuiſſimum, niſi cæci ſumus ſentimus. Romani Flamines arma in omnes habent Chriſtianos, audendo, fallendo, & bella ex bellis ſerendo magni facti, oues trucidant, occidunt; pacẽ, concordiam terris depellunt; inteſtina bella, domeſticas ſeditiones, ab inferis eliciunt in dies magis atq; magis omnium vires debilitant, vt omnium capitibus inſultẽt, omnes deuorent, vniuerſos in ſeruitutem redigant. Non Pontificis more gregi conſulunt, ſed potius immanitate & tyrannica licentia debacchãtur; iuſtitia rareſcit; impietas, auaritia, cupiditas honorũ, pecuniæ ſtudium, libido creſcit. Inopes & boni prædę ſunt ſceleratis, ac diuexantur vndiq; ab iniuſtis; ſoli aũt mali opulenti ſunt. Chriſtus inimicos odio habere vetat, eoſdem amari præcipit; de hiſce promereri, fidem hoſtibus ſeruare, beneficiis maleficia expiare docet: Romanenſes contra, ſancta violare, fœdere nomine Dei ſacrato ad fallendos homines abuti, benemeritis ingratos eſſe, malefactis beneficiã compenſare; bellare, litigare, defraudare, prodere, decipere, ſub magna pietatis ſuperficie iubent: diuinæ maieſtati, cœleſti prouidentiæ, naturæ repugnare, ſupremæ maieſtati à Deo Opt. Max. conſtitutæ reſiſtere nos volunt.

Hildebrãdus Antichriſtiani Imperii fundator. Hildebrandus ante annos centũ atq; ſeptuaginta primus, ſpecie religionis, Antichriſti Imperii fundamenta iecit. Hoc bellũ nefandũ primus auſpicatus eſt, quod per ſucceſſores hucuſq; continuatur. Primò illi Imperatorẽ à Comitiis Pontificialibus extruſère, ea ad populũ & Sacerdotes transtulêre. Deinde & his ludibrio habitis atq; exploſis, nunc & nos in ordinem redigere atq; ſeruitutem conantur, vt ſoli regnent. Capti iã Imperii conſuetudine, penſitatis ſuis & aduerſariorum viribus, occaſione rapiendæ dominationis & opprimendæ libertatis Chriſtianæ, ſpecioſo Eccleſiaſticæ conſtituendæ libertatis fuco vtentur. Credite experto, non ceſſabunt, donec Imperatore in ordinem redacto, Romani Imperii honore ſoluto, Paſtoribus veris qui paſcant, oppreſſis, canibus qui latrare queãt ſublatis, per hunc morem omnia extinguant aut occidant. Ideo omnia turbare atq; permiſcere volunt. Sed dominari vel ingratis contendunt.

Papalis tyrannidis deſcriptio. Paulus, armarium philoſophiæ diuinæ, præcipit; *Subiecti inuicem in timore Chriſti eſtote.* Hoc intereſſe inter populorum Chriſtianorum & prophanorum Principes, cœleſtis doctor & præceptor noſter, ſummusq; atq; immortalis Pontifex docet, quod hi dominantur ſubditis, illi ſeruiunt. Formam ſerui ſuprema Maieſtas ſuſcepit, vt diſcipulis ſuis ſeruiret, eorũq; pedes lauaret. *Antichriſtianum Regum.* Flamines illi Babyloniæ ſoli regnare cupiunt, ferre parem non poſſunt: non deſiſtent, donec omnia pedibus ſuis conculcauerint, atque in templo Dei ſedeant, extollanturque ſupra omne id quod colitur. Fames opum, ſitis honorum inexplebilis eſt: quò plura auido conceſſeris, eò plura appetit, porrige digitum, & manum, concupiſcet. Licentia omnes

ſimus

142

ſimus deteriores. Qui ſeruus ſeruorum eſt, dominus dominorum, perinde ac ſi Deus foret, eſſe cupit. Sacros cœtus, atq; conſilia fratrum, imò Dominorum ſuorum aſpernatur. Timet ne eorum, quæ aduerſus auſpicia, leges, interceſſiones indies magis atq; magis gerit, rationem reddere cogatur. Ingentia loquitur, quaſi verò Deus eſſet. Noua conſilia ſub pectore volutat, vt proprium ſibi coſtituat Imperium: leges commutat, ſuas ſancit, contaminat, diripit, ſpoliat, fraudat, occidit, perditus homo ille, quem Antichriſtum vocare ſolent, in cuius fronte contumeliæ nomẽ ſcriptum eſt; *Deus ſum, errare non poſſum.* in templo Dei ſedet, longè lateq; dominatur.

Sed ſicut eſt in arcanis ſanctarum Literarũ; *Qui legit, intelligat*: docti intelligent, omnes impii impiè agent, neq; intelligent. Quemadmodum longè ante tempora Sibyllæ, apertè Hydaſpes Rex antiquiſſimus, *ſub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam poſteris tradidit, nomen Romanum multò antè præfatus, quàm illa Troiana gens conderetur.* Lactant. lib 7. c. 15. in fi. Conciones Prophetarum, ſub ambage aliorum nominum, ne quis facilè intelligat, denũciarunt. Romani maieſtas populi qua olim orbis regebatur, ſublata eſt de terris, & Imperium in Aſiam reuerſum eſt: rurſus Oriens dominabitur, ſeruiet Occidens. Regnum multiplicatum, ſumma rerum poteſtas per plures diſſipata, conciſa, minuta, ne dicam dilacerata. diſcordiæ ciuiles in perpetuum feruntur, nec vllam requiem bellis exitialibus eſſe ſentimus. Imperator, vana appellatio, & ſola vmbra eſt. Reges decem pariter exiſtũt, qui orbem terræ, Romanum quondam Imperium, non ad regendum, ſed ad conſumendum partiti ſunt. Decem Cornua (id quod D. Aurelio Auguſtino incredibile viſum eſt) Turcæ, Græci, Ægyptii, Afri, Hiſpani, Galli, Angli, Germani, Siculi, Itali, Romanas prouincias poſſident, Romanosq; in his excidere colonos. Cornuq; paruulũ ſub his ſuccreuit, quod oculos habet, & os loquens grandia: tria potiſſimum, Siciliæ, Italię, Germaniæ regna in ordinem redigit, ſibique ſeruire cogit, inſuſtentabili dominatione populum Chriſti ſanctosq; vexat, diuina humana miſcet, infanda, execrabilia molitur? Quid hac Prophetia apertiùs? &c.

DD. NN.

Impp. Ferdinandi & Maximiliani II. Augg.

Sacris Reſcriptis confirmata ſententia

DE CLEROGAMIA PER HILDEBRANDVM Papam damnatâ.

Ex Libro, cui titulus; VIA REGIA, *Imperatorum iuſſu conſcriptus à Georgio Wicelio S. Theologiæ Doctore Catholico, & Cæſ. Maieſt. Conſiliario.*

a Cui titulus eſt: Forma Eccleſiæ prioris, &c.

NEc hoc omne punctum de clerogamia largiremur *a* libro, niſi ferè idem traderet Eccleſia. Dicitur autem Eccleſia tradere, quod vetuſtiſſimi vel ſcripſerunt vel fecerunt Eccleſiæ Patres, Doctores, ac viri in ſancto fidei Chriſtianæ negocio illuſtriſſimi: niſi, inquam, coniugium Presbyterii diuinitùs concederetur in Eccleſia, nec reclamarent Scripturæ Sanctæ, nec veteris Eccleſiæ indubitata praxis, nec publica honeſtas. Et horrendum auditu eſt, quòd Apoſtolus Paulus Dæmoniacum ſeu Diabolicum eſſe ſcribit, ſi quis doceat aduerſus coniugium. Longè magis Dæmoniacum ſit oportet, propter coniugium in Chriſtianos ſæuiciam exercere, & innocentes interficere. Liber rectè aſſerit, cùm ait: *Conſtitutionem iſtam humanam, qua prohibetur coniugium Presbyteris, ac diſtrahitur contractum, pugnare cum iure naturali, cum iure diuino, cum Euangelio, cum veterum Synodorum conſtitutionibus, cum exemplis veteris Eccleſiæ:* imò cum exemplis etiam Eccleſiæ Romanæ, qualis erat circa quingentos annos. Quæ exempla ſpiritu parùm ſancto HILTEBRANDVS notabiliter actus, ex Eccleſia Romana ſuſtulit.

Hildebrãdi dogma Diabolicum.

Hildebrãdus ſpiritu maligno afflatus.

CAPITA DE CLEROGAMIA.

I. Scriptum eſt. *Sacerdos virginem ducat uxorem.* Quæ vetus lex moralis

talis eſt, habens adhuc vigorem; non ceremonialis, hoc eſt, abrogata.

II. Nouo Teſtamento illuceſcente per Ioannem Baptiſtam, erat huius pater Zacharias Sacerdos Domini, habens Eliſabetham vxorem.

III. Recenſet Paulus Apoſtolus in regula, quam ad Timotheum præſcripſit Presbyteris noui Teſtamenti, vt ſint vnius vxoris viri.

IV. Eandem regulam ingeminat ad Titum.

V. Ipſos Apoſtolos vxores habuiſſe proprias, Diuus Ignatius & Clemens Apoſtolicus idoneus teſtis eſt.

VI. In primitiua Chriſti Eccleſia tam Orientis, quàm Occidentis durauit clerogamia improhibita.

VII. Et perdurauit improhibita, quia Apoſtolica, vſque ad tempus prohibitionis primariæ per Syricium, & Calixtum Secundum factæ. Poſt ſecundariæ prohibitiones ſecutæ ſunt per Concilium Carthaginenſe, per Gregorium & Innocentium, maxime per a Sataniſſimũ HILTEPRANDVM. Sed hanc prohibitionem, quia neque Apoſtolica, neque vniuerſalis extitit, Oriens non recepit. Decreta verò Canonica, quæ coniugio fauent, illud tantùm poſtulant, vt vxor virgo ducatur ante ordinationẽ Sacerdotalem.

a al. Sanctiſſ ſed. malè ita enim auctor ſcripſerat, alludens ad nomen Hellebrand.

Et aliquantò poſt:

Mores veteris Eccleſiæ laudo, qui ſi iidem eſſent hodie in Clero, quis cenſeret, opus eſſe remedio? Quid prohibiturus erat Syricius, Innocentius, Calixtus, & HILTEPRANDVS, ſi hanc hoc tempore Eccleſiç faciem aſpexiſſent? Quòd ſi quis ad exempla prouocet, longè cognitiſſimum eſt, Hiſtorias Eccleſiaſticas exemplis eiuſmodi refertas eſſe. Sed ante ordinẽ, inquis? Rectiſſimè. Probaturus igitur eras cauſam clerogamiæ, ſi quis hodie quoque ante ordinem honeſtè ducta virgine, recipiatur in ordinẽ? Scripturam Apoſtolicam, Ius poſitiuum, Exempla Eccleſiaſtica, & honeſtatem ipſam publicam quiſque ingenuè confitetur: is huic conſiderationi non reclamabit vnquam. Niſi fortè primis temporibus fuerit licitum, quod noſtris illicitum iudicari debeat, quando videlicet Cleri nefanda turpitudo eo creuit, vt ſacra etiam ipſa deturpet, adque abominationem adducat extremam.

IN ABVSIBVS IVSSV MAXIMILIANI II. CÆSARIS AD VIAM REGIAM additis ab eodem WICELIO.

INter abuſus Matrimonii aliud aliud quiddam numerat. Nos hic adulterium accuſamus. quod tamen magis eſt crimen, olim capitale, nunc veniale, & tantò impunitius committitur, quantò grauiùs vetuit vtrum-

que ſimul Teſtamentum, ac quantò ſeueriùs olim in hoc ſcelus animaduertit Eccleſia, & ſcommatis exagitauit Satyra. Nullum ſupereſt remediū, niſi vt leges politicæ reſuſcitentur authoritate Imperiali, & renouentur pœnæ adulteriorum, ne ſemper audire cogamur, *Lex Iulia dormis?* Cui ſeueritati ſuam addet excommunicationem, ſuam virgam, ſuum vinculum mater Eccleſia, tradens adulterum vnà cum adulterā Sathanæ, donec ſatisfiat crudeliter offenſo populo Dei. Quorſum enim acceperit Eccleſia clauem ligandi, niſi ea legitimè vtatur? In quem finem alium poteſtas politica geſtet gladium, vltorem facinorum? Mementote tribunalis ſupremi Iudicis vos, qui iudicatis terram. Ad hæc non minor eſt Chriſtiani nominis ignominia, nec crimen minus, quod exemplo * Heliogabali, ac inſtinctu Diaboli, Epiſcopi & Magiſtratus tolerant, imò ædificant ac protegunt ſpurciſſimos fornices fœdiſſimæ Veneri conſecratarum muliercularum, vt menſuram impleant omnium iniquitatum, & Chriſtianiſmū pergant cooperire flagitiis, ac offendiculis innumerabilibus?

* *Hildebrandi, quaſi* Helſgabel.

Verùm eiuſdem eſt impietatis Concubinatus Sacerdotum, & lupanar publicum, nec eſt vtrobique diſſimilis religio, niſi quòd hæc apparet venerabilior, altera ſordidior. Hunc ſtatum reperit cœlibatus, illum diſcurſum inuenit ocium, neutrum thorus immaculatus. At iam pudere nos cœpit huius politiſmi, & deſtrui cœperunt Heliogabalica multis in locis: * Ephoros nondum pudet Cleroporniæ, nec forſan aliud perinde decet Collegia Hieratica. Ponat Auguſta Maieſtas ſuper cor ſuum, vt vtramque impunitatem, hoc eſt, vt quod malum eſt, de populo Chriſtiano auferat: magnum mentis opus, quod prædicabit poſteritas, quæ laus Homero iudicatur non vltima.

* *Epiſcopos.*

HILDE-

HILDEBRANDINORVM

TRACTATVS III.

Contra HENRICVM IV. *Imperatorem Auguſtum, & iura Regalia.*

Hinc diſces, Lector, quàm putidæ nugæ ſint, quàm ſtraminea argumenta, & quàm probroſæ calumniæ eorum, qui aduerſus veritatem pro mendaciis nituntur.

✠

Veritas premitur, ſed non opprimitur.

GREGORII VII. PAPÆ ROMANI, QVI ET HILDEBRANDVS,

Epiſtola

A. 1078.

AD HERIMANNVM Metenſem Epiſcopum,

DE EXCOMMVNICATIONE HENRICI IV. *Imperatoris.*

Ad hanc Epiſt. reſpondet Waltram. l. 1. quem oppone.

GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto in Chriſto fratri Herimanno Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quod ad perferendos labores ac pericula pro defenſione veritatis te paratũ intelligimus, diuini muneris eſſe non dubitamus. Cuius hæc eſt ineffabilis gratia & mira Clementia, quod nunquam electos ſuos penitus aberrare permittit, nunquam funditus labefactari aut deiici ſinit, dum eos perſecutionis tempore quadam vti probatione diſcuſſos, etiam poſt trepidationem aliquam ſemet ipſis fortiores faciat. Quoniam autem ſicut inter ignauos alium quò turpiùs alio fugiat, timor exanimat, ita etiam inter ſtrenuos, alium quò fortius alio agat, quò ardẽtius corrumpat, virile pectus inflammat. Hoc caritati tuæ exhortationis voce curauimus commendare, vt eò magis in acie Chriſtianæ religionis ſtare te delectet inter primos, quò eos non dubitas victori Deo proximos atque dignissimos. Quod autem poſtulaſti te quaſi ſcriptis iuuari, ac præmuniri contra illorum inſaniam, qui nefando ore garriunt, auctoritatem S. Apoſtolicæ ſedis non potuiſſe Regem HENRICVM, hominem Chriſtianæ religionis contemptorem, Eccleſiarum videlicet & imperii deſtructorẽ, atque hereticorum auctorem & conſentaneum excõmunicare, nec quen-

quam

145

quàm à Sacramento fidelitatis eius abſoluere, non ideò neceſſarium nobis videtur, quum huius rei tam multa ac certiſſima documenta in ſacrarũ ſcripturarum paginis reperiantur.

Neque enim credimus eos qui ad cumulum ſuæ damnationis veritati imprudenter detrahunt & contradicunt, hoc ad ſuæ defenſionis audaciã tam ignorantia, quam miſeræ deſperationis vecordia coaptaſſe. Nec mirum: mos eſt enim reproborum ob ſuæ nequitiæ protectionem conſimiles ſibi defendere, quod pro nihilo habent mendacii perditionem incurrere. Nam vt de multis pauca dicamus: quis ignorat vocem Domini ac ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti dicentis in Euangelio: *Tu es Petrus, & ſuper hanc ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam:* Et, *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis?*

Nunquid hic ſunt Reges excepti, aut non ſunt de ouibus, quas filius Dei B. Petro commiſit? quis rogo in hac vniuerſa conceſſione ligandi atque ſoluendi, à poteſtate Petri ſe excluſum eſſe exiſtimat? niſi fortè infelix ille, qui iugum Domini portare nolens, Diaboli ſe ſubiicit oneri, & in numero ouium Chriſti eſſe recuſat. Cui tamen hoc ad miſeram libertatem minime proficit, quod poteſtatem Petri diuinitus ſibi conceſſam à ſuperba ceruice excutit, quoniam quanto eam quiſquis per elationé ferre abnegat, tanto durius ad damnationem ſuam in iudicio portat. Hanc itaque diuinæ voluntatis inſtitutionem, hoc firmamentum diſpenſationis Eccleſiæ, hoc priuilegium Petro Apoſtolorum principi cæleſti decreto principaliter traditum atque firmatum, ſancti Patris cum magna veneratione ſuſcipientes atque ſeruantes, S. Romanam Eccleſiam tam in generalibus Conciliis, quam etiam in cæteris ſcriptis & geſtis ſuis vniuerſalem Matrem appellauerũt: & ſicut eius documenta in confirmatione fidei, & eruditione ſacræ religionis, ita etiam iudicia ſuſceperũt, in hoc conſentientes, & quaſi vno ſpiritu & vna voce concordantes, omnes maiores res & præcipua negotia, nec non omnium Eccleſiarũ iudicia, ad eam quaſi ad matrem & caput debere referri, ab ea nuſquã appellari, iudicia eius à nemine retractari aut refelli debere aut poſſe.

Vnde B. Gelaſius Papa Anaſtaſio Imperatori ſcribens, diuina fultus auctoritate, quid & qualiter de principatu ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis ſentire deberet, hoc modo eum inſtruxit: *Etſi*, inquit, *cunctis generaliter ſacerdotibus rectè diuina tractantibus fidelium conuenit colla ſubmitti, quanto potiùs ſedis illius Præſuli cõſenſus eſt adhibendus, quẽ cunctis ſacerdotibus & diuinitas ſummà voluit præminere, & ſubſequens Eccleſiæ generalis iugiter pietas celebrauit?* Vbi prudentia tua euidenter aduertit, nunquam quolibet penitus humano concilio æquare ſe quenquam poſſe illius priuilegio vel confeſſioni,

quem Chriſti vox prætulit vniuerſis, quem Eccleſia veneranda confeſſa ſemper eſt & habet deuota Primatem. Item Iulius Papa Orientalibus Epiſcopis ſcribens de poteſtate eiuſdem ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis ait: *Decuerat vos, Fratres, aduerſus ſanctam Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam limatè & non ironicè loqui, quoniam & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus eam decenter allocutus ait: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus, & tibi dabo claues regni cælorum. Habet enim poteſtatem ſingulari priuilegio ſibi conceſſam, aperire & claudere ianuam regni cæleſtis, quibus voluerit. Cui ergo aperiendi & claudendi cæli data eſt poteſtas, de terra iudicare non licet? Abſit. Num retinetis quod ait B. Paulus Apoſtolus: Neſcitis quod Angelos iudicabimus:* quanto magis ſecularia? Beatus quoque Gregorius Papa à ſua dignitate cadere ſtatuit, qui Apoſtolicæ ſedis decreta violare præſumpſerint, ſcribens ad quendam Senatorem his verbis: *Si quis regum, ſacerdotum, iudicum, atque ſecularium perſonarum hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire temauerit, poteſtatis honoriſque ſui careat, reumque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat: & niſi ea, quæ ab illo ſunt male ablata reſtituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleuerit, à ſanctiſſimo corpore ac ſanguine Domini redemptoris noſtri Ieſu Chriſti alienus fiat, atque in æterno examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat.* Quod ſi B. Gregorius doctor vtique mitiſſimus, Reges, qui ſtatuta ſua ſuper vnum xenodochium violarent, non modo deponi ſed etiam excommunicari atque in æterno examine damnari decreuit: quis nos HENRICVM non ſolum Apoſtolicorum iudiciorum contemptorem, verum etiam ipſius matris Eccleſiæ (quantum in ipſo eſt) conculcatorem, totiuſq; Regni & Eccleſiarum improbiſſimum prædonem & atrociſſimum deſtructorem depoſuiſſe & excommunicaſſe reprehendat? niſi forte ſimilis eis, ſicut B. Petro docente cognouimus in Epiſtola de ordinatione Clementis, in qua ſic ait: *Si quis amicus fuerit his, quibus ipſe* (de eodem Clemente dicens) *non loquitur, vnus eſt & ipſe ex illis, qui exterminare Dei Eccleſiam volunt, & cum corpore nobiſcum eſſe videtur, mente & animo contra nos eſt, & eſt multo nequior hoſtis hic, quam illi qui foris ſunt, & euidenter inimici.*

Hic HENRICVS per amicitiarum ſpeciem, quæ inimica ſunt gerit, & Eccleſiã diſpergit ac vaſtat. Nota ergo, Chariſſime ſi eum, qui amicitia vel alloquio his, quibus Papa pro actibus ſuis auerſus eſt, aſſociatur, tam grauiter iudicat: quanta illum ipſum, cui pro actibus ſuis auerſus eſt, animaduerſione damnat. Sed vt ad rem redeamus, itane dignitas à ſecularibus & Deum ignorantibus inuenta, non ſubiicietur ei dignitati, quam omnipotentis Dei prouidentia ad honorẽ ſuum inuenit, mundoq; miſericorditer tribuit?

tribuit? Cuius filius ſicut Deus & homo indubitanter creditur, ita ſummus ſacerdos, caput omnium ſacerdotũ, ad dextram patris ſedens, & pro nobis ſemper interpellans habetur, qui ſeculare regnum vnde filii ſeculi tument, deſpexit; & ad ſacerdotiũ crucis ſpontaneus venit. Quis neſciat Reges & Duces habuiſſe principiũ? qui Deum ignorantes ſuperbia, rapinis, perfidia, homicidiis: poſtremò vniuerſis pene ſceleribus, mũdi principe videlicet Diabolo agitante, ſuper pares ſcilicet homines dominari cęca cupidine & intolerabili præſumptione affectauerunt. Qui videlicet, dum ſacerdotes Domini ad veſtigia ſua inclinare contendunt, cui rectius comparantur, quam qui eſt caput ſuper omnes filios ſuperbiæ, qui ipſum ſummum Pontificem, ſacerdotum caput, altiſſimi filium tentans, & omnia illi mundi regna promittens, ait: *Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me? Quis dubitet ſacerdotes Chriſti, Regum & Principum, omniumque fidelium patres & magiſtros cenſeri? Nonne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, & iniquis obligationibus illum ſua poteſtati ſubiicere, à quo credit non ſolum in terra, ſed etiam in cælis ſe ligari poſſe & ſolui?* Hæc ſicut B. Gregorius in epiſtola ad Mauritium Imperatorem directa commemorat, Conſtantinus Magnus Imperator, omnium Regum & Principum ferè totius orbis dominus, euidenter intelligẽs, in S. Synodo Nicena poſt omnes Epiſcopos vltimus reſidens, nullam iudicii ſententiam ſupra eos dare præſumpſit, ſed illos etiam Deos vocans, nõ ſuo debere ſubeſſe iudicio, verum ſe ab illorũ pendere arbitrio iudicauit. Supra dicto quoque Anaſtaſio Imperatori prælibatus Papa Gelaſius perſuadens, ne ille intimatam ſuis ſenſibus veritatẽ arbitraretur iniuriam, ſubintulit, dicens: *Duo ſunt quippe, Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas ſancta Pontificum, & Regalis poteſtas, in quibus tanto grauius eſt pondus ſacerdotum, quanto etiam pro ipſis Regibus, hominum in diuino reddituri ſunt examine rationem.* Et paucis interpoſitis inquit: *Noſti itaque inter hæc illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Talibus ergo inſtitutis, talibuſque fulti auctoritatibus, plerique Pontificum, alii Reges, alii Imperatores excommunicauerunt. Nam ſi ſpeciale aliquod de perſonis Principũ requiratur exẽplũ, B. Innocentius Papa Arcadiũ Imperatorẽ, quod cõſenſit, vt S. Ioannes Chryſoſtomus à ſede ſua pelleretur, excommunicauit. Alius item Romanus Pontifex Regẽ Francorũ, non tam pro ſuis iniquitatibus, quã pro eo, quod tãtæ poteſtati non erat vtilis, à regno depoſuit: & Pipinũ Caroli Magni Imperatoris patrem in eius loco ſubſtituit, omneſque Francigenas à iuramento fidelitatis, quod illi fecerant, abſoluit. Quod etiã ex frequenti auctoritate ſæpe agit Eccleſia ſancta, quum milites abſoluit à vinculo iuramẽti, quod

factum eſt his Epiſcopis, qui Apoſtolica auctoritate à Pontificali gradu deponuntur. Et B. Ambroſius, licet ſanctus, non tamen vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, pro culpa quæ aliis ſacerdotibus non adeo grauis videbatur, Theodoſium Magnum Imperatorem excommunicans ab Eccleſia excluſit. Quod etiam in ſuis ſcriptis oſtendit, quod aurum non ita pretioſius ſit plumbo, quam regia poteſtate altior ſit dignitas ſacerdotalis. Hoc modo circa principium ſui Paſtoralis ſcribens: *Honor, Fratres, & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari: ſi Regum fulgori compares & Principum diademati, longè erit inferius, quàm ſi plumbi metallū ad auri fulgorem compares, quippe, cum videas Regum colla & Principum, ſummitti genibus ſacerdotum, & exoſculata eorum dextera, eorum ſe credant orationibus communiri.* Et poſt pauca: *Hæc cuncta, Fratres, ideo nos præmiſiſſe debetis agnoſcere, vt oſtenderemus, nihil eſſe in hoc ſeculo ſacerdotibus excellentius, nihil ſublimius Epiſcopis reperiri.*

Meminiſſe etiam debet fraternitas tua, quod maior poteſtas Exorciſtæ conceditur, quum ſpiritualis Imperator ad abigendos Dæmones conſtituitur, quam alicui Laicorum cauſſa ſecularis dominationis tribui poſſit. Omnibus Regibus nempe & principibus terræ, qui religioſe non viuunt, & actibus ſuis Deum vt oportet non metuunt, Dæmones heu proh dolor dominantur, & miſera ſeruitute confundunt. Tales enim non diuino ducti amore ſicut religioſi ſacerdotes, ad honorem Dei & vtilitatem animarum præeſſe cupiunt: ſed vt intolerabilem ſuperbiam oſtentent, animiq; libidinem expleant, cæteris dominari affectant. De quibus S. Auguſtinus in libro I. de Doctrina Chriſtiana dicit: *Quum vero etiam eis, qui ſibi naturaliter pares ſunt, hoc eſt, hominibus, quilibet dominari affectant, intolerabilis omnino ſuperbia eſt.* Porro autem, ſi Exorciſtæ (vt diximus) ſupra Dæmones à Deo imperium habent: quanto magis ſupra eos, qui Dæmonibus ſubiecti, & membra ſunt Dæmonum. Si ergo his tantum præminent Exorciſtæ, quanto amplius ſacerdotes? Præterea omnis Rex Chriſtianus ad exitum veniens, vt carcerem euadat inferni, vt de tenebris in lucem tendat, vt de peccatorum vinculis in Dei iudicio abſolutus appareat, ſacerdotis opem ſupplex ac miſerandus requirit. Quis autem non modo ſacerdotum, verum etiam Laicorum in extremis poſitus pro ſuæ animæ ſalute terreni Regis implorauit auxilium? Quis vero Regum aut Imperatorum aliquem Chriſtianum ex impoſito ſibi officio valet ſacro baptiſmatis ex Diaboli poteſtate eripere, & inter filios Dei connumerare, ſanctoque Chriſmate præmunire? Et (quod maximum eſt in Chriſtiana religione) quis eorum valet proprio ore corpus & ſanguinem Domini conficere? vel cui eorum data eſt poteſtas ligandi, ſoluendique in cœlo & in terra? Ex quibus apertè colligitur, quanta poteſtate præcellat dignitas ſa-

147

tas ſacerdotum: aut quis eorum poteſt aliquem Clericum in S. Eccleſia ordinare? quanto minus pro aliqua culpa eum deponere? Namque in eccleſiaſticis ordinibus, maioris poteſtatis eſt deponere, quam ordinare. Epiſcopi enim poſſunt alios Epiſcopos ordinare, ſed nullo modo ſine auctoritate Apoſtolicæ ſedis deponere. Quis igitur vel tenuiter ſciol s dubitet, ſacerdotes Regibus anteferre? Quod ſi Reges pro peccatis ſuis à ſacerdotibus ſunt iudicandi, à quo rectius, quam à Romano Pontifice ſunt iudicandi? Ad ſummam, quoslibet bonos Chriſtianos multo conuenientius, quam malos Principes Reges intelligi docet. Iſti enim gloriam Dei quærendo ſemetipſos ſtrenue regunt: at illi non quæ Dei ſunt, ſed ſua quęrentes, ſibimet hoſtes, alios tyrannicè opprimunt. Hi verò Reges Chriſti, illi vero Diaboli corpus ſunt. Iſti adhuc ſibi imperant, vt cum ſuo Imperatore æternaliter regnent: Illorum verò id poteſtas agit, vt cum tenebratũ principe, qui rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ, æterna damnatione diſpereant.

Nec valde ſane mirandũ eſt, quod mali pontifices in, iniquo Regi, quem adeptis male per eum honoribus diligunt & metuunt, conſentiũt, qui ſimoniace quoslibet ordinando, Deum pro vili etiam pretio vendũt. Nam ſicut electi inſolubiliter ſuo capiti vniuntur, ita & reprobi maxime contra bonos, ei qui malitiæ caput eſt, pertinaciter fœderantur. Contra quos profectò non tam diſſerendum, quam pro eis eſt lacrymoſis planctibus ingemendum, vt omnipotens Deus illos à laqueis Satanæ, quibus captiui tenentur, eripiat, & tandem aliquando vel poſt pericula ad agnitionem veritatis perducat. Hæc de Regibus & Imperatoribus, quod ſingulari gloria nimium tumidi, non Deo, ſed ſibi regnant.

Sed quod noſtri eſt officii, vnicuique ſecundum ordinem vel dignitatem, qua videtur vigere, exhortationem d ſtribuere: Imperatoribus & Regibus, cæteriſque Principibus, vt elationes maris & ſuperbiæ fluctibus comprimere valeant, arma humilitatis Deo auctore prouidere curamus. Scimus enim quod mundana gloria & ſecularis cura, eos permaxime, qui præſunt, ad elationem trahere ſolet, qua ſemper neglecta humilitate propriam quærendo gloriam, fratribus cupiant præminere. Proinde videtur vtile maxime Imperatoribus & Regibus, vt cum mens illorum ſe ad alta erigere, & pro ſingulari vult gloria oblectare, inueniat quibus ſe modis humiliet, atque vnde gaudebat, ſentiat plus timendum. Perſpiciant ergo diligenter, quam periculoſa, quamve timenda ſit Imperatoria vel Regia dignitas, in qua pauciſſimi ſaluantur, & illi, qui Deo miſerante ad ſalutem veniunt, non æque, vt multi pauperum iudicio S. ſpiritus in ſancta Eccleſia glorificantur. A mundi enim principio vſque ad hæc noſtra tempora in tota authentica ſcriptura non inuenimus ſeptem Imperatores vel Re-

ges, quorum vita, fuerit à Deo præcipua religione & virtute ſignorum decorata, ſicut vniuerſalis multitudinis ſeculi contemptorum: licet eorum plures credamus apud omnipotentem Deum miſericordiæ ſalutem inueniſſe. Namque, vt de Apoſtolis & Martyribus taceamus, quis Imperatorum vel Regum æque, vt B. Martinus, Antonius, & Benedictus miraculis claruit? Quis Imperator aut Rex mortuos ſuſcitauit, leproſos mundauit, cæcos illuminauit? Ecce Conſtantinum piæ memoriæ Imperatorem, Theodoſium & Honorium, Karolum, & Ludowicum, iuſtitiæ amatores, Chriſtianæ religionis propagatores, Eccleſiarum defenſores, ſancta quidem eccleſia laudat & veneratur, non tamen eos fulſiſſe tanta miraculorum gloria iudicat. Præterea ad quot nomina Regum vel Imperatorum baſilicas ſeu altaria dedicari, vel ad eorum honorem S. Eccleſia miſſas ſtatuit celebrari? Timeant Reges aliique Principes, ne quanto ſe cæteris hominibus in hac vita præferri gaudent, tanto amplius æternis incendiis ſubiiciantur. Vnde ſcriptum eſt: *Potentes potenter tormenta patientur.* De tot enim hominibus Deo reddituri ſunt rationem, quot ſuæ dominationi ſubditos habuerunt. Quod ſi alicui religioſo priuato non paruus labor eſt, vnam ſuam animam cuſtodire: quantus labor imminet Principibus ſuper multis millibus animarum? Præterea ſi iudicium S. Eccleſiæ valde cõſtringit peccatorem pro vnius hominis interfectione: quid erit de his, qui multa millia morti tradunt, pro huius mundi honore, qui licet ore aliquando dicant, *Mea culpa*: pro multorum tamen occiſione tamen in corde gaudent, in ſui quaſi honoris extenſione, noluntq; non feciſſe, quod egerunt, neq; dolent, quod fratres ſuos in tartarũ compulerũt. Quumq; ex toto corde eos nõ pœnitet, neq; volũt humano ſanguine acquiſita vel detenta mittere, illorum pœnitentia apud Deum ſine digno pœnitentiæ fructu manet. Vnde profectò valde eſt timendum, atque ad memoriam eorum crebro reuocandũ, quod (ſicut præfati ſumus) à mundi principio pauciſſimi per diuerſa terrarum regna Reges ſancti, ex innumerabili eorum multitudine reperiuntur: quum in vna tantum Pontificum ſeriatim ſede, videlicet Romana, à tempore B. Petri Apoſtoli fere centum inter ſanctiſſimos computentur. Cur autem hoc? niſi quod Reges terræ & Principes vana gloria delectati (ſicut prælibatũ eſt) quæ ſua ſũt, ſpiritualibus præferunt: religioſi autem Pontifices vanam gloriam deſpiciẽtes, quæ Dei ſunt carnalibus rebus præponunt. Illi in ſe peccantibus cito ignoſcũt, Deũ offendentibus non leuiter parcunt.* Illi terrenis actibus nimiũ dediti ſpiritualia paruipendunt, iſti cæleſtia ſedullo meditantes, quæ ſunt terrena contemnunt.

* *Videtur hic aliquid deeſſe.*

Admonendi ergo ſunt omnes Chriſtiani, qui cũ Chriſto regnare cupiunt, ne ambitione ſecularis poteſtatis regnare affectent, ſed potius præ oculis

oculis habeāt, quod B. Gregorius Papa ſanctiſſimus in lib. Paſtorali admonet, dicens: *Inter hac itaque quid ſequendū, quidue tenendum, niſi vt virtutibus pollens coactus ad regnū veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat.* Quod ſi ad Apoſtolicam ſedem, in qua rite ordinati meritis B. Petri Apoſtoli meliores efficiuntur, quod timent coacti veniunt cum magno timore; ad regni ſolium cum quanto timore accedendum, in quo etiam boni & humiles (ſicut in Saul & Dauid cognoſcitur) deteriores fiunt? Nam quod de Apoſtolica ſede prælibauimus, in decretis beati Papæ licet experimēto ſciamus, ſic continetur: *Ille ſcilicet B. Petrus perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ miſit ad poſteros.* Et poſt pauca: *Quis enim ſanctum dubitet eſſe, quem apex tantæ dignitatis attollit, in qua ſi deſint bona acquiſita, per meritum, ſufficiunt quæ à loci deceſſore præſtantur. Aut enim claros ad hæc veſtigia erigit, aut eos qui erigūtur illuſtrat.* Quapropter quos S. Eccleſia ſua ſponte ad imperium vel reginem deliberato conſilio aduocat, non pro tranſitoria gloria, ſed pro multorum ſalute humiliter obediant, & ſemper caueāt, quod B. Gregorius in eo libro paſtorali teſtatur: *Apoſtatæ quippe angelo ſimilis efficitur, dum hominibus eſſe ſimilis dedignatur. Sic Saul poſt humilitatis meritū in tumorem ſuperbiæ culmine poteſtatis excreuit. Per humilitatē quippe prælatus eſt, per ſuperbiam reprobatus, Domino atteſtāte, qui ait: Nonne quum eſſes paruulus in oculis tuis, caput te conſtitui in tribubus Iſrael?* Et paulo inferius. *Miro autem modo, quum apud te paruulus, apud Dominum magnus: quum verò apud te magnus apparuit, apud Dominum paruulus fuit.* Vigilanter quoque retinendum, quod Dominus in Euangelio dicit: *Ego gloriam meam non quæro. Et, qui vult inter vos eſſe primus, ſit omnium ſeruus.* Honorem Dei ſemper ſuo præponant, iuſtitiamq; vnicuique ſuum ſeruando ius amplectantur, atq; cuſtodiāt, non eant in conſilio impiorū, ſed religioſis ſemper acquieſcendo corde adhæreant. Sanctam Eccleſiā non quærant ſicut ancillā ſibi ſubiicere, ſubiugare: ſed permaxime oculos illius, videlicet Domini, ſacerdotes, magiſtros & patres recognoſcendo, decenter ſtudeant honorare. Nā ſi carnales Patres & matres honorare iubemur, quāto magis ſpirituales? Si ille, qui carnali patri vel matri maledixerit, morte mulctandus eſt: quid ille, qui maledicit patri ſpirituali vel matri meretur? Non carnali amore illecti ſtudeant filium ſuum gregi, pro quo Chriſtus ſanguinem ſuum fudit, præponere, ſi meliorem illo & vtiliorem poſſunt inuenire: ne plus Deo diligendo filium, maximum ſanctæ Eccleſiæ inferant detrimentum. Patenter enim Deum & proximum ſicut Chriſtianum oportet non amare conuincitur, qui tantæ vtilitati tamque neceſſariæ ſanctæ matris Eccleſiæ, prout melius poteſt, negligit prouidere. Hac namq; virtute (id eſt charitate) neglecta, quicquid boni aliquis fecerit, omni fructu ſalutis carebit. Hęc itaq; humiliter agendo, & amorem Dei & pro-

ximi, ſicut oportet, ſeruando, præſumant de illius miſericordia, qui dixit: *Diſcite à me, quod mitis ſum, & humilis corde.* Quem ſi humiliter, mutati fuerint, de regno ſeruili & tranſitorio, ad regnum veræ libertatis & æternitatis tranſibunt, Amen. Admonemus vos fratres & coepiſcopos noſtros, ne faciem Principum trepidantes, veritatem eis dicere timeatis, incurrentes illud Gregorii: *Quum in terra hominem contra veritatem quilibet panet, eiuſdem veritatis iram calitus ſuſtinet.*

STEPHANI HERRANDI EPISCOPI HALBERSTADENSIS

Anno 1090.

Epiſtola

NOMINE LVDOVICI LANTGRAVII Thuringiæ reſcripta ad Waltramum Naumburgenſem Epiſcopum.

COMES LVDOVICVS DOMINO WALTRAMO, QVIDQVID TALI VOCAbulo dignum eſt.

Reſponſio Waltrami ad hanc Epiſtolam non exſtat: quod perdolendũ eſt. Oppone eius libros contra Bernardum Corbeienſem.

SICVT bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum; ita malus homo de malo theſauro profert malũ. Vnde tibi tanta arrogantia, vt me ád indignationem tam iniurioſis iniuriis prouocares? Etenim Dominos & Patres meos, qui me in via iuſtitiæ confortant, viros ſanguinum, ſimiles Satanæ obliquè appellas, & monita ſalutis, quæ ſuggerunt, inter mulierculas & ſimplex vulgus ſomniare dicis. Nunquid Deus indiget tuo iudicio, vt pro illo loquaris dolos? Docuit iniquitas os tuum, & imitaris linguam blaſphemantium, ita vt recte de te dicat Propheta: *Noluit intelligere, vt bene ageret, iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo.* Quamuis ergo quantum peruerſus, tantum peruerſa locutus ſis: nos tamen ori noſtro cuſtodiã ponere decreuimus, & ſiluimus, cum cõſiſteret peccator aduerſum nos. Sed excitat nos ſermo diuinus, dicẽs: *Reſpõde ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.* Nunquid enim fatuitas perſonabit, & ſapiẽtia obtumeſcet? Nũquid loquetur mẽdaciũ, & veritas

143

ſilebit? Nũquid tenebræ operiẽt terrã, & Dominus nõ orietur? *Immo lux in tenebris lucet, & tenebræ eã nõ cõprehenderũt.* Qua cõſideratione cõcaluit cor noſtrũ & in meditatione noſtra exarſit ignis. Loquimur igitur & clamamus, vulpesq; paruulas, quæ vineas Domini demoliuntur, quantũ poſſumus, arcemus, timẽtes Prophetiã illam exprobantẽ: *Non aſcendiſtis ex aduerſo, nec oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini.* Audiant non tu qui aures habes & non audis, qui oculos hãbes, & non vides, qui lumen quod in te eſt, tenebras feciſti: audiant, inquam, omnes cordati, qui aures audiendi habent: quam alte aut non intelligas, aut intelligere diſſimules, neq; quid loquaris, neq; de quibus affirmes.

Ad ſubiectionem Domini Henrici, quem Imperatorem dicunt, nos inuitas, & (in quantum intelligere datur) vt per omnia ſubditi ſimus, quaſi Apoſtolico argumento neceſſitatem imponis, dicens: *Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Qui ergo poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Quam Apoſtoli ſententiam te male intelligere, peius interpretari, dicimus. Si enim omnis poteſtas à Deo eſt, vt tu intelligis: quid eſt quod de quibuſdam dicit Dominus per Prophetam: *Ipſi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui eos?* Si omnis poteſtas à Deo eſt (vt tu intelligis), quid eſt quod ait Dominus: *Si oculus tuus ſcandalizauerit te, erue eum & proiice abs te?* Quid enim eſt poteſtas, niſi oculus? Certe Auguſtinus in expoſitione Apoſtolicæ ſententiæ, *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Quod ſi poteſtas*, inquit, *aliquid iubeat, quod contra Deum ſit: hic contemne poteſtatem, timendo poteſtatem alioquin.* Nunquid iniquitas apud Dominum? Nunquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit. Quid ergo dicemus? Nunquid ab Apoſtolo diuerſa ſententia Prophetiæ euulgatur? Auguſtinus: *Minime diuerſas tibias inflat ſpiritus vnus.*

Oppone Sigibertum contra epiſtolam Paſchalis.

Itaq; audiamus Apoſtolum concordantem, & ſeipſum exponentem, & inimicum vltoremque ſuum deſtruentem: *Non eſt*, inquit, *poteſtas, niſi à Deo.* Quid ſequitur? *Qui ergo*, inquis, *poteſtati reſiſtit*, & reliqua. Abſit. Non hoc ſequitur, ſed quid ſequitur? *Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt.* Nẽpe hoc eſt, quod quærimus. O lingua doloſa! ô cor machinans malum, Spiritus vadens & non rediens, cur mentitus es Spiritui ſancto? Arguat te conſcientia tua. Ecce fugit impius minime perſequente. Cur vt deciperes, ſupprimere veritatem voluiſti? Cur medullam, cur animam huius ſententiæ furatus es? Nam ſi hæc verba de medio Apoſtolicæ ſententiæ tollantur, contraria ſibi incõueniens & exanimis iacebit. Impletur ſermo diuinus: *Qui parat proximo ſuo foueam, incidet in eam.* Certe nec culpam furti nec pœnam euadere poteris. Quid infelix, quid iudici venturo, cum à

ſeruis negotiatoribus locum requiret, reſponſurus es, qui Dominicæ pecuniæ fraudator in medium produceris? Quare non iudicium & laqueum proditoris timuiſti, ne ſimilem reatum ſimilis vindicta ſequeretur? Præuidens per Spiritum S. Apoſtolus, te, tuique ſimiles hæreticos in Eccleſia emerſuros, qui bonum malum, & malum bonum dicerent, qui tenebras lucem & lucem tenebras ponerent, qui de ſententiis veritatis occaſionem inducendi erroris captarent, cum præmiſiſſet: *Non eſt poteſtas, niſi à Deo:* vt coniecturam reprobi intellectus amputaret: *Quæ autem ſunt,* inquit, *à Deo ordinata ſunt.* Da igitur poteſtatem ordinatam, & non reſiſtemus, immo dabimus illico manus.

Oppone Rupertum Goslarienſē de Bell. Sax. & Otbertum Leodienſem in Vita Henrici.

Miror autem, ſi in te vel gutta ſanguinis eſt, quod non erubeſcis Dominum Henricum Regem dicere, vel ordinem habere. An ordo tibi videtur ius dare ſceleri, fas nefaſque, diuina & humana confundere? An ordo videtur tibi, in corpus ſuum peccare? videlicet proh pudor, proh nefas, vxorem propriam ſcelere omnibus ſeculis mundo inaudito lupanar facere? An ordo tibi videtur, cum Dominus dicat: *Defendite viduam:* viduas iudicii æquitatem poſtulantes nefanda contaminatione proſtituere? Hæc qui ordinata, qui ſana dixerit, hunc inſani capitis eſſe, inſanus iurat Oreſtes. Vſque ad hæc miſerrima tempora natura ſecretum amauit, ſed traditus in reprobum ſenſum Rex veſter naturæ inuolucrum detexit, qui omnem pudorem ponit in propatulo. Vt autem illa, quæ ſine numero ſunt, taceamus, videlicet, concremationes Eccleſiarum, deprædationes, homicidia, incēdia, truncationes, & his ſimilia, quæ ille poteſt, nos enumerare non poſſumus; ea quæ maximè Eccleſiam Dei grauant, loquamur. Audi ergo vera, non fucata, audi fortia, non faceta. Omnis qui dignitates ſpirituales vendit, hæreticus eſt. *a* Dominus autem Henricus, quem Regē dicunt, Epiſcopatus & Abbatias vendit. Etenim *b* Conſtantienſem, Babenbergenſem, Moguntinenſem, & plures alias pro pecunia: Ratiſponēſem, Auguſtēſem, Strazburgenſem pro gladio; Abbatiā Fuldenſem pro adulterio; Monaſterienſem Epiſcopatū (quod dicere & audire nefas eſt) pro Sodomitica immūdicitia vendidit. Quę ſi impudenter negare volueris: teſte cœlo, teſte terra, omnes etiam à furno redeuntes ſcioli concludent. Ergo Dominus Henricus hæreticus eſt. Pro quibus nefandis malis ab Apoſtolica Sede excommunicatus, nec regnum, nec poteſtatē aliquam ſuper nos, quia Catholici ſumus, poterit obtinere.

a Papa Epiſcopatus & Abbatias vendit. ergo eſt hæreticus.

b Crimina hæc ſunt ab rebellib. excogitata, vt rebellioni ſuæ iniuſtiſſimæ & perfidiſſimæ prætextum facerent.

Oppone Walgramum lib. 2.

Sanè quia fratrum nos odiis fatigas, intellige nulli nos odium de inaffectione, ſed de pietate intendere. Abſit vt dicamus, Henricus inter fratres aut Chriſtianos reputetur, qui toties corripientem Eccleſiam non audiens, ſicut Ethnicus & Publicanus habetur. Cuius odium pro magno ſa-

crificio Deo offerimus, dicentes cum Pſalmiſta: *Nonne qui oderunt te, Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* Cuius odii dignitatem veritas commendans, ait: *Si quis non odit patrem, & matrem, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Non ergo de odio iuſtè reprehendunt, qui animam noſtram, cum à via Dei exorbitamus, qui patrem & matrem, & omnem affectum, qui nobis in via Dei obſtat, odiſſe præcipimur. Inde eſt quod omni ſtudio, omni conatu laboramus, vt hoſtes Eccleſiæ nos quoque vt aduerſarios caueamus; & non quia noſtri, ſed quia Dei inimici ſunt, odio habeamus. Porro quod de pace cum omnibus hominibus habenda perſuades, meminiſſe debes, quia præmiſit Apoſtolus: *Si fieri poteſt.*

Fieri autem non poteſt, vt cum iis, qui Deo contrarii ſunt, pacem habeamus. Quis autem neſciat, Dominum Saluatorem, non ſolum pacem commendare, cum dicit: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis,* ſed etiam ipſam pacem exiſtere ſicut ait Apoſtolus, *ipſe eſt pax noſtra*, qui fecit vtraq; vnum. Quid ergo ait pax noſtra commendans pacē? *Nolite,* inquit, *arbitrari, quia veni mittere pacem in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium.* Quid eſt hoc? Quare pax gladium? quare pax bellum indicit? Nimirum vt deſtruatur pax diaboli. Habet enim & diabolus pacem ſuam, de qua Dominus dicit: *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet.* O quam potenter per vos ſatellites ſuos atrium ſuum hoc tempore diabolus cuſtodit, qui ſcuto falſitatis, & galea perfidiæ protecti, nulla veritatis iacula, nulla fidei ſpicula admittitis. Poteſt tamen Dominus noſter, vtpote fortior armatus ſuperueniens fortem veſtrum vincere, & arma in quibus confidit, auferre. Non ergo rectè culpamur, ſi pacem illam omni bello crudeliorem deteſtamur, quam ipſa Veritas ſuper Hieruſalem flendo reprobat, dicens; *Equidem in hac die, quæ ad pacem tibi.* Et quam Pſalmus: *Super iniquos Zelaui, pacem peccatorum videns.*

Quod verò Papam Gregorium, Regem Rodulphum, Marchionem Eggebertum peſſimi interitus damnas; & Dominum tuum, quia illis ſuperſtes eſt, bonificas: liquet profectò ab omni ſpirituali te conſideratione manere vacuum. Nonne beatius eſt bene mori, quam male viuere? *Beati enim qui perſecutionem patiuntur propter iuſticiam.* Iam & Neronem, quia Apoſtolis Petro & Paulo; iam & Herodem quia Iacobo Apoſtolo; iam & Pilatum, quia Domino IESV Chriſto ſuperuixerint, beatos æſtimas. Qua opinione quid inſanius aut infelicius dici poteſt? Quapropter & ab hac blaſphemia linguam magniloquam compeſce, niſi forte in numero illorum te conſtituis, qui in fine iuſtorum

videntes gloriam, ſeram & infructuoſam agentes pœnitentiam, præ anguſtia ſpiritus gementes dicent: *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt? Ergo errauimus à via veritatis, & ſol iuſtitiæ non luxit nobis. Quid nobis profuit ſuperbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia velut vmbra.* Quæ nos verba in memoria adamantina ſcribentes: omnem ſimilitudinem extollentem ſe aduerſus Veritatem Dei contemnimus, & gloriantes in tribulationibus, calumniari, proſcribi, & exterminari, denique occidi poſſumus: flecti vel vinci non poſſumus. Et cum magno tripudio illud, tu puer adoleſcens, iuuenis frequentatus nondum corde ſenex concepiſti, de patribus noſtris exultamus, qui contemnentes iuſſa Principum meruerunt præmia æterna. Porro ſententias tuas diligenti curioſitate trutinantes, quaſi ſpiritualia ſpiritualibus comparare voluimus. Sed ſicut. * *Et reliqua non pauca.*

* *Hinc patet hanc epiſtolam eſſe imperfectã.*

GOFFRI-

GOFFRIDI ABBATIS VINDOCINENSIS, S. PRISCÆ CARDINALIS

Tractatus

DE ORDINATIONE EPISCOPORVM, & de Inueſtitura Laicorum.

GOFFRIDVS VINDOCINENSIS MONASTERII humilis ſeruus ſuo præcordiali amico, Petro Leonis S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Catholicam fidem toto corde diligere, & eos qui contradicunt totis viribus impugnare.

Oppone Iuonem Carnotenſem, Waltramum & Sigibertum.

TVÆ petitionis, & meæ promiſſionis non immemor, ſi non vt debui, ſaltem vt potui, tentaui ſoluere, & quod à te quæſitum eſt, & à me promiſſum; de ordinatione videlicet Epiſcopi, & de inueſtitura laicorum. In primis firmiter nos credere oportet & nullatenus dubitare, vt quemadmodum baptiſmus Chriſtianum facit, ita electio & conſecratio facit Epiſcopum. Et ſicut impoſſibile eſt ſine baptiſmate Chriſtianum fieri, ita eſt impoſſibile Epiſcopum ſine electione & conſecratione creari. In ordinatione Epiſcopi electio & conſecratio ſic eſt vtraque neceſſaria, quod conſecratio ſine electione & ſine conſecratione electio Epiſcopum facere ſola non ſufficit. Nam ſicut in baptiſmate, aqua & inuocatio Spiritus ſancti ſunt neceſſaria, quæ faciunt Chriſtianũ: ita in ordinando Epiſcopo electio & conſecratio ſunt neceſſitate coniuncta, quæ creant Epiſcopum. Et ſicut aqua ſola, aut ſola inuocatione Sancti ſpiritus nec baptiſmus fieri poteſt, nec homo eſſe Chriſtianus: ita ſola electione, aut ſola conſecratione nemo ordinari, vel fieri

valet Epiſcopus. Magnum quidem & baptiſmatis, & electionis & conſecrationis Epiſcopi Sacramentũ: ſed illud præcepit, & per alios facit Chriſtus; & hoc egit per ſemetipſum. In illo ſpiritualiter creatur homo, & à Chriſto Chriſtianus dicitur: In iſto verò Dominus & Imperator creatus Chriſtianorum, qui non ſolum vocatur Chriſtianus à Chriſto, ſed etiam Chriſti vices agere creditur. Sciendum verò quod hic vel vbicumque de electione & conſecratione Epiſcopi agitur, canonicam neceſſe eſt electionem, & liberam conſecrationem intelligi: vt qui canonicè eligitur, & liberè conſecretur. Alioquin fit quædam praua ſimulatio in Eccleſia, & Eccleſiaſticæ dignitatis illuſio non parua. Quicunque igitur canonicè non electus quaſi ſacrandus accedit, vel qui non eſt liberè conſecratus, etiam ſi canonica præceſſerit electio, execratus recedit. Nam ſicut vbi non eſt vera cordis conuerſio, non ſequitur plena remiſſio: ita vbi non ſequitur libera conſecratio, etiamſi canonica electio præcedat, minimè prodeſt, cum neutra ſola Epiſcopum creare ſufficiat. Nec eſt illa libera conſecratio, quam præcedit factum ſine iudicio & iuſtitia iuramentum, cum B. Hieronymus ſuper Hieremiam dicat *iuramentum non eſſe faciendum, vbi non eſt iuſtitia ſimul, veritas, & iudicium.* Quod ſi aliter fuerit præſumptum, iuramentum non erit ſed periurium. Præterea tria propriè propria Eccleſia habere debet, quorum vnum ſi defuerit, velut paralytica iacet, nec ligandi nec ſoluendi poteſtatem habet. Debet itaque Eccleſia catholica eſſe, caſta, & libera: catholica, quia nec vendi debet nec emi: Caſta, quia nulla tenus, debet muneribus corrumpi: libera, quia ſæculari poteſtati non debet ſubiici; nec ab eius ſponſo qualibet occaſione à ſæculari poteſtate ſacramentum extorqueri: cum omnino lege diuina prohibeatur: nec ab Epiſcopo niſi pro ſola fide catholica, ſacramentum exagitatur. Chriſtus vtique paſtor bonus ſponſam quærit fidelem: Infidelem reſpuit: caſtam diligit, odit corruptam: liberam ſibi ſociat, ancillam abiicit. Falſo itaque nominatur Epiſcopus, qui annullare conatur electionis & conſecrationis ordinem, quem Chriſtus per ſemetipſum primus inſtituit. Ipſe enim primus & elegit Apoſtolos, & conſecrauit. Tota itaque ordinatio Epiſcopi in electione & conſecratione conſiſtit. Hæc prius per ſemetipſum, vt dictum eſt, Chriſtus fecit. Deinde vero vicarii eius. Et in Apoſtolis quidem à Chriſto facta ſunt, quoniam ab ipſo & electi & conſecrati fuerunt. In aliis verò omnibus, à nullis aliis fieri licet, niſi à vicariis Chriſti. Sunt autem vicarii Chriſti clerici in electione, Epiſcopi in conſecratione, cæteri omnes petere quidem Epiſcopum poſſunt, eligere verò vel conſecrare non poſſunt. Hoc ſanctum Sacramentum, electionem videlicet & conſecrationem Apoſtolorum,

Chriſtus

Chriſtus primum fecit, per quod cætera fierent Sacramenta. Si vero Sacramentum, quod primum, vt dictum eſt, Chriſtus fecit per ſemetipſum, aliter factum fuerit, quam docuit; Sacramenta cætera quæ ſequuntur, quas vires habere valeant, nec ratio docet, & fides ignorat Chriſtiana. Quicumque ergo ſine canonica electione & libera conſecratione ſub nomine Pontificis Eccleſiam vel poteſtatem Eccleſiaſticam ſibi vendicare præſumit, hic iam non per oſtium intrat, ſed aliunde aſcendit: vt merito non inter Epiſcopos computetur, ſed inter fures & latrones connumeretur. Iſte aliis benedictionem non porrigit, ſed peſtem, & vulnus potius inferre videtur, quam ſalutem, qui tanta præſumptione Dei maledictionem meretur. Nam Epiſcopus qui canonicam electionem, & liberam conſecrationem non habet, eſt quaſi arbor non habens radicem. Arbor autem quæ radicem non habet, etiam ſi folia habeat, fructum ferre nullatenus valet. Ad huiuſcemodi arborem Chriſtus quidem acceſſit, & cum ibi fructum non inueniſſet, eam maledixit. Ille maximè à Deo maledicitur, qui Sacramentis Eccleſiæ quaſi ſociari ſua cupiditate deſiderat, non Chriſti caritate. Et omnis qui Sacramentis Eccleſiæ cæmento caritatis non iungitur, iniuriam quidem Eccleſiæ facit: ſed quaſi paries luteus diſſipatur, qui licet dealbari poſſit ad tempus, eius ſubita diſſolutione, qui antè confidebant, in eo premuntur. Hac igitur ſimilitudine recte colligitur, quod qui ad iniuriā ſanctæ Eccleſiæ, Eccleſiaſticū ordinem, & maxime Pontificatum aſſequitur, ſuam deſtructionem inprimis, deinde populi mortem operatur. Et tunc eccleſia iniuriam pariter ſuſtinet & verecundiam, quando in eligendo Pontifice, canonica electio & libera conſecratio perit: & quod vitæ meritis, & ſapientiæ doctrinæ, atque ſacris ordinibus debetur, illis quaſi imponitur, quibus nec bonæ vitæ merita, nec ſapientiæ doctrina, nec ſacri ordines ſuffragantur. Iſti terrenum immo Paludoſum habent fundamentum, & ideo corruunt qui tali fundamento ædificantur. De talibus enim dicitur in Pſalmo: *Proiecisti eos dum alleuarentur.* Grauius nihil eſt apud Chriſtum Eccleſiæ iniuria. Cuius Sacramenta qui peruerſe ſuſcipiunt, cum Chriſto eſſe, vel prodeſſe non poſſunt. Cum Chriſto etenim ſimul eſſe, & contra Chriſtum facere nemo poteſt, cum ipſe dicat: *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Qui autem cum Chriſto non eſt, nec ſibi prodeſſe, nec aliis poteſt, cum ipſe iterum aſſerat: *Qui non colligit mecum, diſpergit.* Et alibi dicit, *ſine me nihil poteſtis facere.*

Romanæ Eccleſiæ poteſtatē non eſſe abſolutam, nec diſpenſationes eius anormalas.

Sunt quidam, qui Romanæ Eccleſiæ omnia licere putant, &

quaſi quadam diſpenſatione aliter quam diuina ſcriptura præcipit, eam facere poſſe. Quicunque ergo ſic ſapit, deſipit. Nam Romanæ Eccleſiæ poſt Petrum minimè licet, quod Petro non licuit. Petro quæ liganda erant ligandi; & quæ ſoluenda ſoluendi, eſt à Chriſto data poteſtas, non quæ liganda ſoluendi, vel quæ erant ſoluenda ligandi, conceſſa facultas. Petrus etiam ſi aliquando aliter egit, Paulus licet in conuerſione adhuc nouitius ei in faciem reſiſtere minimè timuit. Petrus vero ſui iunioris increpationem libenter ſuſcipiens, quod plus iuſto fecerat, diligenter correxit. Præterea nulla ratione fieri licet, quod Chriſtus ſuo exemplo non docuit. Ipſe enim legem ſoluere non venit, ſed adimplere. Romana itaque Eccleſia diuinarum ſcripturarum legem ſoluere non debet ſed conſeruare; & tradita ſibi à Chriſto poteſtate non ad ſuam voluntatem vti ſed ſecundum Chriſti diſpoſitionem. Si etiam à ſuo iuniore Romano Pontifice ſuggeritur, vt ſi aliquando plus iuſto fecerit, iuſte corrigat; tanquam Petrus Pauli admonitionem ſuſcepit, & ipſe ſuſcipiet, ſi Petrum imitari deſiderat. Aduerſus eos qui contra Chriſti diſpoſitionem armantur, bonus doctor & martyr Cyprianus loquitur, dicens, *Adulterum eſt impium & ſacrilegum, quodcunque humano facto inſtituitur, vt diſpenſatio Chriſti violetur.* Qui ſic agit, tenebras pro luce, noctem pro die, pro cibo famem, pro potu ſitim, venenum pro remedio tribuit, pro vita mortem. Non fuit illorum ætas venerabilis, nec eſt auctoritas imitanda, qui Suſannam pudicam corrumpere voluerint: quorum veterem nequitiam imitantur, qui Chriſti veritatem, & eius ſponſæ virginitatem violare machinantur. Hi ſunt vtique, qui Dei diſpoſitiones immutant, & traditiones ſuas ſtatuere conantur. A quibus recedente doctrina Dominica, recedit & Domini gratia, quorum ſecus acta quandoque ſummus Paſtor vindicabit & vltoris vigore, & iudicis poteſtate. Diſpenſationes quidem in Eccleſia faciendæ ſunt, non amore pecuniæ, vel quolibet humano fauore, ſed pia & miſericordi intentione. Tunc enim à Paſtore Eccleſiæ diſpenſatio piè & miſericorditer fieri creditur, cum aliquid minus perfectè ad tempus fit ab illo, vel permittitur, non voluntate ſua ſed aliorum neceſſitate; ne in ipſis videlicet fides Chriſtiana periclitetur. Sic igitur facienda eſt diſpenſatio ab Eccleſia, vt fidei noſtræ veritas inſtruatur: & ſi quid aliter ad horam factum fuerit vel permiſſum, opportuno tempore corrigatur. Hac diſcreta & ſancta diſpenſatione vſi ſunt beati Apoſtoli Petrus & Paulus propter metum Iudæorum, ne ipſi ſcandalizarentur. Nam Paulus poſt conuerſionem Timotheum circumciſum fecit & cerimonias etiam exercuit Iudæorum: & Petrus coëgit

quoſdam

quoſdam Iudaizare gentilium. Vterque ſanctus Apoſtolus ſimulans ſe veteris legis præcepta ſeruare, ne qui fideles ex Iudæis facti fuerant, ſuſceptam veritatis noticiam ſcandalizati negarent. Fecerunt hoc ſancti Apoſtoli miſericordi & pia compaſſione, non ſimulatione fallaci: quamuis legem poſt Euangelium non eſſe ſeruandam minimè dubitarent. Vbi beatiſſimæ vitæ viri intelliguntur non commutaſſe conſilium, ſed ad horam pro aliorum ſalute ſuæ doctrinæ ſententiam. Nam ſuper hoc quod ipſi & alii aliter fecerant, & ſe & alios poſtea correxerunt. Poſſunt etiam & debent fieri diſpenſationes, quibus Eccleſiarum, & Monaſteriorum conſuetudines immutentur: ſed vbi poſtponitur minus bonum, vt quod eſt melius inſtituatur. In nullo autem malum fieri debet vel permitti, niſi in ea tantũ neceſſitate, vbi timetur ne periclitetur fides, & illud poſtmodum corrigatur. Nam qui mala faciunt, vt veniant bona, horum iuſtam eſſe damnationem Paullus Apoſtolus proteſtatur. Si quis verò aliter in Eccleſia diſpenſatores facit, ratione ſimul & veritati contradicit, nec ſolùm lucernam ardentem non habet: verum etiam aliorum ardentes extinguit. Et ideo non rectè dicitur Chriſti vicarius, ſed dux eſt cæcorum ipſe cæcus.

Inueſtitura Laicorum.

De inueſtitura autem laicorũ, ſi quis cognoſcere voluerit quid Catholica & Apoſtolica Eccleſia ſenſerit, quid docuerit, quid iudicauerit & conſtituerit, legat in primo capitulo illius concilii, quod tempore Gregorii ſeptimi Papæ factum eſt: & ibi omnes clericos, qui de manu laici inueſtituram ſuſcipiunt, hæreticos vocatos, & ideo damnatos eſſe & excommunicatos inuenerit. Licet alia hæreſis de inueſtitura dicatur, alia Simoniaca: iſta quæ de inueſtitura dicitur, contra ſanctam Eccleſiam fortius iaculatur. Simoniaca enim prauitas multotiens fit latenter: hæreſis verò de inueſtitura ſemper publicè agitur. Ibi etiam inprimis omnis Eccleſiaſticus ordo confunditur, quando hoc quod vnicuique à ſolo ſuo conſecratore in Eccleſia cum orationibus, quæ ibi conueniunt, dari debet, à ſæculari poteſtate prius accipitur. Quod ſancti Apoſtoli non ſolum interdixerunt, verum etiam omnes illos, qui per ſæcularem poteſtatem Eccleſiam obtinent, à Chriſto ſibi tradita poteſtate damnauerunt. Et meritò Apoſtoli iudicio Spiritus Sancti hanc hæreſim in ipſo Eccleſiæ principio damnare decreuerunt, quum longo poſt tempore ex patre diabolo naſcituram eſſe præuiderunt. Cum igitur laico & inueſtitura, & omnis etiam diſponendarum Eccleſiarum vel Eccleſiaſticarum rerum facultas à ſpiritu Sancto qui in Apoſtolis loquebatur, negata ſit penitus & interdicta, qui inueſtituram à laico ſuſcipit, non iam contra Apoſtolos tantum, immo contra Dominum Apoſtolorum, quod ſanctum eſt, canibus exponit. In-

Stultè & imperitè diſputas, non diſcernens manus impoſitionem ſiue conſecrationem ab inueſtitura: illa eccleſiaſtica eſt, hæc politica; illa ſpiritualis, hæc ſæcularis; illa ab Epiſcopo confertur, hæc à Magiſtratu.

ueſtitura enim, de qua loquimur, ſacramentum eſt, id eſt ſacrum ſignum, quo princeps Eccleſiæ, Epiſcopus ſcilicet, à cæteris hominibus ſecernitur pariter atq; dinoſcitur; & quo ſuper Chriſtianum gregem cura paſtoralis ei tribuitur. Hanc inueſtituram ab illo ſolo ſuſcipere deberet, à quo & conſecrationem habet. Illum ſi quidem prius oportet conſecrari: deinde verò tanquam regem Eccleſiæ ſacris inſignibus decorari. Si quis autem cuilibet ſæculari poteſtati iſta licere putat, errat: quod ſi defendere nititur, Apoſtolorum doctrinam & S. Spiritus ſenſum annullare deſiderat. Vnde hæreticus eſſe nullatenus dubitatur. Inueſtitura itaque laicorum quæ fit per virgam & anulum, meritò hæreſis appellatur. Nam ſicut à Simone Simoniaca hæreſis dicitur ita ab eo qui inueſtit, & ab illo qui inueſtitur; quoniam vterque in illa ſua actione, & agitare claues Eccleſiæ, & eius vnicum ac ſingulare oſtium violare conatur, recto nomine hæreſis de inueſtitura vocatur. Hæc præterea hæreſis de inueſtitura, ſi recte perſpiciatur, etiam hæreſis Simoniaca eſſe viua & vera ratione probatur. Nam quæ ſæcularis poteſtas ſibi vindicare nititur inueſtituram, niſi vt per hoc aut pecuniam extorqueat, aut; quod eſt grauius, ſibi inordinatè ſubiectam efficiat Pontificis perſonam? Nullus eſt vtique laicorum, etiam ſi ei liceret, qui tanta intentione anulum vel virgam dare deſideret, niſi per hæc, quæ ſunt Sacramenta Eccleſiæ temporalibus lucris inhiaret. Laicis quidem Sacramenta ab Eccleſia ſuſcipere licet, non Eccleſiæ quælibet Sacramenta dare. Semper laicus de inueſtitura, vt diximus, aut pecuniam ſibi vindicat, aut quod eſt amplius, Epiſcopi vel Abbatis perſonã. Hac non tam humana quã diabolica malignitate, Eccleſia catholicam fidem, libertatem, & caſtitatem amittit, ſine quibus nulla ratione ſubſiſtit. Hanc igitur, quam ſupra diximus, inueſtituram quicunque ſub ſpecie paſtoris ſuſcipere præſumit, fit paralyticus, & hæretica lepra pollutus. Illum non Paſtorem fiducialiter dico, nec illius paſtoris qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis, quodlibet membrum: ſed fur, & raptor, & lupus eſt. Nam ad hoc venit, vt furetur, & rapiat, & mactet. Hanc autem deteſtabilem impietatem non ſolum qui faciunt, ſed qui conſentiunt ei, damnati ſunt. Ille vero conſentit, qui eam tacet, qui eam non corrigit: & qui ei palam non contradicit: & nemo eſt qui contradicere palam non debeat, & poſſit. Nam ſi prælati non habet auctoritatem, habet tamen Chriſtiani vocem. Et ſcriptura dicit, & neminem excipit, *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine*, id eſt, vocem ſuam ab increpatione peccati. Illud etiam factum meminerit, quod Aſina fatuum prophetam olim correxerit. Quod ſi fuerit vitioſus, vel quolibet alio crimine infamis factus, non ideo ſilere debet; quoniam vnicuique peccatori communem

Eccleſiæ

Eccleſiæ fidem, quam ſuam eſſe credit, & confitetur, defendere, & contra eius aduerſarios liberè pugnare licet. Nam illi duo, qui in paſſione Domini crucifixi ſunt cum eo, omnino infames erant, nam publici latrones, quorum vnus non tantum quia credidit, ſed quia ſuæ fidei veritatem contra alterum defendere cæpit, bonum illud & delectabile verbum à ſaluatore noſtro audire meruit: *Hodie* ſcilicet *mecum eris in paradiſo.* Vnde in latrone illo maximè declaratum agnoſcitur, quod vir Catholicus, licet prius infamiæ maculis aſperſus, fidei defenſione Paradiſum pariter & Chriſto eſſe meretur. Et quoniam de Simonia mentionem fecimus, cur ipſa & laicorum inueſtitura ſit hæreſis & meritò hæreſis appellari debeat, amplius Deo adiuuante dicetur, ne ſuper hoc deinceps dubitetur..

Hoc etiam ſilendum non erit, quod ſicut quædam inueſtitura laicorum contra fidem, ita quædam inueſtitura eorum, ſalua fide fieri poteſt. Credendum eſt, frater cariſſime, & firmiter tenendum, illud præcipue hæreſim eſſe, quod à patris vnitate filium ſiue Spiritum S. conatur ſeparare, vel perſonarum alteram altera minorem vel maiorem aſſerere. Sunt quidē errores & diuiſiones, quæ hæreſes appellantur, quibus de perſona Patris vel Filii, ſiue Spiritus S. vel de ſimul tota Trinitate peruerſè ſentitur. Sed ſciendum eſt, quod ille maxime & magis propriè hæreticus nominatur, qui fidem Chriſti quam accepit, obſtinato animo impugnare videtur. Igitur Simon Magus à ſancto Philippo baptizatus non tantum hæreticus, ſed hæreticorum primus & peſſimus extitit: qui non ſolum à patris æqualitate ſeparari poſſe Spiritum S. exiſtimauit, ſed etiam ipſo Spiritu S. maior eſſe præſumptuosè tentando concupiuit. Nam cum ſe poſſe pecunia poſſidere Spiritum S. putauit, quid appetiit aliud, niſi vt Spiritu S. maior ipſe haberetur; cum maior ſit qui poſſidet, quam quod poſſidetur? Cum itaque Patris & Filii & Spiritus S. perſonas inæquales quilibet nititur aſtruere, ratione pariter & auctoritate hæreticus habeatur: multò magus Simon Magus, qui Spiritum S. Deo Patri & Filio æqualem per omnia ſibi pecunia ſuſpicere tentauit, hæreticus; & Simonia, quæ ab ipſo inuenta eſt, & ab eo dicitur, hæreſis comprobatur. Laicus autem cum inueſtituram Eccleſiarum tribuit per virgam & anulum, quæ ſunt Eccleſiæ Sacramenta, ſicut ſal & aqua, Oleum & chriſma & quædam alia ſine quibus hominum & Eccleſiarũ conſecrationes fieri non poſſunt, ſibi ius Chriſti vſurpat & poteſtatẽ: & quodãmodo ſe Dei Filio prædicat altiorẽ. Nã dũ illa Eccleſiæ Sacramẽta ibi dantur, vbi dari debẽt, & quibus & quando, & quomodo debent, per conſecrationis miniſtrum, à Dei filio dantur, à quo vniuerſa fiunt Sacramenta, & à quo tribuuntur. Vnde

Deus pater ad Iohannem loquitur dicens, *ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, ille eſt qui baptizat*. Quando dixit, *ille eſt qui baptizat*, à parte totum ſignificauit. Nam Dei filius vniuerſa ſanctæ Eccleſiæ conficit & tribuit ſacramenta. Laicus autem, quando contra Dei Filium ſic præſumit, ſi non amplius, non minus tamen quam Simon Magus intumuit, & ipſe intumeſcit, qui in collatione Sacramentorum ſe Dei filio anteponit. Et quia Deo Dei Filio non ſolum ſui Patris æqualitatem demere nititur, ſed ſe ipſum Dei Filio ſuperiorem ſua impia actione ſignificare videtur; recto nomine & ipſe hæreticus, & eius inueſtitura hæreſis appellatur. Non ſit Imperatoribus & Regibus moleſtum quod dicimus; nec conſuetudine ſibi vindicare nitantur, quod eis veritate negatur. Cum laicis etiam religioſis diſponendarum Eccleſiarum vel Eccleſiaſticarum rerum omnis facultas ab Apoſtolis prohibeatur, manifeſtum eſt quod eis inueſtitura negatur ab ipſa veritate, à Chriſto videlicet, qui in Apoſtolis loquebatur. Quod autē Chriſtus in Apoſtolis ſit locutus, Paulus Apoſtolus aſſerit dicens: *An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus?* Cum igitur Chriſtus veritas ſit, ſicut ipſe dixit: *Ego ſum veritas*, nec vnquam, ego ſum conſuetudo, dixerit; qui Chriſtianus eſt, Chriſtum; & qui Rex eſt, Regem regum, ipſam ſcilicet veritatem ſequatur, non conſuetudinem.

In Eccleſiaſticis poſſeſſionibus, quamuis nec in legibus, nec in canonibus inueniatur, tamen propter ſcandalum & ſchiſma vitandum, talis Regibus inueſtitura concedatur, vt nec ipſi propter hoc pereant, nec ſancta Eccleſia detrimentum patiatur. Inueſtituram per virgam & anulum accipere; niſi à ſuo conſecratore, manifeſtum eſt eſſe damnoſum: quia nulli laico licet illa Eccleſiæ ſacramenta dare, ſicut ei non licet Epiſcopum conſecrare. Res etiam, quæ ſemel Eccleſiæ datæ ſunt, Reges eas iterum dare, vel de ipſis inueſtire nec debent, nec conuenienter poſſunt. Nam alicui illud dare quod habet, & de hoc inueſtire aliquem quod ille iam tenet, ſuperfluum eſt & vanum, non tamen videtur Criminoſum. Alia vtique eſt inueſtitura, quæ Epiſcopum perficit; alia vero, quæ Epiſcopum paſcit. Illa ex diuino iure habetur: iſta ex iure humano. Subtrahe ius diuinum, ſpiritualiter Epiſcopus non creatur: ſubtrahe ius humanum, poſſeſſiones amittit, quibus ipſe corporaliter ſuſtētatur. Non enim poſſeſſiones haberet Eccleſia, niſi ſibi à Regibus donarentur; & ab ipſis, non quidem diuinis Sacramentis, ſed poſſeſſionibus terrenis inueſtiretur. Ex iure diuino Regibus quidem & Imperatoribus dominamur: ipſis tamen ex eodem iure, quia Chriſti Domini ſunt, honorem debemus & reuerentiam, ſicut dicit Apoſtolus: *Regem reuereamini*: Ex iure autem humano illis tantum debemus, quantum poſſeſſiones diligimus; quibus ab ipſis vel à parentibus ſuis Eccleſia ditata & inueſtita dinoſcitur. Vnde B. Auguſtinus

ſuper

ſuper Iohannem ſic loquitur: *Noli dicere, quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & poſſeſſioni? Nam per iura Regum poſſeßiones habentur. Si vero dixeris, quid mihi & Regi? Noli iam dicere poſſeſſiones tuas, quia ad ipſa iura, quibus poſſeſſiones poßidentur, renuntiaſti. Nam ſecundum ius Imperatorum poſſides terrena. Tolle Imperatorum iura, quis audet dicere, Mea eſt illa villa, aut meus eſt iſte ſeruus, aut mea eſt iſta domus? Quo iure defendis villas? diuino, an humano? diuinum ius in ſcripturis habemus: humanum ius in legibus Regum. Vnde quiſque poßidet, quod poßidet? Nonne iure humano? Nam iure diuino, Domini eſt terra & plenitudo eius. Pauperes & diuites Deus vno luto fecit: & diuites & pauperes vna terra ſupportat. Iure tamen humano dicis, Hæc villa mea eſt, hæc domus mea eſt, hic ſeruus meus eſt: iure ergo humano: iure Imperatorum quare? Quia ipſa iura humana per Imperatores & Reges ſæculi Deus diſtribuit Eccleſiæ ſuæ.* Poſſunt itaque ſine offenſione Reges poſt electionem canonicam & liberam conſecrationẽ per inueſtituram regalem in Eccleſiaſticis poſſeſſionibus, conceſſionem auxilium, & defenſionem Epiſcopo dare: quod quolibet ſigno factum extiterit, Regi, vel Pontifici, ſeu Catholicæ fidei non nocebit. Voluit bonus Dominus & Magiſter noſter Chriſtus ſpiritualem gladium & materialem eſſe in defenſione Eccleſiæ. Quod ſi alter ab altero retunditur, hoc fit contra illius voluntatem. Hac occaſione de regno iuſticia tollitur, & pax de Eccleſia, ſcandala ſuſcitantur & ſchiſmata: & fit animarum perditio ſimul & corporum, & dum regnum & Sacerdotium vnum ab altero impugnatur, periclitatur vtrumque. Nam Rex & Romanus Pontifex cum vnus contra alium, alter pro regni conſuetudine, alter pro Eccleſiæ libertate erigitur, regnum illam conſuetudinẽ obtinere non poteſt, nec poterit: & Eccleſia ſuæ libertatis amittit plurimum. Rex præterea ſacroſancta communione pariter & regia dignitate priuatur: à Romano verò Pontifice multis, qui ſibi deſeruire debuerant, neceſſitate cogente, ſeruitur. Et qui à Pontifice docendus erat, & ducendus à Rege. Rex & Pontifex populum ſequitur. Habeat autem Eccleſia pacem & regnum iuſtitiam: habeat Rex cõſuetudinem ſed bonam, & nõ quam malè repoſcit, ſed quam ſuprà diximus, inueſtituram. Habeat Eccleſia ſuam libertatem: ſed ſummopere caueat, ne dum nimis emunxerit, eliciat ſanguinem: & dum rubiginem de vaſe conatur eradere, vas ipſum frangatur. Hoc eſt præcipuum diſcretionis membrum: ne quilibet rector Eccleſiæ, ſua qualibet actione à Satana circumueniatur. Tunc enim rector à Satana circumuenitur, quando ſub ſpecie iuſtitiæ per nimiam triſtitiam regendum perire contingit, qui potuit liberari per indulgentiam. Præterea bonus & diſcretus Auguſtinus in Epiſtola ad Parmenianũ dicit, *vix aut nunquam excommunicandum eum eſſe, qui in malo opere obſtinatam multitudinem habet ſecum.* Nam tolerabilius videtur vni parcere, ne in Ec-

cleſia ſchiſma ſeminetur plurimorum. Et beatiſſimus doctor & martyr Cyprianus aſſerit, dicens, *Schiſma non eſt faciendum, etiam ſi in eadem fide, & in eadem traditione non permaneat qui recedit.* Et Salomon in Eccleſiaſte, *Scindens ligna periclitabitur in eis, ſi exciderit ferrum.* Item in Exodo, *In domo vna comedetur, non eiicietis de domo carnem foras.* Ex quibus verbis colligitur, quod ſit tolerandus ab Eccleſia, qui multitudinem habet ſecum, ne dum vnum corrigere nitimur, perditio fiat multorum. Hoc etiam Hieronymus ad Auguſtinum ſcribit, dicens, *quod ſecundum beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli prudentiam, diſpenſationemq; honeſtam, aliquando fieri neceſſe eſt, quod Iure reprehenditur, ne Chriſtianæ plebi ſcandalum oriatur.* Si verò Imperatoris & Regis perſonæ, non tamen illius terræ aliquando in ſumma iuſtitia parcendum eſt, ne ſumma creſcat inde malitia. Miniſtris Eccleſiæ penitus interdicatur, ne quod iuſtum eſt, iniuſtè conſequantur.

De præſenti materia ſi minus vel aliter dixi quàm debui, ignorantiæ deputetur, & indulgeatur miſericorditer. Si autem bene, benigne ſuſcipiatur, & obſeruetur diligenter.

FINIS.